C. CRISPI SALUSTII

QUAE EXSTANT.

Recognovit, varias lectiones, e codicibus Basileensibus, Bernensibus, Turicensibus, Parisinis, Erlangensi, Tegernseensi ceterisque, quos Wassius, Havercampius, Cortius aliique Editores contulerunt, collectas, commentarios atque indices locupletissimos

ADIECIT

FRANCISCUS DOROTHEUS GERLACH,

PHILOSOPHIAE DOCTOR, LITERARUM LATINARUM PROFESSOR.

VOL. II. P. I.

Insunt praeterea discrepantiae scripturae e codicibus Italicis excerptae.

BASILEAE IN LIBRARIA SCHWEIGHAUSERIANA.

TYPIS ET SUMPTIBUS

AUGUSTI WIELANDI, TYPOGRAPH. ACAD.

MDCCCXXVII.

Cum multo serius, quam consilium fuerat, commentarii in Salustium evulgentur, pauca præfari non abs re visum. quid in hoc libro spectaverim, alio loco fusius exposui.*) Num igitur, quod mihi propositum erat, assecutus sim, an rei susceptæ magnitudo atque difficultas spem meam fefellerit, aliorum sit judicium. Restat quidem etiamnum non minima pars laboris. Historiarum enim fragmenta illustrare, eademque digerere, et non solum quid argumentum, sed etiam quæ forma librorum deperditorum fuerit, constituere, haud dubie difficillimum est. Accedunt commentationes de Codd. et sermone Salustii, indicumque confectio, alia præterea, quæ in digressionibus accuratius me examinaturum esse pollicitus sum. Quamobrem timeo, ne multi vituperent, quod, cum hæc reliqua sint, commentarii jam in tantam molem excreverint, meque, qui aliorum importunam loquacitatem reprehenderim, in auctore brevissimo verbosiorem fuisse insimulent. Sed cum sæpius a priorum editorum auctoritate recesserim, facere non potui, quin, quæ ipse sentirem, accuratius exponerem. Neque prætermittendum esse duxi, si ipsius orationis conformatio sive proprietas sermonis, quam dicunt, non satis illustrata mihi esse videbatur. Cum enim longe plurimi aut in scriptorum sensibus atque sententiis explicandis sint occupati, aut de scripturæ discrepantiis ingeniosius disputent, ipsam orationis formam non satis examinare mihi videntur. Sed interpretis est explicare, non solum quid dictum sit, sed etiam quomodo? Nam quæ cujusque vocis propria vis sit examinare, variaque locutionum genera inter se comparare, et quænam cuique rei sit aptissima, judicare, id demum scriptorum

*) cfr. Commentat. de Codd. Salust. in Bibliothecis Italicis asservatis p. 64. sqq.

sensus ita aperit, ut nihil intelligentiæ nostræ vim atque notionem fugere posse videatur. — De forma commentariorum hoc monuerim, discrepantias scripturæ, e Codicibus Italicis excerptas, si modo notatu dignæ esse videbantur, me iterum exprimendas curasse, ita ut suo quæque loco laudata sit. Tot bonorum librorum auxilio instructus, non pauca loca mutanda esse duxi, sæpiusque Cortii conjecturas, aut meliorum librorum auctoritate firmavi, aut easdem, accuratius examinatas, a Salustii oratione alienissimas esse docui. Qua quidem in re erunt fortasse, qui me inconstantiæ insimulent, quod sæpius librorum testimoniis plus tribuerim. Neque, si hoc vituperandum, me culpa vacuum esse puto. Jam, subtili acutiorum virorum judicio multorum locorum integritatem esse restitutam, me quidem non præterit, sed vel acutissimi critici non in omnibus rebus eadem est auctoritas. multa enim, quæ non ad verborum sensus aut structuras, sed ad solum orationis ornatum pertinent, ejusmodi sunt, ut vix probabilis ratio reddi possit, quam dicendi formam auctor præ ceteris elegerit. Quibus in locis, si librorum parum certa testimonia sunt, haud ita multum conjecturis tribuendum esse puto. Quæ igitur magni illi critici, qui soli sibi sapere videntur, certissima et firmissima dicunt, ab iis, nisi admodum probabilia sunt, assensum cohibeo. Sed hæc hactenus; ne videar, tanquam reus, judicum misericordiam implorare. Apud malevolos enim censores frustra te excusaveris; aequis judicibus satis dictum puto.

Scripsi Basileæ Kalendis Decembribus MDCCCXXVI.

DE CODICIBUS SALUSTIANIS,

QUI

IN BIBLIOTHECIS ITALICIS ASSERVANTUR.

Quod diu in optatis fuerat, ut totam Italiam peragrarem et literarum artiumque monumenta, quibus abundat, oculis perlustrarem, id mihi contigit beneficio magistratuum, qui humanitatis studia, si minus regali munificentia, liberali certe ingenio alunt. Per quinque deinceps menses in splendidissimis Italiæ urbibus, Mediolani, Venetiis, Patavii, Bononiæ, Florentiæ, Romæ et Neapoli commoratus, non solum ad situs locorum hominumque mores cognoscendos, sed etiam ad artium monumenta spectanda et antiquissimos codices examinandos otium habui. Sed ne nimis alta et ardua appetens omnem laboris fructum perderem, nihil quidem, quod visu dignum esset, omittere, sed plurimum studii in codicibus Salustianis inquirendis et excutiendis consumere placuit. Nam de signis, statuis ceterisque artium monumentis commentari, quod nostra ætate multi in laudibus ducunt, mihi quidem levius esse videtur, quod paucissimorum hac de re judicium est. Accedit quod multa simulacra nimis sæpe sunt de-

scripta, ab Italis imprimis, quorum opera et studium hac in re potissimum versatur. Sed, quod maxime mireris, vasa, quæ ad domesticum vitæ cultum et ad sacrificia pertinent, arma præterea, mensuræ multaque alia utensilia, in Pompejorum ruinis effossa, quorum accuratior cognitio totam fere vitam privatam antiquorum populorum aperit, pæne ab omnibus jacent contempta. Nam commentarii, olim his de rebus conscripti, imperfecti manserunt. Neque qui nuperrime in lucem sunt editi, ita comparati esse videntur, ut lætiorem spem de iis concipere liceat. Eadem fere codicum manu scriptorum est ratio. Maximam enim partem aut intacti in bibliothecis latitant, aut non ea, qua par est, diligentia cum editionibus recentioribus collati sunt. Itaque hoc in genere amplissimus patet laudis et gloriæ campus. Nam longe plurimi bibliothecarum præfecti, summa liberalitate vel antiquissimos codices a literatis hominibus inspici et examinari patiuntur, et, quantum in iis est, legibus severis, (ne dicam perversis) quæ de bibliothecis sancitæ sunt, extraneos solvunt; quæ quidem præcipua laus est virorum clarissimorum Bentivoglio et Bettio, qui bibliothecis Mediolani et Venetiis præsunt, quibus me plurimum debere ingenue profiteor; eandemque facilitatem viri clarissimi, Peyron, Augustæ Taurinorum alii experti sunt.

Quare peregrinantibus, qui literarum Græcarum atque Latinarum studio delectantur, his de literis optime mereri licet. Nam lectionibus ex optimo quoque codice colligendis, ad emendandos scriptores multum conferre possunt. Hoc quidem ut Sallustio utique contingeret, plurimum operæ dedi. De quo quidem studio ut intelligentes facilius judicium faciant, lectionum, quas ex codicibus amplius octoginta excerpsi, præstantissimas proponam et de ipsorum codicum antiquitate et bonitate breviter agam. Neque timeo, ne levitatis suspicionem incurram, quod aliquot lectiones, a me in textum receptas, rejiciam. Cum enim hanc mihi legem imposuissem, ut invitis codicibus paucissima mutarem, et quæ salvo sensu ferri posse viderentur, utique defenderem, jam

plurimorum eorumque optimorum codicum lectionibus cognitis, nonnulla loca emendatius edere licet. Sunt alia loca, quæ jam pridem Cortius, sed contra codicum auctoritatem emendaverat; quæ si nostris libris firmantur, hoc indicare non omittam.

DE CODICIBUS MEDIOLANENSIBUS.

In bibliotheca Ambrosiana xii. Salustii codices Msc. asservari, jam in præfatione Vol. i. pag. xii. docui; quorum cum nullus ante sæculum xi. scriptus sit, tamen haud paucæ optimarum lectionum illorum auctoritate confirmantur. Præterea his in libris inveni variantes, sermoni Salustiano quam maxime consentaneas, et a nemine adhuc, quantum equidem scio, laudatas. Quare vel pessimum horum librorum accuratius contulisse magno mihi usui fuit. Cujus rei copia mihi data est imprimis humanitate V. D. Francisci Bentivoglio, Bibliothecæ præfecti, qui non solum singulis diebus sex horas continuas codd. inspiciendi mihi fecit potestatem, sed etiam sermonibus me multa edocuit. Parat hic vir, de multis literatis hominibus optime meritus, novam Ciceronis orationum editionem, quam equidem cupide exspecto.

Cod. I. *) (O. 32.) Membran. Sæc. xii. scholiis interlinearibus adspersus, et optimas lectiones continet et ad corruptelarum causas divinandas plurimum confert. Aliquoties manus secunda textum emendavit. Orthographiæ veteris pauca vestigia; v. c. *set*, *aput*, *vendicemus*, *neglegere*, *Aborigenes*, *condicio*, *haut*, *locupletum*, *adiceret* (*Cat. c.* 22.) *cotidiano*, *leniunda*, *accersebant*, *et die vesper* (*i. m. sec. apposuit*); nonnullis locis conjunctiones omissæ; v. c. Cat. cap. 7. *semper his - magis in decoris.*

Catilina cap. 1. quo mihi rectius videtur (*esse* omissum) 3. studio ad rempublicam latus sum. 5. incitabant præterea. 8. quantum verbis potuere extollere. 11. in Asia. 14. uti cujusque. 22. ficta et hæc, multa præt. 25. haut facile cerneres - præceps fuit. **)

*) In enumerandis libris ordinem in præfatione Vol. 1. propositum servabo.

**) Qui quidem locus imprimis notandus; inde enim colligas paulo infra

26. quas consuli fecerat. 35. cum et alienis. 47. abdicatus a magistratu. 49. exercebant. 51. aliis alia lic. est - sævior fuit - in exil. perm. jubent. 54. benef. ac munif. 55. ubi paululum ascenderis. 58. si metu. 59. et ab dextra rupe aspera.

Jug. 4. qui sust. ea. 7. facile occasurum (*eum* m. sec. addidit). 9. item atherbale. (*que* deletum). 11. paucis diebus (spatium vacuum inter duas voces relictum) 14. mali accidisset. 17. in partem tertiam - arboris infecundus. 20. discessere. 23. ad virt. erigere. 24. ex manib. 25. set ab eisd. illis. 25. in senatu potens. 32. Cassius ppl. r. perl. rog. (hinc causam erroris intelligas; primum fuit scriptum p. r. id alii alio modo interpretati sunt; inde factum est, ut duas explicationes in textum reciperent). 33. suasque opes. 34. discessit. 38. Num. decederet. (m. pr.) 39. animus ardebat. 43. aux. mittere. 44. a spurio Albino procos. 47. huic. 49. uti prudentes. 54. regis etiam tum. 55. quo clarior erat. 60. paululum modo. 62. fuit oport. - Legati Jugurthæ imperata facturum qui dicerent - accersiri jubet. 83. vir appetere non audebat, nam. 64. si dim. pars ex. perm. sibi. 67. obtruncati. 69. ex collatio. 71. audivit, ex consuet. 73. decori, modo invidiæ esse. 74. tutata (postremam syllabam man. sec. delevit.) 75. Thalam pervenit. Id oppid. - ibique plerique. 77. gnaviter fecerant. 78. leges cultusque. 81. quis - sunt (m. sec. in his duobus capitibus plurimi codd. *quis* retinent). 85. posteris lumen est (*quasi* m. sec. adscripsit) - quam divitiarum, arma. 86. aliis utilibus (*que* m. sec. adjecit). 93. difficilia faciundi animum vertit - paululum modo - eodem regreditur - qua ipse ascenderat. 97. accepit dubium - difficiliorem *esse*. 101. et in perculsos acrius incedere. 102. unde Jugurtham expulerat. 107. sæpe ante paucis - optimum factum. 110. deberem. Hercule silla - flagitiosum. Ceterum. 111. lenitur et ex. 112. et ei nuntiat - in potestatem habuisset.

Cod. II. (G. 22.) Membran. Sæc. XIII. Sed alia alio tempore scripta. Nam pars Jugurthæ cap. 61 — 101. Sæc. XIV. et cap. 102. usque ad finem recentiore etiam manu exarata esse videntur, certe proprio titulo distinguuntur. Nam cod. inscriptus est: *Salustii Catilinaria et bellum Jugurthinum, Lucii Sillæ ad Bochum regem oratio cum ejusdem responsione.* Codicem Venetiis emtum esse, Olgiatus primus Ambrosianæ bibliothecæ præfectus animadvertit. Ante bellum Jugurthinum tabula geographica delineata.

Ab initio multa omissa et in margine adscripta, sæpius etiam

---

c. 37. ubi omnes fere libri *præceps erat* exhibent, jam antiquitus esse mutatum ab iis, qui *præcipitem ire* haud commode dici posse censerent.

correctus est, et aliquoties lectiones aliorum codd. notatæ; verborum ordo sæpissime turbatus. Paucas lectiones memoratu dignas exscripsi.

Cat. 1. Omnis nostra vis. 2. aut bonæ artis (quem ordinem aliis locis multi codd. retinent.) 3. adulescentulus. 4. incepto studio me. 5. domi militiæ - quomodo (*quæ* m. sec. addidit). 6. ab origine genus - metu percussi. 8. qui fecere ea. 9. jus bonum apud eos. 10. bonas artes. 19. in provincia. 20. ni animus forte fallit. 30. missi sunt. Utrique (*nam* m. sec. superscripsit). 43. uti cum Catilina in agrum Fesulanum venisset. 47. abdicatus magistratu. 48. senatum edocet. 55. ubi paululum ascenderis.

Jugurtha 6. exacta sua ætate, parvis liberis (*ac* m. sec. superscripsit). 7. facile occasurum (*eum* m. sec.) 11. tribus proximis annis. (*his* m. sec. superscripsit). 20. ab Africa discessere - invasit. 23. ad virtutem erigere. 24. me manibus (*ex* m. sec. superscripsit). 31. neque eos qui fecere (*ea* m. sec. adjecit). 33. si verum aperiat. 36. Romam discessit. 38. fame, ferro clausum tenet. 39. animus ardebat. 40. neglegisset (m. pr.) 41. mittere (m. pr.) 44. spei bonæ. 47. comportarent (m. sec.) 50. Romanorum turba. 54. inimicum - neque acie. 60. paululum modo. 71. audivit, ex consuetudine. 75. eo imponit. 76. duobus in locis. 78. leges cultusque. 80. adversum Rom. 84. volente plebe militia. 95. pudeat an pigeat magis disserere. 100. in hiberna quæ - et sane Marius illo aliis temporibus. 101. et in percussos acrius incedere. 102. unde Jugurtham populus Romanus expulerat. 108. pater - ortus erat. 110. deberem. Hercle Silla. 111. lenitur ex voluntate. 113. vultu colore motu corporis. 114. factus et ei.

Cod. III. (H. 202.) Sal. Catilinarium bellum et pauca ex Jugurthino. Codex antiqua scriptura, adspersus notis nonnullis. Forma quadrata, in prima pagina picturæ et hominis imago; multæ glossæ in textum receptæ, paucas lectiones bonæ frugi continet.

Cap. 2. bonæ artis famam. 4. incepto studio me. 9. in pace vero beneficiis. 10. bonas artes. 18. Kalendas Januarii - urbem Romam tam pessimum. 25. psallere, saltare, cantare - dicerneres. 35. cum alienis nominibus. 43. Statilius Gabinius. 47. uti abdicatus a magistratu sit. 49. exercebant. 52. refert mihi atque vobis. 55. ascenderis. 59. et a dextra rupe aspera.

Cod. IV. Membran. Sæc. XIV. De bello Jugurthino, foliis majoribus. Insunt præterea libri de bellis civilibus inter Cæsa-

rem et Pompejum et de bello Alexandrino. Manu secunda sed recentiori emendatus est liber: probæ et pessimæ lectiones mirum in modum mixtæ sunt.

C. 1. bonas artes. 2. secuntur - fuit jus. 4. adept. sim. 10. me falsum. 11. deinde ut ætati. - illum trib. prox. annis. 14. præcepta patris mei. - versabitur. 20. legati Romanorum ab Africa discessere. 23. ad virtutem erigebat. 24. ex manibus. 25. eisdem illis - scelus rapiebatur. 27. est cognitum. 29. Vacam. 30. invidia probarentne - secessione est opus - inter bonos amicitia appellantur - quamquam gravia sint. 33. si vera aperiret. 34. ex concione discessit. 35. paucis post diebus. 37. aliaque incepto. 38. occultiora fuere - fame et ferro clausum tenet. 39. animus ejus ardebat. 43. auxilia mittebant - animum invictum. 44. a spurio Albino proconsule - spei bonæ. 47. opportunitate loci - frequentia. 48. deserta erat penuria aquarum. 49. occultari poterant. 50. collis haberetur quam campi fuerant. 51. hostes et cives - neque acie - in iisdem locis. 57. picem et tædam sulfure mistam ardenti. 60. paululum modo. 62. accersiri jubet. 63. inter bonas artes. 66. alia, quæ spe. 67. inulte obtruncati. 69. ex collatio erat. 73. sed ea res frustra fuit. 74. ceteri ejus milites - tutati sunt. 75. et id oppidum magnum erat - quam plurimum aquæ ut quisque - quam oppido proximam aquam supra diximus. 76. opus jubet ministros tutari. 77. gnaviter fecerunt. 79. eam rem locus ammonuit. 84. plebe militia volenti. 85. posteris lumen est - facundiam et compositam - ex animi sententia - divitiarum, arma - temeritate ducum attrita. Quamobrem. 93. difficilia faciundi animum vertit. 95. qui uti milites cogeret - an pudeat an pigeat. 97. cunctari accepit dubium - ejus proximos - aderat, victis - difficiliorem. Igitur - quia numero plures. 98. feroces esse. 100. in hiberna uti proficiscitur - diffidentia futuri - illo aliisque. 101. apud primos erat - cum plurimis aderat - in percussos. 102. Jugurtham Marius expulerat. 103. deinde in. 104. negotio quod inceperat - Sillam advenire jubet. 105. victoribus adversum eos. 107. optimum factum. 109. sanctus vir, fidus internuncius jurat ex sententia ambobus - statim rex sic loqui incipit. 110. Jugurtham ingredi sinam. 111. lenitur. 112. et ei nunciat - senatus aut populi. 113. vultu corporis pariter atque animo - dicuntur patefecisse - deductus. Per. 114. Illique usque.

Cod. V. Membran. scriptus anno MCCCLXXX. Vicentiæ a Petro de Dolzanis, id quod in calce libri notatum est, negligenter exaratus, multa omissa, multa per compendium scripta; glossæ sæpius in textum receptæ; quare paucas memoratu dignas lectiones notabo.

Catil. c. 7. Sic quisque. 8. ea quantum verbis. 9. in amicis - in pace vero magis beneficiis. 10. bonæ artes. 11. in Asia. 18. tum pessimum. 19. quam plures - in provinciam. 20. spes magnæ dominationis - idem velle atque nolle. 21. proscriptionem locupletum - quam plures periculi (sed paulo infra *cum pluribus* scriptum). 22. addiceret. 23. cœpit, interdum ferro minari. 24. mutuo sumptam. 26. quas consuli paraverat. 28. Curius ubi intellexit - impendebat. 30. item decreverant. 39. animos eorum erexit. 40. negotiatus esset - percontatur pauca. 47. abdicatus a magistratu Lentulus sit. 48. senatum edocet - judicem esse falsum. 51. aliis, alia. 54. ac munificentia. 55. ascenderis. 58. nunc vero quo loco. 59. et a dextra rupe aspera.

Jugurtha. 1. bonas artes. 4. qui sustinent. 7. facile occasurum eum præfecit. 10. vitæ finem facit. 13. quis præcipit. 14. patris mei - in vestra est manu. 17. arbori infecundus. 19. et Numidæ. 33. si verum aperiat. 50. Romanorum turba. 62. bellum sumit. Romæ. 63. bonas artes. 69. uti erat, Metellum. 71. audivit, ex. 73. invidiæ erat. 75. id oppidum. 76. uno die aut nocte. 83. habere eum. 85. posteris est quasi lumen - bonum animum habetote. 93. animum convertit. 95. qui uti - cogeret Romæ - pudet an piget magis. 97. difficiliorem esse. 100. in hiberna propter commeatum - illo aliisque. 191. occurrit aux. 102. pectus tuum demitte - unde Jugurtham expulit. 110. Fuerit mihi pretium - flagitiosum. Cæterum 111. Quem si tradidisset - lenitur. 112. et ei nunciat - ibique Sillam traderet. 113. secum multum - vultu colore motu corporis - occulta patefecisset - accersiri.

Cod. VI. Chartaceus, Sæc. XIV. exaratus. Solum Catilinam continet, emendatus est a manu secunda sed multo recentiori; aliquoties variantes lectiones in margine adscriptæ, verba sæpius transposita et pessimis lectionibus scatet hic liber.

Cap. 4. De quo jus hominis (m. sec.). 8. obscurat. Atheniensium. 10. bonas artes. 12. atque moderati. 14. quottidiano. 15. adultum ætate. 16. torpescerent. 18. nequiverit - Kal. Januarii. 19. Piso in provincia. 20. vindicemus - ingenium est - forte animus fallet. 23. polliceri cœpit, minari. 30. missi. Nam utrique. 31. facies. Ex summa. 34. Conscius fuit (*esset* m. sec.). 35. cum alienis nominibus. 73. ea vero præceps de multis (*erat* manus secunda addidit). 43. Statilius, Gabinius. 47. abdicatus magistratu. 48. senatum edocet. 49. exercebant. 50. electos atque exercitatos orabat in audaciam. 51. eam modestiam - quibus exilium (*legibus* manus secunda addidit). 54. ac munificentia. 55. ascenderis - eo magis assequebatur (*ellam* m. sec. superscripsit). 58. nunc vero quo loco - in vestris dextris - sin metu - quo audacius adgrediendum (*adgrediamini* m. sec.). et a dextra rupe aspera.

Cod. VII. (L. 91.) Chartaceus sed a bono libro descriptus; de bello Jugurthino. Insunt præterea nonnulla ex Ciceronis philosophicis et duæ Invectivæ. Liber a corruptelis satis integer, sæpius optimorum librorum lectiones confirmat et, ubi a meliorum auctoritate recedit, cum ratione errat. Qui brevitatem Salustii, quam dicunt, suis in editionibus exprimere student, is hic codex magno erit adjumento.

Cap. 1. Invenies - virtuti via - bonas artes - suam quique culpam. 4. adeptus sum - nequiverant - et quasi per latrocinia. 7. præficit Jugurtham. 11. in unum convenere - quom multa - illum tribus proximis. 13. quis præcepit, uti primum - ambiundo. 14. versabimur - vestram amicitiam colerent. 17. arbori infecundus. 18. multis sibi imperium. 20. dolore permotum adherbalem. 21. Romam ab adherbale missos. 23. discessisse (sed supra cap. 20. *decessere*) - erigere. 24. me ex manibus impiis. 25. senatus princeps - rapiebatur. 29. scaurum acceperat. 31. dedecora pervenerunt. 32. accersebant - Cassius perlata rogatione p. r. - misericordiam experiri mallet. 33. suasque opes. 38. occultiora fore - fame ferro clausum tenet. 39. accersere. 40. G. Mamillus - ex Mamilli. 43. auxilia mittendo. 44. a Spurio Albino proconsule - spei bonæ. 47. imposuit; frumentum et alia - eo portare - et commeatum. 49. proximum hostes. 50. campi fuerant. 54. inimicum certamen. 62. accersiri. 67. obtruncati. 71. audivit ex. 74. incertusque vagabatur - qua in parte res fuit - tutati. 75. pervenit. Oppidum - ibique plerique - eo imponit - quam proximam oppido aquam supra. 76. una die - superque eas aggerem terras super aggerem impositis jubet turribus opus administros tutari. 77. gnaviter fecerant - petitum - pauci impediverant. 81. quis - sint. 82. linguam moderari. 83. quom victores. 84. cognitos ascire - plebe militiam volente. 85. quo pluris est - videtur mihi illa administrari - is imperatorem - ex animi sententia - nam quom tu te. 92. illi aut mentem divinam, aut. 93. quom unam - difficilia faciundi animum advertit. 97. accepit, dubium - difficilem fore. 100. profectus in hiberna, propter. 101. primos erat. 102. velle de suo, populi - quom te talem - cui scilicet complacuit - unde Jugurtham. 103. ab illis amicis - deinde in itinere. 104. Syllam ab Utica - et ab consule. 105. et adversum quos. 187. pars uti fortem animum gerant hortatur - quom ipse filius - optim. factum. 110. et Hercle - precium tuæ amicitiæ - nunquam tibi. 112. quom talem.

Cod. VIII. (R. 31.) Anno MCCCLIV. scriptus et manu secunda emendatus est. Initio xxv. capita belli Catilinarii desunt.

Cap. 26 R. p. dissentiret. 27. prius si Ciceronem. 28. ubi intellexit - impendebat. 30. nam hi utrique. 32. ibi secum multa. 35. cum etiam alienis. 39. ani-

mos eorum erexit. 43. Statilius Gabinius uti - exsequeretur. 48. Senatum edocet. 49. exercebant. 50. ad eum ubi ventum est. 51. sed aliis alia - mores atque modestiam - laudabat? sceleratos, factiosos - quis finem statuet. 55. paululum ascenderis - dimissus est. 58. nunc vero quo loco.

Jugurtha cap. 4. adeptus sum quales - clara atque magnifica. 6. suæ liberorum ætatis. 7. facile occasurum - Publii Scipionis. 10. Falsum habuit me - natura finem facit. 11. illum tribus proximis adoptione. 14. vos affinium loco - amicitiam coluerunt (*diligenter* m. sec. superscripsit). 15. ne alium putarent. 17. arbori infecundus. 19. aliis - avidis, (ita prima manus scripsisse videtur). 20. Africa discessere - vendicaturum. 21. die extremum (prima manus, quantum video) - dignum fore. 23. ad virtutem erigere. 28. regnum ipsum deditum. 31. at qui sunt, qui. 33. si verum aperiat. 34. discessit. 35. obmisit - Romam recessit. 38. Numidia decederent. 44. auxilii aut spei accedebat. 62. accersiri jubet - at Romæ. 66. alia, quæ. 68. animis eorum erectis (ex emendatione). 71. ex servis cognovit. 75. id oppidum - ibi multi (*que* man. sec. addidit) - eo imponit - quod proximum oppido esse. 76. deinde jubet - tutari jubet. 77. gnave fecere (sed hoc in margine adscriptum). 78. leges cultusque. 84. plebe volenti militia. 85. non eisdem - is imperatorem alium - mea benefacta dicere licet (*met mihi* manus secunda addidit). 93. difficilia faciundi animum advertit - paululum modo prona - paululum arrectus. 95. tanti viri res - pudeat an pigeat (*magis* ex emendatione superscriptum). 101. quem primum attigerant - primos erat - plurimis erat - occurrit auxilio suis. 102. velle de suo - unde Jugurtham Marius expulerat. 103. Sulla omnia pollicitus docuit. 107. quem manus armaverant - ex castris ire. 109. sanctus vir accersitur ex sententia jurat amborum. 110. aliquando tuæ operæ pretium. 111. prius negare agitare - leniter ex voluntate. 112. et ei nunciat. 113. et scilicet oris immutatione tacenti ipso occulta pectoris patefecisse. 114. illique et inde usque.

Cod. IX. (53. P.) Membran. forma quadrata, liber satis emendatus; præter libros historiarum Arretini continet Catilinam et Jugurtham et Invectivas. Insunt præterea duæ aliæ Jnvectivæ Ciceronis in Catilinam et Catilinæ in Ciceronem, quæ in editione Basileensi MDLXIV. p. 1098. typis expressæ esse dicuntur; easdem in codice Romano inveni.

Catilina 1. nam priusquam. 3. studio ad rempublicam latus sum. 6. metu percussi - in dominationem convertit se. 7. per laborem et usu - sic quisque hostem. 9. quod beneficiis magis quam metu. 11. corpus, animum virilem - ne dum illi - temperarent. 12. nihil pensi atque moderati - neque quicquam. 14.

molles, ætate fluxi. 15. color exsanguis ejus. 16. torpesceret manus. 17. Publius et Servius Sillæ, Servii filii. 18. in quibus Catilina fuerat - nequiverit - tum pessimum. 19. quam plures - in provinciam. 21. quietam r. p. 26. quas Consulibus fecerat. 36. agro Aretino. 39. animos eorum erexit. 43. Statilius Gabinius. 45. dimittit cum illis homines militares, qui. 47. abdicatus magistratu Lentulus. 50. lectos, exercitatos in audaciam orabat. 51. sed in exilium mitti. 52. cetera malefacta - non de sociorum - qui mihi, animo. 59. et ab dextra rupes asperas.

Jugurtha cap. 6. suæ atque liberorum. 7. statuit objectare. 17. arborum infecundus. 18. quo nox. 20. discessere - convertit se. 21. dignum fore. 28. hi decrevere. 33. si verum aperiat - suasque res. 34. discessit. 35. ab Italia decedere. 36. Romam discessit. 37. et alia quæ. 38. ita delicta auli occultiora essent - a Numidia discederet. 39. in animo ardebat. 43. undique accersire. 47. comportavit commeatum. 50. deinde pro re. 60. paululum modo. 70. præmia Metelli in pestem ne converteret. 71. audivit, ex consuetudine. 73. decori fuerat. 74. rex affuit - tutati. 75. id oppidum. 76. una die aut nocte. 77. gnave fecerant. 85. divitiarum arma. 93. animum advertit - paululum modo. 97. accepit dubium belli - difficilem fore. 100. hiberna it propter. 101. occurrit auxilio. 102. de suo et - unde expulerat vi Marius Jugurtham. 106. ad Sillam occurrit. 111. agitare cognationem. 113. constituto loco et tempore.

Cod. X. Membran. (P. 89.) Solum Jugurtham continet. Non modo ordo verborum sed etiam foliorum turbatus est. Insunt multa scripturæ menda, et sæpius conjunctiones omissæ; nihilo minus tamen inter multas pravas paucæ bonæ lectiones inveniuntur.

1. invenies. 2. secuntur. 7. quippe neque consilium (*cujus* omissum). sed si ad impetrandum. 17. philosophi plerique - arboris infecundus. 19. originibus suis præsidium - Numidiæ atque flumen. 26. cogundi potestas. 30. probarem tantum. 36. Romam decessit. 39. denique omnibus festinare. 43. Quintus Metellus et Sillanus - auxilia mittundo. 44. sed neque ea, neque more. 47. propter opportunitates - et commeatum - paratis et rebus. 49. neque plane occulti. 74. qua in parte rex affuit. 80. nulla per sociam obtinet. 83. habere magnum. 84. volenti plebe militia. 85. is imperatorem alium quærat - divitiarum arma. 93. cupido difficilia ad faciendum animum intendit. 95. pudet magis an piget. 98. et ipsi duces erant feroces. 102. velle de suo populi - ad hoc populus Romanus visum est melius - unde vi Jugurtham expulerat. 105. advorsum. 107. ad hostis - sæpe antea paucis - qui manus armaverit optimum factum. 108. pater ex concubina ortus erat - tempus ipse deligeret. 110. et Hercule Silla - pretium tuæ amicitiæ flagitiosum. Ceterum. 112. frustra fuisse. Quos Marius accipiens hæc mandata

mittit bocho. Ceterum bochus - in hostium potestatem. 113. tempore, loco constituto - vultu corporis mente pariter - patefecissent - accedit, statim. 114. illisque temporibus et inde usque.

Cod. XI. (A. 40.) Sæc. xv. Continet Catilinam et Jugurtham liber satis emendatus, sed aliquoties glossæ in textum receptæ.

Catil. 1. bonæ artis. 3. adulescentulus. 5. repetere: paucis. 7. simul laboris ac belli. 8. quantum eam - in amicis fideles. 10. bonas artes. 11. artes bonæ, 16. torpesceret manus - quam plures. 20. idem velle atque nolle. 29. nullis earum rerum. 30. nam hi utrique - paucorum potentium - ducenta millia sestertium (ex emendatione). 35. cum etiam alienis. 43. Statilius Gabinius - percussis omnibus - abdicatus (m. sec.). 48. edocet. 51. aliis alia - eos mores atque modestiam - laudabat? sceleratos factiosos - quis finem statuet. 52. non de sociorum. 55. dimissus. 58. compertum habeo.

Jugurtha 1. bonas artes. 4. adeptus sum. 6. suæ liberorum. 7. facile occasurum. 11. in unum conveniunt - tribus proximis in regnum. 14. quem jussissetis - isdem dolis - is ne alium putarent. 18. se gætulis miscuere. 20. discessere. 21. dignum fore. 24. et quæ antea - me ex manibus. 27. agitari cœpit. 28. ipsum deditum. 31. item nostri ordinis. 32. eum interposita - magnis itineribus. 38. Numidia decederent - plena forent. 44. aut spei accedebat. 48. quas potest copias. 49. et pedibus delectos suos (sed *delectos* m. sec. ex emendatione) - occultati - cum dilectis. 62. is, ut opportunum fuit - captos aut occisos - At Romæ senatus. 63. inter bonas artes. 75. quod proximum oppido esse. 77. gnave fecere - majorum facta, cognatorum - is alium imperatorem quærat - jocundiora. 93. difficilia faciundi animum incendit - paululum modo prona - qua ipse ascenderat. 95. pudeat magis an pigeat. 98. feroces esse, quia non fugere, pro. 100. duritiem. 101. apud primos erat - acrius instare jamque. 102. unde Jugurtham Marius expulerat. 103. benevolentiæ 110. tuæ operæ pretium amicitiæ. 111. leniter ex voluntate. 113. vultu, colore motu corporis - et scilicet oris immutatione tacente ipso occulta cordis patefecisse.

Cod. XII. (C. 39.) Chartaceus Sæc. xv. Solum continet Catilinam. Insunt multæ glossæ et pravæ lectiones; sæpius verba transposita sunt.

Cap. 3. haud absurdum. Vel - nequaquam par. 4. sed a quo incepto me. 6. satis pollens. 7. se quisque extollere, magisque - sic quisque hostem. 9. magis quam legibus natura - in amicis fideles. 10. bonas artes. 12. atque moderatis. 14. qui alienum æs grande. 17. domi nobiles. Præterea. 18. nequiverit - tum pessimum.

19. in provincia - in medium relinquemus. 20. nobiles volgus - ubi volunt - en illa, illa - utemini. 21. cum eo se consule. 24. sumptam mutuo. 36. ac veluti tabes. 47. abdicatus magistratu. 50. aliis alia - sed ad exilium permitti - ex bonis orta sunt - sceleratos et factiosos. 52. malefacta. 55. ascenderis. 61. vivus ceperat.

DE CODICIBUS VENETIS.

Bibliothecæ St. Marci codices, jam multo accuratius quam antea digestos, inspiciendi et examinandi copia mihi facta est a viro clarissimo Bettio, bibliothecæ præfecto, cujus eruditionem, facilitatem atque comitatem jam tot viri docti experti sunt, ut ejus nomen non minus in Germania quam Venetiis celebratum sit. Cum ex legibus non nisi tres horas singulis diebus in Bibliotheca studiis vacare liceat, facile passus est, ut ego duplex temporis spatium ibi commorarer. Qua re factum est, ut septem codices Salustianos brevi examinarem.

Cod. I. (Clas. X. CIII. a Morellio inscriptus). Pergam. Sub finem Sæculi XI. vel initio XII. exaratus; folia nonnulla lacerata et aliquoties contaminata; ductus literarum in fine codicis vetustate deleti, verba sæpissime transposita, alia omissa; nec desunt menda scripturæ. C ante *i* sæpissime cum *t* mutatum, *e* pro *æ* scriptum, *h* alieno loco appositum et omissum. Orthographia antiqua in nonnullis vocibus servata; *lubidinem, neglegere, neglegentia, adlevati, adscendere, adgredi, communis omnium hostis* (cap. 81.) *difficilis* (cap. 87.) etc. Liber melioribus adnumerandus; ex quo hoc certe discas, non ubique iis codicibus fidem esse habendam, qui cæteris breviores sunt.

Catil. cap. 1. qui student sese - obedientia ventri - omnis nostra vis. 2. peregrinantes transiere. 3. tu memores. 6. prospera, pollens - nomen regium - ingenium validum. 7. laboris belli simulac paciens - discebant usu militiam - sic... hostes quisque - ea divitias, bonam famam. 8. minores quam. 10. falsos subegit - promptum habere edocuit. 19. in provinciam. 20. omnia victoribus præmia. 21. cum eo consulem. 30. missi; utrique. 40. negotiatus esset. 43. uti Catilina. 46. quid facto opus sit. 47. cui fatum urbis potiri - abdicatus a magistratu. 49. exercebant - oppugnatus pecuniarum. 50. electos exercitatos orabat in audaciam.

51. quibus exilium damnatis. 58. in dextris portare. 59. tumult. causa. 60. omnibus exploratis - inducit dein utrimque.

Jugurtha cap. 4. qui ea sustinent virtus. Verum. 7. facile occasurum. 9. eum dimisit - senatui sit - igitur rex Micipsa ubi quæ fama. 11. illum tribus proximis. 14. regni habiturum - ut ille, quem tu parem liberis. 17. in parte tertia - in Europam. 18. neque legibus aut imperio - qui alveos.. 24. manibus ex impiis - memoria manet. 25. porro libidine cæcus rapiebatur. 30. inter dubitationes et moras. 31. quod majus dedecus - neque ego Quirites hortor. 32. sui imperatoris plurima flagitiosissima. 33. vera aperiret - suasque opes. 34. discessit. 36. Romam discessit. 38. Numidia decederent. 48. penuria aquarum. 49. circuiens - uti prudentes - occultati. 50. antea jam - quattuor. 54. interfici jubet. 58. propere mittit. 60. pariter oppidani. 62. aut occisos. 70. in quis molliciem. 71. audivit ex consuetudine - ex servis. 73. decori fuerat. 74. agitabat se - virtuti an fide - adfuit pugnæ - ceteri ejus milites - tuta sunt. 75. id oppidum. 76. dein locis - aggerem jacere jubet - opus et ministros (*ad* manus sec. delevit). 77. naviter. 80. advers. nos bellum - nulla (man. prima - man. sec. *nullā*). 81. operæ pretium. 83. habere eum. 84. plebe militia volenti. 85. supplicii modicos (unde conjicias, *supplicis* primitus scriptum fuisse) - ita res habet - sed quam egomet meis plurimis - ipsa virtus satis ostendit - profuerant - divitiarum, arma non - jocundiora - animum habete - tuta sunt - uti boni honestique plura. 87. capi aut occidi. 88. exploratum. Sed. 89. visum Erat. 90. lybis - oppido loca propinqua. 91. antea neque beneficio. 92. clarus ante. 93. animum accendit - qua ipse ascenderat - quattuor. 94. diu multum fatigati. 95. ocio luxurioso; ceterum - an pigeat magis. 97. accepit dubium. 98. ac se pro victoribus (*atque* m. pr.) 100. hiberna it, propter. 101. Marius apud primos erat, quia ibi Jugurtha cum plurimis astabat - profligatis is. 102. duo quam fidissimo (*s* m. sec. apposuit; sed alias etiam *s* sæpissime omissum; ita paulo infra : *amico quam servo*) - de suo et - ille sine mora statim - quo ingenium ejus aut adversum - cui 'scilicet vim - multa opportuna quo facilius (quæ desunt, m. sec. addidit) - numquid valeat - omittere, si per Marium. 103. placeat legatos ire jubet - deinde in itinere. 104. confecto, quo intenderat negotio. 105. arbitratu communibus. 106. ad Sillam occurrit - ante consedisse. 108. nam insidiis ejus - attenuisse. 109. tunc res - internuncius sanctus jurat. 110. ratus, fore maximas - lenitur et. 112. et ei nuntiat - aut pop. R. fieret fœdus. 113. loco constituto, tempore - patefecisse - accersiri. 114. Kal. Januarii.

Cod. II. (381. arm. 5. A. 11. Th. 12.) Octonis Sæc. XIV. eleganter scriptus; verba sæpius transposita sed ab ipso librario emendata, et pars extrema Jugurthæ recentiori manu exarata est. Libra-

rius bonum exemplum secutus et ipsos ductus literarum antiquos imitatus esse videtur; sed quæ fuit hominis imperitia, etiam glossas recepit et verborum ordinem turbavit.

Catil. cap. 1. animantibus. 3. ibique multa adversa fuere. 4. explananda, quam. 6. coaluerunt - dominationemque convertit (*se* manus sec. addidit). 7. simulac laboris belli - sic quisque - quibus locis. 8. sicuti existimo - minores, quam fama - fecere ea. 9. se remque publicam. 18. tum pessimum. 19. in provinciam. 20. quom tabulas. 21. cum eo se Consule. 22. ficta hæc. 28. ubi intellexit. 30. nam utrique. 33. quom et alienis. 38. est restituta. 39. erexit - isdem temporibus. 40. negotiatus esset - uti sui misereretur. 45. quis sim. 47. cui fatatum erat - quom prius - abdicatus a magistratu. 51. magna est mihi - ut is in proscriptorum - exercitus sit in manu. 53. quare quom - magnus atque clarus. 55. ascenderis - dimissus. 58. quo loco - adgredimini - quom vos. 60. utrisque ex lateribus.

Jugurtha cap. 1. sui natura. 2. animo et corpore - et alia hujuscemodi. 6. primus ferire. 7. facile occasurum - Publii Scipionis. 10. vitæ finem facit - monumenta plurima sunt. 17. diversum, tamen. 19. Numidæ - erat. 20. discessere. 27. aliaque bello usui forent. 31. quo magis dedecus. 32. Romæ aguntur - plurima flagitiosissima - timido ex conscientia diffidenti. 33. socios suos tanti sceleris. 37. aliaque incepto - tumultu percussi insolito. 42. desereret. 46. opportunos cognorat. 50. Romanorum turba. 52. non prælio neque acie. 55. latius crescerent. 60. paululum modo. 62. sibi Numidæ consultent - accersiri - sumit. Romæ. 68. ire, signa. 69. uti erat, Metellum. 70. in quis molliciem. 76. uno die ac nocte - jubet duobus locis. 77. gnaviter. 79. quo fines. 83. habere eum - plebe volenti militiam. 85. faciunt idem - mea facta dicere licet - ex animi sententia - bonum animum habetote. 89. procul abesse aliis - libis memorabatur. 91. infidum erat - coercebatur. 93. animum convertit - paululum modo. 95. an pigeat magis. 96. in vigiliis multus. 97. difficiliorem esse. 98. quom. 100. in hiberna : propter. 101. morati fuerant - primos erat - plurimis erat - occurrit auxilio. 102. pervenit oppidum - quom - cui scilicet complacuit - demitte - expulit - obmittere. 103. permittit ipsis - aut benivolentia esse. 104. quom. 105. arbitratu communibus - equitum peditum. 106. occurrit - totieus - quom. 107. haberet, spes - cum ipsius. 108. populus Romanus quæ vellet - Romanos, Numidam. 110. terra hac omnium opulentissimus, quos - fuerit mihi precium. 111. multum disseruit - in gratia habituros : quem si tradidisset - peteret, ultro adventuram - lenitur et. 112. condicionibus - aut pop. Rom. 113. promittit - loco constituto et tempore - occulta patefecisset - Tum postremo - accersiri - enuntiatum.

Cod. III. (CCCCXXXII. Arm. 50. M. M. Th. 2.) Codex eleganter scriptus et satis correctus, Sæc. XIV. initio pulcherrimæ picturæ; viri imago librum tenentis præcedit Catilinam, in prima pagina Jugurthæ conspicitur miles, equo insidens et hostem telis petens. Tabula geographica etiam in aliis codd. exarata in hoc multo elegantior et accuratior est. Insunt præterea Invectivæ et Ciceronis orationes pro Deiotaro et in senatu post reditum habitæ.

Catil. cap. 1. obedientia ventri - indiget. 2. transiere. 3. delicta quia plerique, quæ tu - incepto studio me. 19. in provinciam. 27. opportunum esse sibi credebat. 30. nam utrique. 35. cum alienis nominibus. 44. qui sim. 47. cui fatatum foret - abdicatus magistratu. 48. agitabant. 49. exercebant - faucibus urguet. 55. paululum ad lævam ascenderis.

Jugurtha cap. 2. ex anima et corpore est. 4. studium laudando - qui sustinent. 6. sui animi cupidinem - talem virum si dolis. 9. cum literis quas - tibi pro certo scio gaudium esse. 11. paucis diebus post - de cunctis disceptarent negotiis - transductus est. 13. metus invasit - in otio potiebatur. 14. præcepit mihi. 17. arboris infecundus. 19. tempus nos monet - inter eas Leptis - et Numidiæ. 20. ab Africa discessere. 21. quos ab Adherbale Romam missos ante prælium factum. 23. Africa discessisse - ad virtutem erigere. 24. vellem hæc, quæ scribo - me ex manibus impiis - remanet memoria. 25. ab eisdem. 31. a meo parente - uti contra injurias - neque eos, qui fecere - vobis fecisse - per consuetudinem pro nihilo. 32. at Cassius perlata rogatione - sese suamque spem. 36. Romam discessit. 38. augere ejus - Numidia discederet. 43. socii, nomen latinum et reges ultro auxilia mittere. 44. spei bonæ. 47. comportarent. 62. captos et occisos - accersiri jubet. 63. vir appetere non audebat. 64. exercitus sibi si dimitteretur. 66. tela et alia. 67. obtruncati sunt. 73. decori, modo invidiæ esse. 79. eos magno diuturno. 80. quis omnia honesta et inhonesta. 84. volenti plebe militiam. 85. cognatorum, adfinium opes - mea beneficia - quod est contra - mihi mea benefacta - abunde illis facundiam - nam me ex animi sententia - bonum animum habetote - tuta sunt - quibus est militaris ætas. 86. aliis utilibus naves. 93. usus erat - faciundi animum advertit - paululum modo prona. 95. pudet magis an piget. 97. accepit dubium - difficilem fore. 98. de hinc cunctos - aut pro victoribus seque agere - atque iter faceret. 107. dein paucis, quo ire. 108. populus Romanus quæ vellet - delegeret - quò consulto - multumque eum cum. 109. accersitur. 110. nunquam ratus fore - debere. Hercle - ante cognitum - amicitiæ precio - at finis meos adversus Romanos armatos - id obmitto. 111. ultro illi adventuram - metuere fluxa

fide - lenitur. 112. et ex Silla - et nuntiat ei. 113. occultare et oris immutatione dicitur patefecisse - accersiri - uti dictum est. 114. illique et deinde.

Cod. IV. (Class. x. Cod. xxvi.) Chartaceus; sed emendatior quam multi alii codices. Nota verbi substantivi est non satis dilucida, ita ut haud facile constituas, quibus locis retinendum sit; nonnullis in locis emendationes librarii leguntur, qui plus ingenii acumini quam librorum auctoritati tribuere videtur.

Catil. cap. 4. detenuerat. 5. nobili genere fuit (sed primitus videtur scriptum fuisse *natus* et verbum omissum) - satis loquentiæ (sed per emendationem.) 6. auxilia portare. 7. semper his - simul ac laboris . . . . paciens - ea divitias, bonam famam. 9. in amicos (ex emendatione) - vindicatum in eos. 25. haud facile decerneres (ex emendatione). 26. quas fecerat consuli. 30. missi sunt. Utrique - et ducenta sextercia. 36. in agro Aretino - tanta vis morbi uti tabes. 40. Gabinium accersivit (ex emendatione). 44. quis sim. 47. abdicatus magistratu. 48. senatum edocet - ne Lentulus eum. 49. exercebant. 51. fortuna . . . pares sunt (media vox erasa). 52. malefacta (ex emendatione). 55. ascenderis (ex emendatione). 61. a dextra rupes aspera.

Jugurtha cap. 11. ea modo in animo habere. 17. plerique partem tertiam Africam posuere - arboris infecundus - cœlo et terra. 19. in ora maritima. 20. discessere. 23. ad virtutem erigere. 25. sed ab isdem regis fautoribus - quod rex in invidia. 26. uti quisque armatus fuerat. 30. tempestate Cai Memmii facundia. 34. discessit. 36. Romam recessit. 37. alia, quæ incepto. 38. clausum teneret. 43. G. Metellus et M. Silanus - auxilia mittere. 52. et diei vesper aderat. 64. si dimidia pars exercitus sibi. 74. spem in armis. 75. ejus oppidi si potitus foret - tanta repente cælo emissa. 78. jacere, impositis turribus opus et ministros tutari. 80. incepto opportunum bello. 81. quis . . sint (ex emendatione). 84. arcire - plebe volenti militia. 85. eisdem - hoc peti debere - tutari virtute æquos et bonos - mea beneficia - a pueritia fui edoctus - is imperatorem - posteris quasi lumen: neque bona - si mihi vellent respondere - illis artificio opus, ut - divitiarum, arma - bonum de Numidia habetote animum - exercitus ibi locorum sciens - attrita. Quamobrem. 88. exploratum (*est* omissum). 91. coercebatur. 93. dies, noctes æstuans. 95. pudet magis an piget. 97. accepit illum dubium. 98. duces feroces erant - sed ea Romanis. 101. percussos Romanos - profligatis his - occurrit auxilio - videre sequi. 102. cum iis disserere - tutiusque rati - nostra opportunior amicitia - scilicet placuit - nostram experiri - beneficiis victum; nam - Jugurtham expulerat. 103. quos in corruptos reliquerat - consultorque adsit - Silla omnia pollicitus. 104. in quibus Romam - et Consule. 106. simul præsidio - intento voltu - audi-

tum, tum. 107. ex castris ire - perventum, Ibi multum familiariter agebat se - carus et acceptusque - fidumque - cavere - attenuisse. 110. fuerit mihi pretium - flagitiosum.*) Cæterum. 112. et ei nunciat - tum fore jussu - non sua captum ignominia. 113. loco instituto, tempore - ac bonæ spei esse - remotis aliis - quæ scilicet ita tacento ipso occultant, oris immutatione patefecisse - arcessiri jubet ex - et ei nuntiatum; Jugurtham 114. pugnatum male quo - et deinde - nunciatum Marius. - absens factus et ei (ita etiam Codex V. Venet. qui liber pessimus) Januarii - ea tempestate - sitæ sunt.

Cæteri codices, qui in Bibliotheca St. Marci asservantur, mihi indigni visi sunt, quorum lectiones notarem; nam vel levius illos tractanti tot occurrerunt vitia, menda scripturæ, glossæ et quæ alia peccata ab incuriosis librariis committuntur, ut libri isti vix pravam quandam editionem æquare viderentur. Inscripti sunt ita: alter apud Morellium 101. clas. x. cod. ccvi. Sæc. xv. alteri gentis nobilis insignia præfixa, Leo alatus et panno indutus; Sæculo xiv. scriptus esse videtur. Forsitan idem est liber, qui in Catalogo Bibl. Naniani septuagesimus secundus numeratur. Sed ordo verborum mirum in modum turbatus, quamvis secunda manu correctus sit. Tertius Chartaceus (clas. xiv. cod. clxxix.) Salustii vitam et annotationes in ejus historias continet. Sed commentarius tantum septem priora capita Catilinæ complectitur; sunt meræ glossæ rhetoricæ a magistro discipulis dictatæ; in vita nihil inveneris, quod non ex ipsis historiarum libris cognosci possit.

DE CODICIBUS ROMANIS.

a.) CODICES VATICANI.

Cod. I. In prima pagina hæc scripta: Cod. Vatic. 3864. *Cai Cæsaris belli Gallici libri VIII. Cronica ejusdem, epistolarum C. Plinii Cecilii secundi Libri IV. Orationes et epistolæ ex libris historiarum Sallustii.* Forma quadrata; hunc librum sæculo x. scriptum esse judicat vir clarissimus, Niebuhr, hujus rei censor

acutissimus. Qui quidem liber num a prioribus editoribus collatus sit, equidem nescio; qui enim κατ'ἐξοχὴν cod. Vaticanus dicitur, cujusque aliquot lectiones in historiarum fragmentis laudavi, cum hoc libro rarius consentit. Orthographiæ antiquæ ab initio pauca vestigia, sed sub finem plura leguntur. Ea non solum scribendi rationem, quæ vulgo Salustiana dicitur, confirmant, sed multo horridiorem primitus Salustianum sermonem fuisse eandemque quam Catonis Origenes, verborum asperitatem retulisse, testimonio sunt. Hæc enim a librario excogitata fuisse vix credideris. Cum hic liber haud dubie optimis Salustianis Codicibus adnumerandus sit, eum cum mea editione accuratissime contuli et variantes lectiones omnes notavi.

Oratio Catilinæ apud Conjuratos. (cap. 20.)

Nequiquam - malaque esse intellexi - magis magisque animus - condicio - nosmetipsi - dicionem boni atque strenui - nobiles et ignobiles - volgus fuimus (*u* m. sec.) - iis obnoxii - pericula repulsas - o fortissimi viri - ingenium est - divitias suas vincere - Expergiscimini ! illa, illa - vos hortantur - utemini.

C. Manlii mandata. (cap. 33.)

Fæneratorum plerique patria - nostrum cuiquam - majores vestri - plebs - neve nobis eam.

Oratio C. Cæsaris in Senatu. (cap. 51.)

Haut facile - quæ reges - consuluerunt - apud vos valent - adprobo exuperat - sententiam dixerunt - atrox non permovet - oratio accendit - ego sic existimo - præsertim diligentia - in armis sint - possum equidem - in sententia non addidisti - prius in eos verberibus animad. - grave est - levius est - rebus bonis orta - ignaros ejus - ii primo - initium magnæ - ut is in proscriptorum - circumveniri - ego hanc causam - major illis fuit.

Oratio C. Catonis in Senatu. (cap. 52.)

Haut facile - neglegentiam - hæc cujuscunque - ne illi sanguinem - opes minores sunt - copia quam illis est - ad bellum accersunt - dux hostium cum exercitu supra caput est - deprensis hostibus - misereminí censeo - in miseriam convertat - videlicet dis immortalibus - Cæpario - et alii intra - atque in sinu sunt - occulte potest - iique indicio T. Vulturci.

Oratio Catilinæ. (cap. 58.)

Nequiquam - officit - nobisque cladem - quo loco - omnis intelligitis - adgredimini - voltis - is maxumum est - æstumo.

Oratio Micipsæ ad Jugurtham. (cap. 10.)

Te Jugurtha - regnum meum - oneravisti - inter mortales est - vitæ finem facit - obtestorque te - inbecillum.

Oratio Atherbalis in Senatu. (cap. 14.)

Vos adfinium loco - posse a vobis aux. - iis finibus ejectus - suphacem - liberis regnique - nunquam ergo - isdem dolis nonquit - tutì sumus in - beneficis suis ratus est - aut quo potissim - propinquos - ceteros, alium - anima est - mali accidisset - exul - expecto (ita semper) - neu fœdera - transvorsos - quoius impio - ne ille, qui nunc - sed omnis has - patres c. subvenite - misero mihi (omissa, quæ in cæteris codd. interposita sunt.)

Oratio C. Memmi Tr. Pl. ad populum Rom. (cap. 31.)

Obviam ire potentiæ factionis - M. Fulvì cædem - honores non prædas haberent - Vos in imperio nati - At qui sunt ii - sceleratissumi - Itaque quam quisque - omnis idem cupere - curam libertatis - magis vobis fecisse - æterna sollicitudo - intellegetis - impunitum amittatis - ærari - nisi vindicantur - quid relicum.

Oratio C. Mari Cons. ad populum Rom. (cap. 55.)

Non isdem - maximo vestro beneficio - mea beneficia in rem publicam procedunt - imperatorem jussistis - probra objiciuntur - ex matre Albini - faciant item - hæc per illa cepi - ita se res habent - inopiam fateor - facundiam et compositam - egomet plurimis laboribus - præsidium agitare - incultum moribus - prætii eoqum - sudorem et alia talia - turpissimi bonorum - bonum animum habete - et mehercules - aut in prælio - Etenim nemo ignavia.

Oratio L. Sullæ ad Regem Bocchum. (cap. 102.)

Magna lætitia - tutiusque rati - dein quia parentes - demìtte.

Oratio R. Bocchi ad L. Sullam. (cap. 110.)

Sulla nullius indigus - prætium amicitiæ tuæ - nihil carius est - adfinis meos adv. - gerite quod vultis.

C. Crispi Sallusti Oratt. excerptæ de bellis explicit feliciter.

C. Crispi Sallusti Orationes de historiis incipit feliciter.

*

Oratio Lepidi Cons. ad populum Rom.

L. Sullæ - quam ulciscendo - nominis, optumis - dominationis in vos - scævus - memoriam humani - inlustrium - manus conserentis - Sullam non pænitet - quantum audeatis - pessumis serv. - volnera - paucos intellegerint - maxuma turb. - posteris ad rem. p. - bene juvantibus divis - Aemillium.

Oratio Philippi in Sen.

Accersi - nemo diurna - mari damasippique - ne patiamini - secuntur - urbem invadat - temptans - pax et concordia - decreta paratis, quanto mehercule - et ali boni - deos penatis - digna nomini.

Oratio Cai Cottæ ad populum Rom.

Reppuli - acta jam ætate - deos penatis - quin omnia memorata - penatis - per montis fuga - partem sumptum - fortuna communis - ingenio corporis - advorsa - nequiquam.

Oratio Macri Trib. Pleb. ad Pl.

A Sulla - relicuum est - certaminis advorsa - ex poliis vestris - vobismet ipsis - concessere illuc - ad vos plerique - mum officere - invidiam mutuere - Sulla - Bruto et Mamerco Coss. - Quintium - condicio - nunc animum advortere - tribunos plebei - triumfos - absolvi cura - cavendus dolus est - Pompei - qua non gloria.

EPISTULAE.

L. Catilina salutem dicit Q. Catulo, (Catil. 53.)

In magnis meis - optinebam - non possim - et alienis - set quod - habeto.

Epistula Lentuli ad Cat.

* * *

Ep. Scipionis ad Micipsam.

Gratulor habes.

Ep. Cnei Pompei ad Senatum.

Deos penatis - volneribus - ærari - agentis - aliut - Indigetis - novis militibus - hiememque castris - quid deinde - prælia - flumen durium - condicio - maritumus.

Ep. Adherbalis ad Senatum.

Sæpe vos - dehortatur me - dein patrio - quid est relicum - vis commoveri possit - cruciatum corporis.

Epistula Mithridatis.

Societate morantur - quæsitur - et scelestissimi, egregia misceris perem - maxume accepiet - qua primo cum - fracto Philippo - occiderum en cujus - post habitum custodiæ - per triumfum - Nysa - appellaverat - diunctum undique - quom mihi - bellum cœpi - calchedona - pulcherruma - hiemps - regredi conatus - meis militibus procul ab domo - quô neque vincere - nisi partum - sine patria parentibus - potentisque - excindant - maxume - Seleucea - inclytis - spolia maxuma.

Ad Cæsarem Senem de Republica incipit feliciter.

Fortuna dono per mortaleis - maxume - ut fabricata - haberei couruant - formeidatur - pervorse - illei - pessumus - asperrume - advorsum hostis. - magna, mediocris sapientia - utei - qualeicunque - composuereis - 2. adfinitas - volgi - ineiquorum - quieteis - lubebat - ex queis magna pars - 3. opt. dictu est - reccidat - iis læta - hostes nequiores - barbaro ritu - 4. Sullanum - oblivio interfecit - avorsum fratres parentisque - deterrumi - lubidini - voluptatis - attingerit - 5. fatum excidii - civis cum civ. - vel concordiæ - dempseris - suam quoique - pulcherrumum - in civis - acc. conquirit - fenerator - 6. is, qui se - lubidini - ne ista - pravas artis - flagitis obsecutus - quom mox - maxume fretus - res pravas - uti pleps - maxuma omnium - atque dedecus dempseris - quom animo - magneis auctoribus - convenissent - contempsisse pervorsam - 8. eam signis - nequeiquam - volgo cupiunda - haut - ne uti adhuc - facient - reprehendunda - quæm edita pectore - pænitet - relicuum est - di immortales adprobent.

(Epistula II. sine titulo.)

Quoiquam mort. - quojus - cognitum habuerim - haberei - quojus rei lubet - faciundo 2. indigna virtute tua cœptas 3. quojus - ne æqueis quidem legibus - adimunt, quæ luget: innocentis - aut dissensio - tot tam inlustris - in victoria 4. L. Sulla - partis - at Herculem Catonem - quom interea - non luctus, gemitus, virorum, mulierum - malefaciundo et dicundo - quanto mœrore - 5. maxuma - in armis aut in militia - dominus erat - inbuta - in artis - 6. inprudens sum quom - quom indignabuntur - inponi auctores fuerant - maxumum - videlicet sibi - existimaverant - poteretur - fideique. 7. Adv. deprimere - maxume animum exerceto - maxumum - res referet - succumbat - una ardua - lubet - fors tulit 8. Sed magistratibus - apsurde - sorte centuriæ - ita coæquantur - iniqui memorant - quojus si - inertia stupor - æstumant 9. maximum imperio maxumo - Domiti - quojus - sicut instituto - L. Postumii. M. Favonii - prætii 10. patris consilio - bellis asperrumis - contra hostis ignarei - 11. gratia fertur - æstumant - obtabilis - lubido tulit, fecere - obœdiundum 12. factum

fuit - maxumeque - modo quam primum - invisier - quojusquam - divisa præmia - suus quoique - 13. patriam maxumam - bonas artis - pro iis ampl. - maxumo - lubido - demptis optrectationibus - utilissima factu - optestor.

Cod. II. (Bibliothecæ Vatic. 649. B. Urbinatis 411. inde enim Romam translatus est) Pergamenus, foliis majoribus, elegantissime scriptus et picturis ornatus. Insunt *Sext. Aurelius, Justinus Epitoma. Sextus Rufus, Salustii Crispi Orationes. a Federico, veterano Urbinate, scriptus est, imperante Federico, Urbinatium magnanimo duce.* Librarius meliorem librum secutus est. Aliquoties Vaticanum, qui vulgo dicitur, confirmat, cujus lectiones nonnullas Carrio notavit; quare, ubi uterque liber consentit, non laudabo hunc codicem, ne forte ejusdem libri lectiones duorum librorum auctoritatem sibi adrogent.

In nonnullis tamen hic liber ab ejus, quem Carrio Vaticanum dicit, auctoritate recedit, ita ut quo ille libro usus fuerit, vix ad liquidum perduci posse videatur.

(*Or. Lepidi sine titulo.*)

Per ceteras gentis - quam ulciscendo - dominationis in vos - sævus iste - honesta extimet - exutus imperio - cogitandi inops - expectat - Vectius - approbetis omnes - satis illa fuerunt - conserentis inter - ab extremis in nosmet - quantum audeatis - quam audias - penes se quod publica res sit - pax et composita intelliguntur - exitia probare, annuite - rempublicam suimet.

Oratio L. Philippi.

Lepidus erat latro - dein Mari - ne patiamini - præmia secuntur - rursus invadat - luxuria atque licentia - secordia - pax et concordia - jura inscindi - quasi patrium reddideritis - paratis. Quanto - Mehercules - adversum deos penatis - digna nomini - secordiá nostra collecta - uti App.

Oratio Cottæ.

Tollerari - reppuli - in que is omnibus - labos - acta jam ætate - deos penatis - a patria adulescentia in ore vestro privatos - deosque penatis - jure naturæ - per montis - sumptum sustinet - socordia (m. pr.) per vos quirites.

Oratio M. Licinii.

Diss. fuit docendique - exuti - vobismet ipsis - illuc omnes - ad vos plerique - An dub. hab. num officere - ortus est - animum advertere - deinde ne nos - trib. plebei - labos - et ignavi quisque tenuissima perfrustrantur - delinimenta - Pompei - qua non glor.

Ep. Cnei Pompei ad Sen.

Penatis - Italiæ agentis - lacettaneam indigetis - novis militibus - substinui - flumen Durium - pro queis.

Ep. Mitridatis.

Deinde quod quæsitum - scelestissimi egregia - Carthaginensibus - fracto Philippo Antiocus - apud Samotraciam (m. pr.) - prodiderunt - post habitum custodiæ - filius Nysa - regredi conatus - arctis locis - militibus procul a domo, parvo labore - cum neque vincere - potentisque.

Ep. I. ad Cæsarem.

Id eo evenit - 2. immane dictum est - discesserunt - 3. quod optim. factu sit - 4. oblivio interfecit - parentisque - attingerit - 5. quæso considerare - civis cum civibus - exanguis vel concordiæ - vel discordiæ - pro secordia extiment - in civis - veteribus conquirit - 6. ne ista - pravas artis - pacem et concordiam - 7. plebes - usum atque dedecus - omnisque victores - uti adhuc - stip. facient - domos reverterunt - cum edita pectore evolat.

Ep. II.

Cognitum habuerim - dignit. haberi - cujus rei lubet - neque ex fortuna - defessi sunt - 2. indigna virtute tua cogitas - queri quicquam audeant - 3. in servitutem - tametsi antea - lubet: innocentis - secordia - 4. L. Sulla - partis suas - A Hercule Catonem - non luctus, gemitus, virorum, mulierum - malefaciundo et dicundo - 5. in armis aut in militia - artis vitasque - plebes 6. quo mea res agetur - secordiæ - auctores fuerunt - 7. host. adv. deprimere - renovata plebs - anim. exerceto - aut substuleris - res referet - succumbat una ardua - lubet - judicium fit - 8. haud mihi absurde - Graccus - Itaque coæquatur - inertia stupor - 10. Nunc quoniam - civit. et nationes - plebs - patris - contra hostis - secordia - pleraque insitia - ita in occulto - dubium est - resp. adjutetur - secordiam - insomnis - bonas artis - per gentis omnis - utilissima factu.

Ex Codd. Vaticanis, qui integrum Catilinam et Jugurtham continent, sex meliores accuratius examinavi et lectiones præstan-

tiores notavi. Numeri lectionibus additi ad Codd. spectant, quorum auctoritate illæ firmantur.

Cod. I. (B. Vatic. 1731.) Pergamenus, foliis minoribus eleganter et magna cum diligentia scriptus, sed recentior.

Cod. II. (B. Vatic. 1832.) Pergamen., foliis minoribus, sine titulo. Nonnullis locis a man. sec. correctus.

Cod. III. (B. Vatic. 1833.) Perg. sine titulo, qui erasus esse videtur. Ductus literarum fere iidem, qui in Basileensi I; insunt multa compendia scripturæ sed explicatu facilia.

Cod. IV. (B. Vatic. 1834.) Perg. fine Sæc. XI. vel initio XII. scriptus; folia vetustate fusca; brevia scholia in margine; desunt in fine Jugurthæ quatuor capita. Secunda manus ductus literarum renovavit, librum aliquoties emendavit, sæpius corrupit.

Cod. V. (B. Vatic. 1835.) Pergamenus, octonis Sæc. xiv. elegantissime exaratus. Primæ paginæ literis aureis hoo inscriptum est: *Salustius Julii II. Pont. Max. Bibl. secretæ dicatus.* Accedunt elegantissimæ picturæ in primis foliis Catilinæ et Jugurthæ.

Cod. VI. (B. Vatic. 2068.) Sæc. xii. Aliquoties *x* pro *fs* scriptum, *c* sæpissime cum *t* commutatum.

Catilina 1 - omnis nostra vis 3. 4. 2. nam priusquam 3. 4. 2. beluis 1. 3. 4. 5. - c. 2. - transigere 3. m. pr. transiere 2. 1. 4. 5. et 3. m. sec. - 3. - At mihi quid 4. 5. Et m. q. 3. - 4. - studio me 1. 3. 4. 5. secordia 5. memorabile extimo 1. - 5. - *credibile est* 4. m. sec. adjecit. *natus* omisit 5. *cupiundæ* 2. 4. 5. - - 6. temptare 1. 2. 4. (et ita sæpius) metu percussi 1. 4. - 7. - sic quisque 1. 4. extollere magis 5. laboris belli simulac patiens erat, in castris per laborem discebant usu militiam 2. sic hostes quisque 2. sic quisque se 5. quas urbis 5. - 9. - in amicis 1. 3. 4. beneficiis magis quam metu 1. 2. 3. 4. 5. - 10. - neglegere 1. 2. 3. 4. promptum 1. 2. 5. - 11. - bonus, ignavus 5. insatiabilis, neque 5. mollierant 5. quem in Asia 2. 5. - 12. - atque moderati 1. - 14. - seditiosorum et flagitiosorum 1. 2. 3. 4. 5. nisi quod in 3. (sed ex emendatione ita scriptum esse videtur) - 15. - adultum ætate 1. 2. 3. 4. 5. - 16. - torpesceret 1. 2. 3. - 17. - nobiles, præterea 3. - 18. - fuit Catilina 1. Romam tam 1. 2. 5. *tam* 4. m. sec.

superscripsit. 3. omisit. - 19. - in provincia 1. 4. 5. (om. 2.) - 20. - satis spect. 1. 2. 5. 4. foret 1. 2. 3. 4. 5. eadem mihi 4. idem velle atque nolle 3. o fortissimi 1. 2. 4. victoria in manu est 6. in manu vobis est 3. Omnia victoribus præmia ponebat 1. 2. utemini 2. - 21. - hominem familiarem 1. 2. 5. - 22. - ficta hæc et 1. 5. ficta et hæc præterea 4. - 23. - cœpit : minari - 25. - fortunata erat 2. psallere saltare 6. - 26. - ne contra rempublicam dissentiret 1. 2. 3. 4. 5. Catilinæ proderet 2. clientum 2. - 27. - opportunum sibi fore - (*sibi* in 5. 3. 1. sedem mutat.) - 32. - secum ipse 6. ipse multa secum 1. *ipse* om. 3. opt. factu 4. 5. 1. - 33. - inter mortalis 5. - 36. - comperta, senatus 6. dilectum 1. præceps ierat 2. - 39. - est missus 1. ceteros judiciis 3. hisdem temporibus 1. 2. 3. 4. - 40. - negotiatus esset 2. 6. uti sui mis. 4. dein eos pollic. 5. 4. 1. - 41. - præcepit studium 4. uti studium 6. - 43. - Statilius, Gabinius 4. 1. uti Catilina 3. 6. 2. (man. sec. 2. *quando* adjecit) - 44. - data et accepta - 45. - dein ubi - 47. - abdicatus magistratu 3. 1. 6. a mag. 5. 4. 2. - 48. - ne lentulus 3. et 4. m. pr. faciundum 3. 1. leniunda 4. 3. 1. mentitus esset 6. - 49. - exercebant 1. 2. 3. 4. 5. 6. orabat in audaciam 1. 2. 3. 4. 5. uti grege 6. - 51. - male consuluerunt 5. 6. eos impunitos dimiserunt 6. providendum est vobis 5. aliis alia lic. est 1. 6. verum sententia m. n. crudelis 4. in exilium 6. 3. (2. m. sec.) infestos, factiosos 5. aliæque paratæ sunt, quibus legibus 5. - 52. - magis cavere 3. malefacta 1. 2. multos mortalis ea causa 5. mecum ipse 5. bonis an malis 5. (3. m. pr.) refert mihi 3. vanum equidem hoc consilium si 6. - 55. - ascenderis 1. 2. 3. 4. 5. 6. ex clarissima gente 5. 1. - 56. - per montis 5. copias habiturum 6. esse habiturum 3. - 58. - sin metu 3. 5. 6. - 59. - et ab dextra rupe aspera 2. rogat, meminerint 6. - 60. - rebus omnibus exploratis 2. - 61. - locum pugnando vivus 5. vivus omisit 1. nam vivus forte quisque suum locum, quem pugnando ceperat 6.

Jugurtha 2. compos. ex corp. et anima 6. Omnia orta 2. atque ignaviam 4. 1. 2. 6. - 3. - sese fatigando - 4. - studium laudando 4. memet studium meum extollere 6. atque magnifica 4. qui sustinent 2. - 5. - honesta permansit 6. et imperii vitæque 3. quascunque urbis 5. - 6. - anteiret omnis 5. omnis gl. ant. 2. facere minimum 3. - 7. - eum occas. (*eum* om. 1. eum præficit 6.) *P. Scipionis* omnes - 9. - adoptavit eum 3. item adherb. 6. - 10. - falsum habuit me 1. me fals. hab. 4. parvum Jug. 3. familiæ nostræ 2. 3. 4. 5. nostræ f. 1. vitæ finem 3. fide parantur 3. sapientia prior. ne 3. qui opulentior, etiamsi 5. - 11. - tamen benigne 4. illum trib. prox. 1. 4. 6. dein ut ætati 3. convenere, ut 6. dehinc tandem ut 6. decreta rescindi 6. ratus descendit 5. esset ratus 4. in animo habere 5. 4. modo animo habere 6. - 13. - in duas discedunt partis Numidæ 5. dein Romam 5. argento multos Romam mittit, quis 6. - 14. - regnum Numidiæ - procurationem 2. imperium penes 5. cognat. aff. loco duc. 5. posse a vobis 4. in amicit. recepti sunt. Sed si ad imp. 1. 2. 3. 4. 5. alienas expeto opes 5. unde et pater et avus meus vobiscum 5. vestra

mihi beneficia 5. erepta sunt mihi 2. 4. P. C. in mea injuria 5. conjunctum fore 5. alterius ego 5. etiamsi omnia 5. jus injurias omnis 5. monum. hostilia sunt 6. una nobis occidendum 1. una occidendum nobis virtute 5. fingere verba 4. quamquam immaturo. vita erepta tamen 6. P. C. per vos lib. et par. vestros 3. - 15. - ne alium 1. carius subveniunt 3. - 17. - gentis 5. Asiam et Europam ea 5. arboris infecundus 4. cœlo terra penuria 5. regis qui hiempsalis 6. - 18. - inculti quibus 5. quis 2. 1. quo nox 5. qua 2. 1. 4. 3. 6. - 19. - duæ syrtis inter quas leptis 5. - 20. - discessere 2., 3. 4. 5. discesserunt 1. - 21. - intellexit 5. 4. ab Adherbale missos 5. missos aud. Rom. 5. - 22. - sceleri obviam isse 5. - 23. - Africa discessisse 5. 1. 2. 4. virtutem erigere 5. 2. 4. 3. - 24. - me quem imperatorem 5. et ea quæ ante 4. et quæ ante 3. me ex manib. 1. 2. 4. (3. m. sec.) - 25. - hisdem regis fautoribus 2. 5. in senatu potens 2. 5. navim 1. 2. scelus rapiebatur 1. 2. 3. 4. 5. - 26. - interfecit 2. 3. 4. - 27. - cognitum et 5. agitari cœpit 1. 2. 3. 5. alia, quæ 1. - 28. - omnis mortalis ut pecunia 5. pecunia ut aggred. 2. ut omnis 1. 3. 4. consultus, plac. 4. hi decreverunt 2. 3. multos mortalis et urbis 5. - 30. - superba ac crudelia 3. - 31. - uti contra 5. 4. amicitia est 5. 4. quod majus 5. 4. quia majus dedecus 2. quod magis fecisse quam accidisse indignum est 5. At ego tametsi (in ceteris *atq.* per compendium scriptum) et nisi vind. 5. 2. ni vind. 1. 4. - 32. - At Cassius perlata rogatione 5. At Cassius P. R. 4. 3. timido ex conscientia diffidenti 2. misericordiam experiri 5. - 33. - cuncta gesserat 5. sceleris aperiret 5. - 34. - conc. discessit 2. 4. - 35. - belli gerundi 2. insidias tetendit 5. 4. æquo et bono 5. æquo bono 4. - 36. - alia quæ 4. m. pr. Roma discessit 5. recessit 1. 3. 4. 2. m. pr. - 37. - magnis itineribus - 38. - tumultu perculsi insolito 2. 4. teneat 5. discederent 5. - 40. - G. Mamilius 2. 4. quantum intenta 5. - 41. - secundæ res 2. in duas partis 5. - 43. - Q. Metellus et M. Silanus 2. milites scribere, præsidia 4. auxilia mittere 5. 1. 3. artis bonas 5. - 45. - et ipsæ cum legatis 5. - 47. - huic c. temptandi gratia, si paterentur opportunitates loci 5. 1. et commeatum etiam paratis rebus munimento fore 5. - 50. - colle digredi 2. 3. 4. crebro hostis impetu 5. „*dein repente signo dato hostis invadit.*" hæc 5. omisit. Rom. turba 5. turmæ insequi cœperunt 5. campi fuerant 5. 4. - 54. - neque acie 2. 4. gerundum (5. ex emendatione) interfici jubet 5. prædæ esse 2. - 55. - aquarum fontis 5. - 56. - firmissimum. Præterea 3. m. pr. - 57. - pice et sulphure tædam mixtam 5. picem et sulphure et tæda mixtam cum ardenti 1. tædam mixtam ardenti 4. 6. ardenti 2. 3. sed nec illos qui procul 5. - 60. - paululum modo 2. 3. 4. 5. conf. vulnerib. 4. - 61. - necatum tradidisset 5. - 62. - captos et occisos 4. 3. aut occisos 5. 2. arcessiri jubet 5. arcessi 1. accersi 3. 2. arcessi 4. bellum sumit. Romæ 5. At Romæ 1. 2. 6. - 63. - gloria alia opt. 4. si dimidia pars exercitus sibi 5. sibi si permitteretur 4. - 65. - contum. imperatori 5. in imperatorem 2. - 66. - tela alia quæ 4. obtruncati 5. 1. 2. 3. quam integra fama 5. 3. - 68. - in primo late 1. -

69. - uti res erat 5. metellum rati 4. atque prædæ 5. - 70. - molliciem 5. 2. 3. - 71. - audivit ex 2. 4. accedit : dicebat, quæ ipse paravisset, perfidia clientis sui facere præventa 5. - 74. - paulo post spem 5. 2. 4. tuta sunt 3. m. pr. tutati 5. 1. 2. - 75. - pervenit, oppidum 5. ubi præsto sint 2. - 76. - jubet duobus locis 1. 3. vineas agere et aggerem jacere et super aggerem 3. opus ministros 5. op. amministros 3. - 78. - inter duas syrtis 5. 3. mutatur. Igitur ejus 5. leges cultusque 5. 1. 4. loci sunt 5. - 79. - rem locus admonet 5. ammonet 3. optionem Cartaginiensibus 5. 1. quo finis quærerent 5. - 80. - operæ pretium 5. 1. 2. 4. 3. - 82. - melius ratus 5. antea acceperat 5. 3. cognitum, illum 2. 4. - 83. - confideret, non debere 5. sibique regnoque consuleret 5. - 84. - stipendiis proficisci plebe militia volenti 2. 4. - 85. - imperium a vobis petere, gerere 5. quanto pluris est 5. 3. quo pluris est 1. 2. cogere eos 5. is imperatorem alium quærat 1. 2. 3. sui officii 1. 4. homines præposteri 5. 4. *quæ illi* etc. *gessi* 1. omisit. memet beneficia dicere licet 3. m. pr. ex animi sententia 5. 3. 4. bonum habetote 5. 3. pars ejus exercitus 3. est ætas 3. - 86. - armisque aliis 3. - 87. - aut occidi 5. - 91. - infidum : neque 5. infidum : ante 1. 4. infidum erat ante neque 3. - 92. - major et clarior 2. - 93. - animum advertit 1. 2. animum accendit 4. 6. vertit 3. invadit 5. paululum modo 3. castellum temptare 2. - 94. - simulque et offensa 5. ponderis minuendi gratia 1. fundere plerosque sauciare 5. - 95. - nos amonuit 4. dicturi sumus : L. Sisenna 5. juxta doctissime eruditus 5. 2. - juxta atque doct. 1. 4. atque felicissimus 1. atque felicissimo 4. Nam postea quæ fecerat 5. - 96. - rudis ante et 5. 4. ipse per se 5. - 97. - accepit dubium 5. 3. 4. uti ante 5. victis sibi munimento, et si vicissent 3. m. pr. (*fore* m. sec. adjecit) accipere quivisset 5. equites peditesque 5. orbis facere 5. - 98. - aut sese pro victis 3. - 101. - quem primum attingerant 1. in perculsos acrius 5. 4. Jugurtha cum plurimis. dein 1. occurrit auxilio 5. 1. 4. 3. - 102. - duo quam fidelissimo 3. unde Jugurtham Marius expulerat 1. - 103. - evenerant 5. 1. 4. 3. seu monitus 5. licentiam permittit 5. illis permittit 4. 3. - 104. - confecto, quo intenderat, negocio 1. impetratis omnibus rebus 1. 2. 3. - 105. - sese quisque 106. *volunge* et infra *volungem* 5. - 107. - quem manus armaverit 5. quem m. armaverint 1. 3. 6. qui m. armaverat 2. neminem manus qui armaverit 4. hostilia fecerat 2. Jovem maxime 2. ex castris ire. 1. se credere illum nil 1. optimum factu 5. 1. 3. - 108. - Bogum fidum esse multis ante 5. nam pater - natus erat 3. - 110. - et hercule 1. deberem hercle 2. 3. 4. flagitiosum. Cæterum 4. 5. - 111. - in verbis *quoniam copiam* desinit cod. 4. peteret ultro 3. - 112. - deinde cuncta 5. nuntiat 2. 5. 1. 3. - 113. - multa agitavisse 5. et scilicet oris immutatione tacente ipso occulta patefecisse 1. accersiri 1. 2. 3. deductus. Per 5. - 114. - triumpharunt. Ea tempestate 5.

*

Inspexi præterea alios sex Codd. Vaticanos 1843. a. 1843. b. 1733. 1909. 1785. 3415. Quorum quatuor Catilinam et Jugurtham, quintus non solum hos libros, sed etiam quatuor Invectivas, quæ nominantur, continet. Quarum quidem declamationum duæ sunt notissimæ, quas a Cicerone in Salustium et a Salustio in Ciceronem habitas esse finxerunt Grammatici; alteræ, quarum auctores Cicero et Catilina esse dicuntur, a Wolfio nondum editæ esse putabantur *) sed, ut jam supra monui, in Ciceronis Editione Basileensi 1564 typis expressæ sunt. In sexto codice Mss. cum alia, tum epistolæ de republica ordinanda continentur, sed quantum equidem judico, a discipulo in scholis publicis, magistro dictante, exaratæ. Pessimus certe hic liber est. Neque ceteri Codd. digni esse videbantur, quos accuratius excuterem. Optimis enim libris diligenter examinatis, ex deterioribus nihil fere cognoscas, quam librariorum sive audaciam, sive stultitiam. Sed mirum me habuit, quod Codd. Palatinos, Commelianum maxime atque Nazarianum, quos optimos esse Gruterus judicavit, inspicere mihi non licuit. Cum a V. Cl. *Angelo Majo*, Bibliothecæ Vaticanæ præfecto, petivissem, ut horum Codd. examinandorum copiam mihi faceret, negavit, se adhuc eos invenisse, et Parisiis relictos esse putare. Quod mihi quidem non persuasit. Sunt enim non pauci, qui existiment, virum illum doctissimum, cum Codd. ineditis inveniendis atque evulgandis magnam gloriam sibi pepererit, timere, ne alii ad idem laudis fastigium perveniant. Hoc ne accidat, diligenter cavet, et optimum quemque codicem, si quidem fieri potest, clausum tenet, vel potius non invenit. Quod apud nostrates bibliothecariis vitio vertitur, hac re ille laudem quærit. Id quod ideo monui, ne quis falsam animo concipiat opinionem, bibliothecam Vaticanam, olim a bibliothecariis, tanquam vellus aureum, custoditam, nostra ætate omnibus eruditis patere. Ut enim omittam feriarum diuturnitatem, quæ ex legibus et ex arbitrio bi-

---

*) Præfat. Orat. pro Marcello.

bliothecarii in amplius sex menses prorogantur, id quoque magno est impedimento, quod catalogos librorum Mss. ne eruditis quidem inspicere licet. Quare non defuerunt, qui censerent, de literis melius actum fore, si præstantiores Codd. Parisiis relicti fuerint. Francogallorum enim facilitas et comitas facit, ut tota regia bibliotheca publici juris esse videatur; quod Romæ quidem contra se habet.

b.) DE CODICIBUS BIBLIOTHECAE BARBERINAE.

In bibliotheca palatii Barberini cum multi alii libri Mss. tum quinque Salustii Codd. asservantur. Quos ut diligentius excuterem, factum est studio V. Cl. Bunsen, Borussorum regis legati, qui bibliothecarium satis morosum atque difficilem gratia et auctoritate permovit, ut me diutius, quam ceteris licet, in bibliotheca literis operam dare pateretur.

Cod. I. (2861) Pergamenus. Desinit in capite LVII. Catilinæ, in verbis: *qua illi descensus.* Initio picturis ornatus, forma quadrata, scriptura Langobardica. De sæculo, quo scriptus sit, nihil certi statuerim.

Cap. 1. nam priusquam 2. peregrinantes transiere 4. incepto studio me 6. metu percussi 7. simul juventus ac belli patiens erat, in castris per laborem et usu 11. in Asia ductaverat 22. ficta hæc et alia multa 32. secum ipse 34. petere velint 35. licet agnoscas - cum alienis 47. abdicatus a magistratu 51. sed in exilium permitti 52. cavere magis ab illis - sed ista cujuscunque modi videntur - refert mihi 55. ubi paululum ascenderis.

Cod. II. (2506.) Membranaceus, in prima pagina hæc scripta: *Dono Illustr. Domini Georgy ab fustrra, Maximiliano Imperatoris Nepotis, Petrus a Castellis.* Sed hæc manus recentior addidit. Nam codex ipse multo antiquior esse videtur; ductus literarum, aliquoties vetustate, deleti secunda manu restituti sunt. In Jugurtha desunt quatuor capita (inde a cap. 24. usque ad 30. *multis ejus orationibus*).

Cod III. (1961.) Membran. Elegantissimus, sæculo xv. sed diligenter exaratus; prima pagina picturis ornata.

Cod. IV. (2509.) Membran. foliis majoribus scriptus; in fine Jugurthæ mancus; desinit in expugnatione Capsæ cap. 91. insunt multa compendia scripturæ.

Cod. V. (2507.) octonis, Sæc. xi. exaratus, ut quidem bibliothecarius judicat; libri initium manu recentiore restitutum et ipsa pellis multo candidior est.

Catilin. cap. 1. omnis nostra 2. priusquam incipias 4. - 2. - ita in pace 2. transiere 2. 5. transegere. 3. - 4. - studio me 2. 3. secordia 4. 5. - 5. - avaritia vexabat 2. - 6. - percussi 2. ingenium validum erat 4. sese convertit 4. - 7. - simul belli 3. (*ac* m. sec. superscripsit) belli potens 4. non locus asper 3. sic quisque 3. 4. se sic quisque 5. - 8. - adepta libertatem 4. ex libidine quam 3. (*magis* m. sec. adjecit) - 11. - sapientum animos (ita et alii Codd. passim) - 12. - domos sua gloria 2. atque moderati 4. - 14. - fidosque faceret 3. - 15. - color exangnis 3. - 16. - falsos accomodare 2. torpesceret 3. - 19. - boni quam plures 5. - 20. - vendicemus 4. 5. 2. 3. victoria in manu est 3. omnia victoribus 4. - 22. - ficta hæc 3. - 23. - vanitas quam audacia inerat 5. - 24. - dicitur ascivisse 6. - 30. - circum ea loca 3. - 31. - insolitus accesserat 5. - 32. - secum ipse 2. 4. - 34. - petere velint 4. 5. - 35. - Q. Catulo salutem 2. 3. 4. 5. cum alienis 5. ex alienis 4. etiam alienis 3. - 36. - morbi uti tabes 4. - 43. - uti Catilina in agrum 2. 4. 5. - 47. - abdicatus magistratu 2. 3. 5. - 48. - ne lentulus 5. m. pr. - ceterique de conjuratione 2. - 49. exercebant 2. 4. 5. - 51. - quibus dampnatis 5. - 52. - refert mihi me 4. refert mihi atque vobis 5. - 55. - ascenderis 1. 2. 5. - 58. - hortantur me 5.

Jugurtha c. 4. adeptus sum 5. - 7. - facile occasurum 5. - 9. - in regnum adoptavit 3. - 11. - illum tribus proximis annis 2. in tribus proximis annis 4. - 14. - jus et imperium ejus 5. (sed pronomen tanquam spurium notatum est.) - 17. - arborum infecundus 2. arboribus 4. - 32. - Cassius p. r. 2. - 38. - fame ferro 5. tenebat 2. teneat 3. - 43. - auxilia mittere 5. 4. - 47. - commeatum 5. 4. 2. - 49. - delectos suos 2. - 57. - pice et sulphure tædam mistam ardenti 2. 3. 4. 5. - 68. - in primo late 5. m. pr. (*re* m. sec. superscripsit) - 70. - in pestem ne converteret 5. 2. - 71. - audivit ex consuetudine 5. 2. - 74. - ceteri ejus milites 5. - 75. - id oppidum 5. 4. - 76. - tutari opus jubet et ministros 5. - 78. - leges cultusque 5. - 85. - quem vos imperatorem jussistis is imperatorem alium quærat 5. 2. eorum pœnitendum (pron. in 5. m. sec. addidit) - 93. - usus fuerat 2. erat. 5. - 95. - quem uti

ex Latio 2. - 100. - futura, quæ imperasset 5. - 102. - unde Marius Jugurtham expulerat 5. - 110. - nullius indigus 2. - 112. - in potestatem habuisset 2.

c.) DE CODICIBUS BIBLIOTHECÆ PUBLICÆ.

In bibliotheca publica (seu Minervæ) quatuor Codices Salustii inveni, quorum duos accuratius examinavi, qui mihi e numero meliorum esse videbantur.

Cod. I. (H. vi. 7.) octonis; primum folium picturis ornatum. Liber eleganter scriptus; insunt Catilina, Jugurtha et Invectivæ; in fine Jugurthæ hæc leguntur: Crispi Salustii de bello Jugurthino liber explicit fœliciter die Martis hora xxii. MCCCCLV. xxii Octobris. Orthographia antiqua in nonnullis vocibus servata; *maxumus*, *adulescentulus*, *quom* sæpius scriptum.

Catil. c. 1. obœdientia ventri - opus est facto - auxilio indeget 2. transiere - is dæmum vivere 6. augendæ reipublicæ inventum fuerat 12. cognoris 19. boni quam plures 33. faceremus aliis 43. Statilius Gabinius 51. non mihi crudelis.

Jugurtha c. 1. de natura genus 2. alia hujuscemodi brevi 4. adæquavit 6. et minimum de se loqui 7. P. Scipionis 11. illum tribus 14. regnum procurationem - atque parentes, per majestatem 19. et aliis novarum rerum avidis 20. postquam diviso regno Africa discessere - dolore permotum adherbalem - rettulerant 23. ad virtutem erigere 24. et quæ antea in senatu - me ex manibus 38. occultiora fore - metu mortis mutabant 43. auxilia mittere 47. munimento illis fore 71. audivit, dormiente illo 93. animum vertit 102. unde Jugurtham expulerat 108. nam pater - ortus erat.

Cod. II. (H. iii. 17.) Sæc. xvi. elegantissime scriptus et picturis ornatus. Sæpius argumenta capitum in margine adscripta.

Catil. c. 1. student sese - et æterna 2. neque mutari omnia cerneres - transiere 12. neque quicquam moderati 14. quam quod cuiquam id compertum foret 16. torpesceret 18. tam pessimum 20. vendicemus - cui virile ingenium sit 21. hominem familiarem 30. missi. Utrique 35. cum et ex alienis 40. negotiatus esset 42. cumplures 43. Statilius Gabinius 47. cui fatatum fuit, foret - abdicatus magistratu 48. senatum edocet 49. indicem esse falsum 52. cavere magis.

Jugurtha 4. animi mei mutasse 7. facile occasurum eum 14. imperium ejus regni - probitas neque mihi 17. arboris infecundus 20. discessere 23. ad virtutem erigere 31. atque ego tametsi 38. ita delicta fuere occultiora - ferro, fame - sub jugo missurum 39. animus ardebat. 40. C. Mamillius Limetanus 42. me deseret 43. Q. Metellus et M. Silanus - auxilia mittere 46. sibi opportunos 47. frequentia - et commeatum - et paratis 49. occultati 51. hostes cives permixti 53. ad cœlum ferunt 54. militum prædam fore - in eisdem locis 60. paululum modo - 61. si Jugurtham sibi 62. accersiri jubet 67. obtruncati 68. abnuentes omnia edocet 70. in quis mollitiem 71. audivit ex 74. virtuti popularium an fide - ceteri ejus milites 75. proximum spatio - quo proximo oppidum aqua 76. una die 78. leges cultusque 80. incepto belli 84. plebe militia volenti 85. non eisdem - dehinc per ignaviam - quo pluris est - uti omnes labores - quasi lumen, neque - facundiam - habetote - tutata sunt, removistis - militaris est ætas 86. Igitur cum aliquanto Marius majore 93. qua ipse ascenderat - promissa cognitum 94. quibus elevati 97. fore difficiliorem 101. occurrit auxilio 102. Jugurtha expulerat 103. ab amicis, quos - deinde in itinere 107. ex castris ire 109. accersitur 110. Et Hercule - id obmitto.

Cod. III. (H. VI. 10.) solum Catilinam continet; liber non pessimis quidem adnumerandus, sed tamen deterior, quam cujus auctoritate confidas. Quare lectiones variantes non transcripsi.

Cod. IV. (H. VI. 9.) mutilus, pauca folia ex Catilina et Jugurtha; plurima vetustate deleta. Sed quamvis sit male habitus, tamen recentior est. Chartaceum codicem, qui Catilinam et Jugurtham continebat in bibliotheca Angelica inveni, sed eum quoque deteriorem et nulla auctoritate. Eodem loco editio antiquissima Salustii, quam bibliothecarius principem habebat, mihi oblata est. Anno MCCCCLXXI Venetiis opera Spireæ Vindelini typis expressa est.

Ex distichis, quæ in fine leguntur, hunc librum tum secundum evulgatum fuisse credideris. Cum hæc editio Mattarii diligentiam fugisse videatur, versuum, quorum supra feci mentionem, exemplum apponam:

Quadringenta iterum formata volumina nuper
   Crispi dedit Venetus Spirea Vindelinus;
Sed meliora quidem lector mihi crede secundo
   Et reprobata minus, antea quam dederat.

Sed in tanta Codd. Mss. copia auctoritas principis editionis fere nulla est. Neque aliorum auctorum diversa est ratio. Nam vehementer errant, qui eadem religione, quæ hodie ab editoribus exigitur, antiquitus libros editos fuisse putant. Plerumque librarii pluribus Codd. usi sunt, ex quibus, quæ plurimum auctoritatis habere videbantur, lectiones electas typis exprimebant. Quare non est, quod editionum principum, quæ dicuntur, auctoritati tantum tribuas.

Bononiam adieram, spe ductus, fore ut in hac celebri quondam urbe et liberalissimis studiis affluente, multos eosque optimos codices invenirem. Sed hæc opinio falsum me habuit. Videntur enim Bononienses multum a pristino literarum amore recessisse, ita ut qui olim docti dicebantur, jam alio potius nomine appellandi sint. Cum in bibliotheca publica pauci essent Codd. Mss. (qui omnes ad res ecclesiasticas pertinent,) monasterium Benedictinorum adii. Sed nihil eo stolidius, qui vicibus bibliothecarii fungebatur; quippe cujus tantus fuit ingenii stupor, ut ne nomen quidem Salustii cognitum haberet, nedum de Codd. judicare posset. Solo in collegio Hispaniensi inveni codicem Salustianum haud contemnendum; quem mihi obtulit senex Hispanus, vir venerabilis, nec minus morum elegantia quam eruditione insignis. Qui quidem discordiis domesticis patria pulsus, simul cum quatuor patribus ex societate Jesu desertum collegium occupaverat, et libros, Napoleonte regnante, dispersos recollegerat. Sed ei non solum curæ est, ut libri amissi bibliothecæ restituantur, sed etiam eorum commodis inservit, quibus Codd. examinare propositum est. Quamobrem facile ab eo impetravi, ut totam bibliothecam perscrutari me sineret. Cod. Salustianus, quem inveni, Sæc. XIII. exaratus esse videtur; ab initio admodum corruptus est, in margine glossæ adscriptæ; lectiones variantes paucas notabo.

Catil. 1. indiget. 3. quia a spe (*mihi* omisso) - memorabile estimo 9. in amicis fideles 41. consilio per saugam cognito Cicero 43. uti Catilina in agrum fesulanum cum (*exercitu* in margine m. sec. addidit) - Statilius, Gabinius uti -

47. abdicatus a magistratu 49. exercebant 51. sed in exilium permitti 55. paululum ascenderis.

Jugurtha 11. illum tribus proximis annis 38. ita delicta dicebat occultiora fore 43. auxilia mittere (*vel mittendo* supra lineam scriptum) propter opportunitates loci 68. in primo late 74. ceteri ejus milites.

DE CODICIBUS FLORENTINIS.

Mediceorum illustrissimam gentem non solum de republica Florentina, sed etiam de literarum artiumque studio optime meritam esse, nemo est, qui nesciat. Testimonio sunt cum alia eorum laudis monumenta, tum bibliotheca Laurentiana. Quam cum plurimorum auctorum præstantissimos, Taciti Annalium (Lib. I—VI.) etiam unicum codicem continere cognovissem, Salustio quoque eam saluti fore speraveram. Quam quidem spem firmare videbantur tot Codd. Salustianorum in catalogis a me lecti tituli, (amplius enim triginta Codd. Salustii ibi asservantur) qui mihi, temporis angustia presso, vel timorem injecerunt, ut omnes Codd. Mss. qua par sit diligentia, excutere possem. Sed hoc quidem timore brevi solutus sum. Codicibus enim, qui antiquissimi dicebantur, accuratius examinatis, multos quidem, sed non optimos codices Florentiæ asservari cognovi. Multi magis splendoris et elegantiæ causa, qua exarati sunt, quam quod eorum virtus fuerit perspecta, emti esse videntur. Quod quondam Ptolemæorum liberalitate factum est, ut multi deteriores libri et spurii pro genuinis a bibliothecariis emerentur, id nescio an etiam Mediceis nonnunquam acciderit. Nam hoc vere dixeris, in bibliotheca Laurentiana et optimos et pessimos libros Mss. inveniri. Neque mediocri diligentia opus fuit, ut quis accuratius de Codd. statueret, cum librorum typis expressorum pauca vel nulla exempla in promptu essent. Imo ipsa nostra ætate nonnisi multo usu et magna exercitatione assequaris, ut de unius alteriusve auctoris libris Mss. rectius judices.

Cod. I. (cfr. Pantini Catalog. T. V. pag. 337.) Membran. Sæc. xiv. ineunte *) quem Pantini optimæ notæ dicit, quippe qui editionis Cortianæ lectiones confirmet. Sed eum vigilantem somniasse crediderim. Quamvis enim hunc librum melioribus adnumeres, (nam sub finem potissimum bonas exhibet lectiones) tamen iis, quæ Cortius aut temere conjecit aut emendavit, rarius consentit, nisi forte statuis in editione, per Johannem Baptist. Pasqualium MDCCXXXVII. Venetiis vulgata, quam ille laudat, multas conjecturas a Cortio propositas, esse rejectas. Præterea libri illius margini scholia sunt adscripta; neque his multum tribuas. Nam fere explicant, quæ luce sunt clariora, sed obscura intacta relinquunt. Accedunt glossæ inter lineas et paucæ animadversiones, pluribus foliis separatim scriptæ; primum aliquot voces Salustianæ et divisio orbis terrarum, quam in bello Jugurthino proposuit auctor, fusius illustrantur; alia ad etymologiam, pauca ad Salustianum dicendi genus spectant. In fine Catilinæ, acies directa mirifica colorum varietate adumbrata; in fine totius Codicis, (qui præter Jugurtham et Catilinam complures Ciceronis orationes et Senecæ Epp. ad Paulum continet) scriptum est: *liber Petri de Medicis, Cosmi filii.* Orthographiæ veteris pauca vestigia; *lubet, quattuor repperit, advorsaretur* (Jug. c. 26.) sæpius gerundium in *u* flexum *capiundi, faciundi, leniunda, perdundae.*

Catilina c. 2. fuit in terris 6. alii alio more (sed *alii* exemend. m. sec.) binos imperatores - 8. quantum verbis (*ea* m. sec. adjecit) - 9. bello excesserunt - 11. hic quia - infinita, insatiata neque - hi igitur milites - temperarent (m. sec.) 14. omnium flagitiorum atque facinorum (schol. *plus est quam flagitiosorum*; quæ quidem lectio paucorum est codicum) ventre manu pene bona - 17. L. et Servius Sillæ, Servii filii (etiam hanc lectionem nonnisi in paucissimis Codd. invenias) lecca 19. Gn. Pompei - 20. in manibus nobis est - fortuna ea omnia - 21. quietam r.

*) Mihi quidem persuasum est, hunc librum ante Sæc. xiv. esse scriptum, nam ductus literarum ad Sæc. xiii. pertinere videntur. Sed hæc res obscurior, quam quæ paucis explicari possit, et certi aliquid statuere sæpe arrogantius mihi quam doctius esse videtur.

p. movere - cum eo consule se - 26. quas consulibus - 29. nullius earum (sed *us* m. sec. adjecisse videtur) 32. ibi secum multa volvens - multo prævenire et antecapere ea - 34. oreretur - 42. - ex senat. consultu - 43. uti Catilina - Statilius, Gabinius uti - 47. abdicato magistratu - 50. libertos suos et exercitatos in audaçiam (sed schol. *orabat in audaciam* i. e. ut essent audaces) 51. aliis alia - fortuna pares sunt - in exilium permitti - 52. si in tanto - aliaque fœda atque crudelia - 53. senati decretum - 55. paululum ascenderis - 56. modo Galliam versus - 58. quo loco - si hoc relinquere - 61. victoriam adeptus est.

Jugurtha 1. bonas artes - 4. adeptus sum - 7. eum esse casurum - Publii Scipionis - 11. in unum convenere - 13. quis præcepit uti primum - legati ubi - 14. mei parentis - 17. in parte tertia - 21. ubi intellexit - 23. erigere - 24. ex manibus - 25. in quis fuit emilius scaurus - scelus rapiebatur - 33. si verum aperiat - 34. discessit - 36. romam discessit - 38. fame et ferro - 39. accersere - in animo ardebat - 40. C. Mamillus - exercita aspere - 44. labore coegisset - 47. et commeatum etiam paratis - 53. detrectant - 54. neque acie - 57. picem sulphure et tæda mixtam ardentia mittere - 62. accersi - 63. datus est, appetere - 69. turris (m. pr.) 70. in quis - 75. cujusque modi; pleraque - 76. dehinc duobus locis - 77. gnare fecèrant - 79. quæ eos res - 80. quis adjutoribus - quis omnia - viles. Igitur - 81. quis omnia - sint - 83. maximam copiam - probare partim, partim abnuere - 84. accersire - 85. non isdem - suppliciis, modicos, dehinc per - quo pluris est - cogere ad militiam, quos - audire illi et legere - vera necesse est prædicent - plurimis meis - divitiarum; arma - 87. aut occidi - 89. quarum vis - 91. cotidie - 93. usus fuerat - agitavit æstuans - eocleas - legundi - difficilia faciendi animadvertit - eodem regreditur - an pigeat magis - 98. feroces erant, quod - tuum demitte - benivolentia esse - 104. qui quæstor (retinent plurimi libri) 107. ad hostis vertere - 108. nam pater ejus ex concubina ortus erat - delegeret - 109. accersitur - 110. Et Hercule - flagitiosum. Ceterum - 112. in potestatem habuisset - 113. secum diu volvens - secum multa agitavisse - ita tacente ipso - specie oris patefecissent - accersi - 114. kl. Januarii.

Cod. II. (cfr. Pantini Catalog. n. 717. xvi.) Membran. forma quadrata minori, Sæc. xiii. a Biscionio collatus anno MDCCXXXIX. quæ collatio ad virum illustrissimum De Brosses transmissa est. In margine capitum argumenta, præterea glossæ interlineares. Scripturam quod attinet, Cod. multis compendiis scriptus, literæ, maxime *l*, sæpissime duplicatæ et a manu secunda emendatæ. Sed quamvis liber non inter recentissimos referendus est, tamen nullius est pretii. Sed in omnibus fere Salustii Codd. hoc animadvertitur, ut

qui Sæc. xv. scripti sunt, Sæculi xiii. et xiv. libros bonitate multo antecedant. Quare ex hoc aliisque libris, qui ei similes sunt, paucissimas lectiones notavi.

Cod. III. (Pant. Cat. 718. xvii. Plut. 64.*) Cod. 18.) Membr. forma quadrata majori, quem Sæc. xii. scriptum esse judicat Pantini. Optime servatus et exaratus. Solum bellum Jugurthinum continet, et scholia in margine et inter lineas habet. Sed ad externum habitum lectiones parum respondent; nam sæpius glossæ in textum receptæ sunt.

Jugurtha 1. præst. invenies - atque inertiam - tempus ætas ingenium - 2. secuntur - uti initium - corporis dediti - præsertim multæ - fugam alia hostilia - est dementiæ - 56. occulta discessit - et egredientibus - oppido paravisset - sese Numidæ gerunt - hostes urguent - 57. et Marius - 58. clamorem veluti tumultum hostilem - 59. sed adversi concurrere - monere alii hortari - 60. ceteri quoquo potuere - 61. neque niti Jugurtham - facere; jam - clam timens de massivæ nece - per conditionem - 62. optime meritæ - senatori ordinis - accersi - pars quorum uti jussi erant, sunt adducti - venire in servitium - bellum sumpsit - 105. arbitratu communibus - advorsum - temptare - advorsum eos - totiens - 106. forsitan paulo morbo - ignisque - aput illum - 107. ad hostis vertere - Ceterum neque - crederet illum - optimum factum - 108. pater ex concubina ortus erat - consulto sese omnia - comperio - advorsum nos suasisse.

Cod. IV. (Plantini Catalog. ii. 719. xxiii. Plut. lxiv. 23.) Membran. forma quadrata, Sæc. xii. ineunte. Glossæ et notæ et in margine et inter lineas scriptæ. Primæ decem paginæ seriore ævo suppletæ. Librarius sæpe pravas lectiones emendavit, sed aliis locis deteriorem lectionem defendit. Ordo verborum turbatus, multa omissa, aliena recepta; ita ut paucis locis ex hoc libro auxilium petas.

Catil. 22. hæc multa (*et* m. sec. adjecit) 23. ex insolentia Curii - 24. sumptam mutuo (m. sec.) 25. sunt luxuriæ - 26. quas consulibus - 27. multas simultates -

---

*) Cum in bibliotheca Laurentiana libri in pluteis sint expositi, et, ne a quo auferantur, catenati, sæpius Plutei numerum adjunxi. Non omnes enim, quos Pantini in Catalogo laudat, libros inveni.

leccam - 28. intellegit - nonnullos sollicitabat - 29. nullius earum - 30. et ducenta milia sestertiorum - 31. et ut sui expurgandi - 32. ibi secum multa volvens - optimum factu - multo prævenire et ante capere ea - ad marcium mittit regem - 34. factioni eorum - 35. magnis in periculis meis - 36. sed ipsi Catilina - 37. conjurationis fuerant - multi mortales syll. victoriæ memores - 38. potentia certantes.

Jugurtha 85. pluris est - eos quos nolis - 110. et Hercule Silla - fuerat mihi pretium - 111. quoniam armis in præliis plus valuissent - plurimum debet amicitiæ fœdus - rex negare - quis Jugurtha - 112. conditionibus pacem componi - 113. sæpe ipsæ sibi advorsæ - ita tacente - occulta specie oris - accersi.

Cod. V. (Pantini Catalog. II. 720. XXVI. Plut. LXIV. 26.) Membran. forma quadrata. Sæc. XII. adjunctæ sunt paucæ glossæ, sed literarum ductus mihi quidem ad seriora tempora pertinere videntur. Ceterum liber aliquoties vetustate corruptus et ad legendum difficilimus est. Neque multas bonas lectiones hoc in codice inveneris.

Jugurtha c. 111. de pace et communibus - 112. et enuntiat - pacem confectam - 113. vultu corporisque - ita tacente ipso occulta cordis et oris - accersiri - factus est, ei decreta.

Catilina 47. vargunteum - 48. pleps - cotidiano - potestatem faciundi habere - impostam - 49. exercebant - 50. libertos suos electos orabat et exercitatos in audaciam - qui in custodiis traditi erant - et præterea de - is postea, permotus.

(Ejusmodi sunt fere omnes hujus libri lectiones, quare non est, quod plures transcribam; vel ex his colligas, quantum ei tribuendum sit. Ceterum Cod. IV. et V. Victorium usum esse Pantini judicat.)

Cod. VI. (Pantini Catalog. III. 371. XX. 2. Plut. 29.) Inferior Cod. XX. 2.) Membran. forma quadrata, quem sæculo XI. Pantini scriptum esse putat. Sed antiquior quam melior. Catilina in fine mutilus, Jugurtha initio; nam usque ad cap XIX: « *aliæ Punicæ urbes*" omnia omissa sunt. Alius librarius Catilinam, alius Jugurtham exaravit.

Catil. 1. omnis nostra vis - beluis - 2. desidia, continentia, equitate, optim. quemquem - sicuti peregrin. transiere - juxta existimo - aliquo negotio qui intentus - 3. adulescentulus - ætas mea - incepto studio me - memorabile estimo - 5. pravo maloque - dissimulator, appetens - militiamque intempti - corpus erat an-

nis infirmum - libertatis causa augendæ atque reipublicæ inventum fuerat - 7. ingenium impromptum habere - certamen ipsos inter erat - ea divitias et ea bonam famam - 8. qui ea facta fecere - 11. propius virtuti - 14. omnium flagitiosorum atque facinorosorum - manu ventre alea pene - quam cuiquam id compertum - 18. circiter Nonas Decembris - 19. boni complures - in provincia - 29. spectata forent mihi - nosmet ipsos vendicemus in libertatem - ingenium est - fortuna omnia victoribus præmia posuit - me utemini - nisi forte animus fallit - 21. mala quibus omnia erant - quietam R. P. 22. adiceret - ficta hæc - 23. cepit, minari interdum ferro - 26. quas consuli fecerat - 29. nullius earum rerum - 30. c. sextercia - sextertia ducenta milia - 34. ad hæc Q. Marcius R. - esset conscius - 43. uti Catellina - 35. permittit illis homines militares - 47. abdicatus magistratu - 50. electos atque exercitatos orabat in audaciam - 51. aliis alia - 58. res monet cavere ab illis etc. (*autem* et *magis* m. sec. addidit) refert mihi atque vobis timere - 58. Nunc vero quo loco - si metu.

Jugurtha c. 24. subiget me - urguear - deortatur me.

Cod. VII. (Pantini Catalog. III. 407. §. XXI. Cod. XLI. Plut. 89. Inferior cod. 41.) Sæc. XIII. vel XIV. Membran. paginis divisis negligenter exaratus. Scholia in margine recentior manus adscripsit, quæ etiam aliquoties librum emendavit. Pro *v* litera non uno loco *w* scriptum. Non solum singula verba, sed periodi omissæ. Sæpius a librario imperito spatia vacua relicta, quæ alius explevit. Cum omnes, quas notavi, lectiones ad auctorem emendandum nihil faciant, sed tantummodo doceant, nullam plane fidem huic libro esse habendam, pessimis illis variantibus librum onerare nolui.

Cod. VIII. (Pant. Catalog. II. 422. Cod. XXXV. §. IV. Plut. XLVII. cod. XXXV.) Membran. Sæc. XV. Orationes ex Salustii historiis excerptæ, accedit præfatio belli Jugurthini. Insunt præterea aliæ orationes ex Livio, Curtio, Virgilio, Lucano, Ovidio etc. descriptæ. Tota collectio in eorum usum facta, qui rhetoricam tractant. Quamvis exemplar satis bonum librarius secutus esse videtur, tamen hujus libri ne tanta quidem utilitas, quam aliorum, qui magis etiam corrupti sunt. Nam a libris, qui vel mediocri diligentia typis sunt excusi, in nulla re differunt.

Catil. c. 20. spes magna dominationis - vendicemus - pericula repulsas - o fortissimi - Numne emori - ludibrio fuerit - ingenium est - montibus æquandis - tum tabulas - tum summa libidine - En illa quam optastis libertas.

Cap. 33. nos arma contra - miserti - communi ære solutum est. - 44. quis sim - 51. libidini et usui paruit - qui reges, qui populi - hoc idem providendum est - factis eorum reperiretur - magnifice causam reipublicæ - facinora eorum minoris esse - ex bonis rebus - paulo post trahebantur - exercitus in manu sit - ut hoc exemplo - Ego autem hanc causam - placet igitur dimitti - sciat senatum existimare.

Cap. 58. sed ego quo pauca monerem advocavi - ipsi urbisque cladem - quo res nostræ loco sint.

Jugurtha 2. tum multæ artes variæque sint animi - 4. fore quia - inertiæ qui imponant non de probitate - soliti nobilitatem antevenire.

Cod. IX. (Pant. Catalog. II. 715. IX. Plut. LXIV.) Membran. Sæc. XIV. optime servatus et a manu recentiori correctus est.

Catil. 2. fortuna cum moribus - Ab optimo quoque (*a minus bono* glossa) eorum ego mortemque et vitam - 3. ibique mihi multa fuere adversa - 4. secordia - studioque ambitio - a spe metusque - cujusque libet rei - 11. propius virtuti - 14. quam cuiquam id compertum - 15. adultum ætate - 19. boni quam plures - in provincia - 20. vendicemus - ingenium est - pericula repulsas - utemini (m. pr.) adiceret - 26. quas consuli fecerat - nulli - (*us* m. sec. addidit) 40. Gabinl. accersit - 51. non vitam eripi sed exilium permitti - (*in* man. sec. addidit) 52. nonnullorum reputo (*ipse mecum* in margine additum) - 55. paulum ascenderis.

Cod. X. (Pant. Catalog. II. 715. X.) Chartaceus; liber indignus, cujus lectionum habeas rationem.

Cod. XI. (Pant. Catalog. II. 716. XI.) Membran. Sæc. XIV. nitidissimus. In prima litera picta Salustii (?) imago, (episcopi vel librarii alicujus credo), in calce insignia gentis Mediceæ.

Catil. 1. videtur esse - ipsa vita - æterna habetur - alterius alterum - 2. id nomen - aut misceri - juxta extimo - in aliquo negotio - 3. delicta quæ - invidia dicta ubi de magna virtute bonorum - adulescentulus - quom a reliquorum - 4. incepto studio - inprimis memorabile extimo.

Jugurtha 102. cum iis disserere - ingenium aut adversum flecterent - multa et bona plurima - quam hæc mala - cui scilicet complacuit - Jugurtham expulerat - flexus est - 103. reputando erga Romanos feliciter - admonitus ab illis ami-

cis - delegit quinque legatos - deinde getuli - pavidique sine dedecore - aut benivolentia - omnia pollicitus - 104. factus est - utica venire - in quibus legatis - et a consule interea - in Africa portaverat - lubens accepit - pœnitet delicti, fœdus et amicitia - 105. quarto denique die - 106. occurrit m. pr. (*acc.* m. sec.) - totiens - vitæ suæ parcerit - 107. antea a paucis - crederet illum posse nil ausurum - quum ipsius filius - optimum factu - approbata est - acciderat - 108. omnia integra habere (sed hæc sufficiant; facile enim intelligas, corruptum exemplum librarium esse secutum).

Cod. XII. (Pant. Catalog. II. 716. XII.) Membran. Sæc. XIV. Catilina initio mutilus, desunt quinque capita; Jugurtha maximam partem Sæc. XV. scriptus est. Pessimæ notæ liber, sed quod notandum, aliquoties *queis* pro quis scriptum est. Paucæ lectiones, quas haud contemnendas duxeris, in commentario laudabuntur. *)

Cod. XIII. (II. 717. XIII.) Membran. Sæc. XV. elegantissime exaratus. In fine belli Jugurthini majoribus literis rubris scriptum est: *Crispi Salustii viri clarissimi de bello Punico Liber explicit felicissime.*

Cod. XIV. (P. C. II. 717. XIV.) Chartaceus Sæc. XV. a duobus librariis male exaratus, glossas in margine et inter lineas habet.

Cod. XV. (P. C. II. 817. XV. Plut. 64. cod. VIII. b.) Pergam. eleganter scriptus Sæc. XV. Insunt pauca veteris orthographiæ vestigia et bonum librum negligenter descripsisse videtur librarius.

Cod. XVI. (P. C. II. 718 XVII.) Membran. Sæc. XIV. optime servatus et a Biscionio collatus. In margine summaria capitum adscripta. In calce libri distichon notissimum, *si cupis* etc. cui versiculus additur: *licet necatum referant in carcere plures.* Ordo

*) Hoc in universum monuerim, cum nullus ceterorum Codd. Florentinorum, ita sit comparatus, ut ad emendandum Salustium inde auxilium petas, satis habeo reliquorum titulos proponere, lectiones ipsas, quæ idoneæ visæ sunt, in commentariis afferam.

verborum sæpissime corruptus est et omnia fere, quæ in Salustii oratione a vulgari usu loquendi recedunt, mutata.

Cod. XVII. (P. C. II. 718. XIX.) Chartaceus Sæc. XV. nitidus et melioribus adnumerandus liber. Sæpius particulæ adduntur, quibus Salustii oratio non eget.

Cod. XVIII. (P. C. II. 718. XX.) Membran. Sæc. XIV. in margine capitum summaria et paucæ animadversiones, quæ ad textum corrigendum pertinent; pessimus liber.

Cod. XIX. (P. C. II. 718. XXI.) Chartaceus Sæc. XV. in fine hæc leguntur : *Scriptum per me Ser. Ghuidum Stephani Domenicî anno LIX. supra mille, absolutumque tertio Nonas Januarias.* Unde colligas tum temporis fuisse, qui recentiores libros tanquam antiquos venditaverint. Ejusmodi librum conferat, cui animus est accuratius de causis depravationis codd. cognoscere; mihi quidem supervacaneum visum est, sexcenties eadem scripturæ menda oculis perlustrare.

Cod. XX. (P. C. II. 719. XXII) Membran. Sæc. XV. principio libri pulcherrimæ picturæ et insignia gentis cujusdam. In prima pagina, quæ vacua relicta, hæc scripta sunt : *Liber Petri Marci Parentis* (*historici Florentini*) *nunc Cosmi Medicei.*

Cod. XXI. (P. Cat. II. 719. XXIV.) Membran. Sæc. XIV. ineunte scriptus et a manu secunda correctus est. Liber ex melioribus, qui sæpius probas lectiones confirmat.

Cod. XXII. (P. Catal. II. 719. XXV. Plut. LXIV. cod. XXV.) Chartaceus et negligenter exaratus; orthographia antiqua in nonnullis vocibus servata; *quom* pro *quum* sæpius, *lubens* aliquoties scriptum; in fine Jugurthæ scriptum est : *belli Jugurthini liber Sal. explicit feliciter MCCCCLXII.*

Cod. XXIII. (P. Cat. III. 371. XX. I. Plut. 89. Inferior.) Chartaceus Sæc. XV. Hunc librum, aquis pluvialibus misere foe-

datum, diligentius examinare non libuit; neque operæ pretium visum, pessimo libro oculis perlustrando aciem oculorum obtundere.

Cod. XXIV. (P. Catal. III. 371. xx. 3. Plut. 89. Inferior.) Chartaceus Sæc. xv. Hujus libri eadem conditio; male exaratus, sæpius emendatus, verba transposita, multa omissa. Bibliothecæ dono datus hic Codex a Francisco tertio imperatore; sed donum regium vix dixeris.

Cod. XXV. (P. Catal. III. 371. xx. 4. Plut. 89. Inferior.) Membran. Sæc. xv. nitidissimus liber, sed idem corruptissimus.

Cod. XXVI. (P. Catal. IV. 50. VIII. Plut. 20. Sin.) Ex Bibliotheca S. Crucis in Laurentianam translatus. Membran. in fine hæc scripta sunt: *Explicit liber Sallustii de bello Jugurthino. Deo laus et gloria Amen. et scriptus per me Verdiunum Ser. Donati de sancto Miniale Not. sub anno Dominicæ incarnationis Mcccc. quarto de mense Aprilis, dum officio fungebar in Castilione Florentino cum Antonio de Davanzatis, tunc potestate et protectore meo.*

Initio potissimum hic liber negligenter exaratus, et a manu secunda emendatus est. Multa omissa et aliena addita. Lectiones proprias fere nullas exhibet, nisi menda scripturæ in his numeras.

Cod. XXVII. (Cat. P. IV. 151. x. §. 3.) Membran. Sæc. XIV. qui quidem liber non ex pessimis est, neque is tamen ita comparatus, ut, melioribus codicibus pertractatis, ad textum emendandum aliquid conferat.

Cod. XXVIII. (Supplementum ad Pantini Catalogum II. 387, cod. XLIX) Liber Bibliotbecæ Leopoldinæ; olim gentis Strozzi fuisse perhibetur. Membran. Sæc. XI. literis Langobardicis quæ dicuntur, sed tam negligenter exaratus, ut nisi quis verborum ordinem mente teneat, scripturam legere vix possit.

Cod. XXIX. (Suppl. ad Catal. P. III. 121. cod. CLXXXI.) Membran. Sæc. xv. Nitidissimæ scripturæ liber, primæ literæ va-

rietate colorum et auro adumbratæ, in fine insignia gentis Mediceæ. Sed quamvis sit elegantissimus liber, tamen ab imperitissimo monacho exaratus esse videtur, qui non solum pravas lectiones in textum recepit, sed etiam stultissimas glossas adjecit.

Cod. XXX. (Suppl. ad P. Cat. II. 386. XLVII.) Membr. Sæc. XIV. Is liber quoque, splendorem quod attinet, ex melioribus; accedunt argumenta capitum rubro picta colore, sed tot corruptelis hic liber scatet, ut, si qui de causis corumptorum Codd. scribere volunt, iis hic liber potissimum sit examinandus.

Cod. XXXI. (Suppl. ad Pant. Cat. I. 491. CLXXXIV. §. II.) Membran. Sæc. XIII. Liber nitidus sed multis glossis corruptus, quare totum librum accuratius examinare omisi.

Cod. XXXII. (Pant. Cat. 611. XV.) Chartaceus liber, qui cum alia, tum vitam Salustii continet, quæ ab incerto auctore scripta est. Insunt præterea Donati Grammatici fabularum Ovidii Nasonis abbreviatio, vitæ Persii, Horatii, Juvenalis, Lucani Statii, Terentii, Senecæ, Valerii Maximi, Asconii Pediani Commentarii in Ciceronis Oratt. Priapeia et Fenestella. Recentiorem esse hujus vitæ auctorem cum ex oratione barbara, tum ex aliis facile colligas. Fusius enim de majoribus et minoribus magistratibus agit, et addit : *id enim a veteribus constitutum erat.* Ceterum quæ passim antiqui auctores de Salustio tradunt, satis diligenter collecta et disposita sunt. Multa ex Ciceronis, quæ dicitur, declamatione in Salustium, quam genuinam habuisse videtur, hausit. Pauca præterea de sermonis Salustiani proprietate et de arte historica addidit, sed ea omnia ita comparata, ut nostra ætate edi non debeant.

Reliqui sunt decem Codd. Neapolitani, quorum quinque Membranacei, quinque Chartacei. Magna horum librorum fuerat exspectatio, quos nemo unquam, quantum equidem scio, examinavit. Accedebat ipsa difficultas eos inspiciendi. Nisi enim ipsius

regis jussu licentia Codd. examinandi tibi concessa est, in voluntate bibliothecariorum concilianda operam et oleum perdideris. Sed victis omnibus difficultatibus, cum tandem aliquando aditus ad bibliothecam mihi patefactus esset, inveni libros omnibus fere, quos adhuc excusseram, inferiores. Ex tribus Membranaceis paucas probas lectiones excerpsi; ceteri enim leviores esse videbantur. Neque accuratius eos libros describere attinet, quorum auctoritas in Salustio emendando nulla aut levissima est. Plures Venetiis emti esse videntur, a librariis credo, qui eum Salustii historias typis exprimendas curassent, pessimum quemque librum vendiderunt. *)

*) Præterea vidi codicem Chartaceum Salustii Cortonæ, ubi non solum multa artis monumenta, quæ ad res Etruscas pertinent, sed etiam Codd. aliquot asservantur. Sed librum Salustianum cum legendo percurrerem, eum ex innumeris illis scriptorum antiquorum exemplis esse cognovi, quorum in Italia magnam copiam homines mercede conducti medio ævo scripserunt. Multi enim fuerunt, qui librorum Mss. mercatum instituerent. Inde factum est, ut librarii, magis lucri quam literarum studiosi, sæpius magna incuria Codd. Mss. transcriberent. Merito igitur V. Cl. Niebuhr judicasse videtur, multos libros Mss. in Germania exaratos plus auctoritatis habere quam Italicos. — Patavii in bibliotheca St. Antonii duos Codd. Salustii haberi serius comperi. Cum enim sub Francogallorum imperio hæc bibliotheca maximam partem disjecta atque dispersa fuisset, omnes, quos interrogaveram, Codd. Mss. in ea reperiri posse negarunt; quibus fidem habui, quod integrum diem in bibliothecis perscrutandis perdideram. Sed paucis diebus post, V. D. Hæhnle, juris utriusque doctor, (qui, ut juris Antejustinianei emendatiorem paret editionem, totam Galliam, Hispaniam atque Italiam percurrit) in bibliotheca, de qua memoratum est, duos libros Salustianos invenit, quos Sæc. XI. et XII. scriptos esse judicat. Præterea alium Codicem Sal. ab homine literato, (antiquariis iis nomen est) emit et Lipsiam misit. Sed in tot monasteriis palatiisque, quæ adii quorumque bibliothecas pervestigavi, ne literam quidem Salustianam, nedum historiarum fragmenta, quæ alicubi recondita esse speraveram, inveni. Ipsum fragmentum belli Sertoriani, quod nuperrime in bibl. Vaticana inventum est, Livii non Salustii esse recte judicat V. Cl. Amati. Neque Monachi Italici, (quæ olim Germanorum atque Helvetiorum fuit ratio) libros, quos habent rariores, occultant, sed potius iis est voluptati, si habent, quibus peregrinantium com-

Jam si quis ex me quærat, num post tot Codd. Mss. examinatos, in libris Salustianis, ut nunc sunt editi, multa censeam corrigenda, id quidem affirmare non ausim. Non enim librorum multitudo sed bonitas plurimum valet. Cum vero in Salustio edendo optimi libri jam antea consulti fuerint, fieri non potest, ut recens examinati, etiamsi præstantissimi sint, ad omnia mutanda valeant. Sed primum haud parvi est momenti, quod nihil abs te omissum esse intelligis, ut auctoris alicujus libri quam emendatissimi sint. Hoc quidem fieri non posse, nisi plurimi libri Mss. examinati fuerint, nemo est, quin nesciat. Sola enim codi-

---

modis inserviant. Sed fere optimus quisque liber ex monasteriis in bibliothecas publicas translatus esse videtur. Num Augustæ Taurinorum in bibliotheca regia aliquot Salustii Codd. sint, nondum cognovi. Cum hanc urbem adeundi otium mihi non esset, a V. Cl. Peyron, bibliothecæ præfecto, per literas petivi, ut hujus rei me faceret certiorem; quæ cognovero, in commentariis exponam. — Cæterum præstantissimus Salustii codex nuper incendio deletus esse dicitur. Hunc lapidariis literis scriptum et in monasterio Hispaniensi (Mont Serrat) reconditum Francogallorum barbaria, qui totum monasterium diruerunt, periisse V. D. Hæhnle me edocuit, quo præsento hanc jacturam monachi conquesti fuerunt. Quod attinet ad Codd. Salustianos, qui in bibliothecis Germanicis latitant, de paucis certiora cognovi, sed quæ non magno mihi fuerunt incitamento, ut eos diligentius excuterem.

Extat Stuttgardiæ in bibliotheca Regia Cod. Salustii Chartaceus *de Catilinæ conjuratione* (N.° 403.) Sæc. XVI. ineunte scriptus; adjunctus est commentarius, quem V. D. Moser, bibliothecarius, ab Johanne Aventino scriptum esse conjicit. Sequitur vita Salustii eodem fere exemplo, quo vita in editione Lugdunensi MDXXXIII. expressa. Cæterum liber ut recentissimus, ita in emendando Salustio nulli fere usui est. Alii sex Codd. Salustii sunt Berolini, quorum accuratam descriptionem et variantes lectiones summa cum diligentia ex aliquot capitibus collectas ad me transmisit juvenis humanissimus atque doctissimus, Fridericus Sander, Philologiæ studiosus, Berolinensis. Berolinensis I. inter Codd. Mss. Latin. Fol. 49. Chartaceus foliis maximis. Sæc. XV. ut videtur scriptus. Solum continet Catilinam qui titulo caret. Berolinens. II. inter Codd. Mss. Latin. Fol. 29. Chartaceus, foliis maximis anno MCCCCLXX. Pragæ scriptus, id quod in fine Jugurthæ notatum est. Insunt præterea multi alii libri. Codd. Berolinensis III. Membranaceus, octonis, nitidissimus. Sæc. XIV.

cum auctoritate ars critica sæpissime nititur. Operosa igitur illa lectionum variantium collectio ad falsa exturbanda et ad vera restituenda plurimum valet. Accedit quod, etiamsi in libris, quos contuleris, lectiones non inveneris, quæ receptis sint præferendæ, (quæ tamen meorum librorum non est ratio) tamen multa edoceris, quæ in arte critica gravissima sunt. De causis corruptelarum accuratius cognosces, quo orationis genere usus sit auctor, hinc optissimum intelliges, de ipsis lectionibus variantibus rectius statues, et multo paratius atque instructius ad criticam exercendam accedes. Salustium quod attinet hoc assecutus sum, ut multa

---

vel xv. scriptus Catilinam et Jugurtham continet. Fuit olim in bibliotheca Laurentii Santenii, unde emtum cum ceteris libris suis H. Fr. Diezius bibliothecæ Regiæ legavit. Cod. Berolinensis IV. inter Diezianos, qui forma quadrata sunt 49. In fronte quidam notavit Sæc. XIII. librum sibi exaratum videri et sane antiquitatis speciem præfert, ductibus literarum sæpissime evanidis. Non pauca alia manus emendavit. Berolinensis V. inter Santenianos 249. Membran. octonis, nitide sed atramento sæpius pallescente exaratus Sæc. xv. continet cum alias Ciceronis Oratt. tum Invectivas. Berolinensis VI. inter Santenianos. 72. Chartaceus Sæc. XV. octonis; qui et ipse Invectivas continet, quas integras V. D. cum editione mea contulit.

Horum Codd. qui integrum Catilinam et Jugurtham continent, primus et secundus deteriores, tertius et quartus, meliores esse videntur. Cum in I. et II. orthographia corruptissima sit, *c* et *t*, *e* et *ae* mutata, in III. et IV. aliquoties *quom*, *maxumo*, *lubido* scriptum sit. Lectiones quidem horum librorum proprias paucissimas inveni; sed aliquoties meliorum auctoritatem confirmant. Primus quidem nonnullis locis brevior ipso Cortio est, quamvis glossis abundat.

Paucas lectiones transcribam: *Catil.* 1. animantibus Berol. 1. 3. omnis nostra 1. 2. 3. beluis 1. 2. Nam priusquam 3. 4. indiget 3. 4. – c. 2. – et tum vita 1. transiere 3. 4. – c. 3. – At mihi quidem 3. 4. tamenetsi B. 3. (m. pr.) quæ reprehenderis (*delicta* omisit) 4. studio R. p. latus 1. ibique multa adversa 4. – c. 4. – disidia 1. incepto ambitio 1. quod a spe 1. inprimis memorabile 1. – c. 51. – animus providet, ubi 1. inpulsi 1. copia *est* memorandi – (*est* in 3 locum mutat in 4 m. sec. addidit) consuluerunt 1. 2. 3. 4. dimisere eos 1. multa nefanda facinora 1. (m. sec.) 4. plus aput vos valeat 1. 2. 3. 4. exuperat 1. 2. domos spoliari 1. 2. 3. 4. cruore luctu 3. conjuratione faceret.

eorum, quæ mutaveram, jam non modo probabilia sed extra omnem dubitationem posita sint; alia contra, quæ Cortius invitis libris emendaverat, Codd. auctoritate firmentur. Qua in re sæpius miratus sum doctissimi viri intelligentiam, qui solo ingenii acumine usus seu potius quadam animi divinatione permotus, omnibus quos cognoverat libris repugnantibus, a librariorum glossis Salustii sermonem defendit. Sed, ut eo revertatur, unde profecta est oratio, gravissimum duco, quod plurimis Codd. examinatis intellexisse mihi videor, quantum librorum auctoritati, et quantum judicio tribuendum sit. Variis enim librariorum erroribus, scripturæ mendis aliisque vitiis perspectis cognovi, Grammatecis in recensendis, librarios in describendis Salustii libris multo sæpius perverso quodam corrigendi studio abreptos fuisse, quam vulgo perhibent. *) Sed hac de re plura in commentariis. Quod quidam

---

Item 1. aliis alia 3. 4. dimissi in obscuro 2. 4. fortuna pares sunt 2. meminere, in hominibus 2. paulo sævior 2. 3. sententia mihi non crudelis 1. eam modestiam 3. de timore supervacuum 1. præsertim diligentia 1. 3. 4. possum equidem 1. m. sec. sed in exilium permitti 3. 4. ignavos 1. 3. merito accidit 4. pro vero aliquid 2. 3. sapientia major illis fuit 1.

Jugurtha 85. quo pluris est 2. 3. 4. beneficia 2. substineam 3. in naturam vertitur B. 2. 3. 4. ex illo globo ad hoc 3. imaginum stipendii 4. imperatorem quaerat. 3. faciunt idem 3. expectant 3. etiam apud 2. hujus rei 3. mea facta 2. 3. 4. Equidem non 2. facundiam 3. 4. lacerarent 2. equidem mei ex animi 3. ex sententia animi mei 4. hæc nobilitas (*hæc* om. 4.) hoc civile (*hoc* om. 4.) majores nostri 3. et ex parente 2. et aliis 4. divitiarum: arma 4. jocondiora 2. 3. 4. habetole 4. pror. avaritia.

*) Vir doctus, qui nuper (in Ephemerid. Literar. Jenens. MDCCCXXIV. Novbr. p. 290.) censorium munus usurpavit, (invita quidem Minerva, si quid video) mihi vitio vertit, quod Codd. Mss. Salustianos non in classes et familias digesserim, et quo majoris etiam me erroris convincat, me ipsum, quod improbaverim, facere dicit, quippe qui alios libros meliores, alios deteriores dixerim. Sane si hoc est in classes distribuere, recte judicat criticus ille acutissimus, et nihil facilius, quam stemmata ista Codd. Mss. conficere. Sed mihi quidem persuasum est, hoc fieri non posse nisi unum certe sit auctoris alicujus

opus antequam aggredior, paucis exponere placet, quasnam in auctoribus Græcis atque Latinis illustrandis Grammattici seu interpretis partes esse existimem, et quid ipse in Salustio edendo spectaverim. Quamvis enim vix fieri posse videtur, ut hæc res in disceptationem quæstionemque vocetur, quippe quam in vulgus notam esse credideris, tamen de munere et officio interpretis tantopere variant judicia, ut non alienum putaverim, hac de re meam qualemcunque proponere sententiam. Nova quidem atque inaudita me docere tantum abest, ut existimem, ut potius memoria mihi repetenda esse videantur, quæ antiquiores critici secuti fuerint. Quorum vestigia quamvis non defuerunt, qui legerent, multi tamen in alia omnia abierunt. Quibus si meam sententiam parum probaverim, hæc eo consilio dicta esse putent, ut quo modulo metiendi sint mei commentarii, æquos judices doceam.

---

exemplum ceteris multo antiquius et satis emendatum. Haud facile enim de vero et incorrupto auctorum sermone judicium facias, quorum proprietatem et integritatem expressam non videris. Neque quis dixerit, vera a falsis distinguere, proprium criticorum esse munus; nam in scriptura auctoris, qui a vulgari loquendi usu recedit, multa probabilia dicere licet. Non quæritur quæ Græce vel Latine dici possint, sed quænam lectio auctoris cujusdam proprietati maxime respondeat. Eam alii aliam sibi fingere solent, quod quidem nescio an ad ullum scriptorem magis quam ad Salustium pertineat, quem multi quidem admirati sunt, sed pauci intellexerunt; suspecta enim illa facilitas falsos eos habuit. Unde fit, ut, nisi quis bonis Codd. usus fuerit, acutius quam verius judicet. Multas Cortii conjecturas, (imo ipsius Bentleji in Horatii carminibus) magis laudaveris quam probaveris. Sed cum nullus Salustianorum Codd. ante Sæc. x. scriptus esse videatur, cum ii, qui optimi esse putantur, Guelferbitanus V. Basileensis I. et Vaticanus a. (nam de Nazariano et Commeliano ceterisque melioris notæ libris nihil certi statuere licet) non paucis locis inter se differant, nec minor sit ceterorum librorum, qui amplius centum et quinquaginta numerantur, diversitas, quæ tanta erit critici alicujus sagacitas, qui nos doceat, ex quonam fonte tanta ista variantium lectionum farrago fluxerit. Haud dubie grammaticorum antiquorum prava diligentia et librariorum errores multa turbarunt; sed id quæritur, cujus libri scriptura ad

Quadripartita mihi videtur esse philologorum provincia; critica scilicet, grammatica, historia atque rhetorica continetur. Neque his plura addiderim; nam quæ a nonnullis adjunguntur scientiæ, aut ab iis, quas enumeravimus, parum diversæ, aut ab humanitatis studiis plane alienæ sunt. *) Criticæ haud dubie primæ sunt partes, et ea ipsa bipartita. Aut enim in singulis verbis examinandis versatur, aut ad totos libros pertinet. Hanc altiorem, illam inferiorem nominant. Sed ut prudens atque subtile sit judicium, et ut ars critica, quam dicunt, via et ratione procedat, cum ceteris disciplinis arctissime vinculo conjuncta sit, necesse est. Quo quidem omisso, vana ista ostentatio oritur, quæ sincera et integra expellit, aliena probat, codicum et antiquitatis testimonia pro nihilo habet, opinionum commenta summis laudibus effert, et, ut dicam quod sentio, in re futili laborem perdit atque profundit. Quare nolim ab eorum partibus stare, qui critici proprium quoddam munus et a ceteris disciplinis sejunctum esse statuunt. Nam etiamsi concesseris, primum in emendandis libris operam esse ponendam et, quod gravissimum est, exploran-

incorruptum auctoris sermonem proxime accedat, seu potius eum exprimat. Quod nisi exploratum fuerit, de classibus et familiis Codd. multa hariolari, sed nihil certi statuere licet.

*) Philologorum officia alii alia statuunt. Cic. de Oratore I. 42. Grammatica conteneri dicit poetarum pertractationem, historiarum cognitionem, verborum interpretationem, pronuntiandi quendam sonum. Seneca Ep. 85. ita judicat: „Grammaticus circa curam sermonis versatur et si satis evagatur circa historias; jam ut longissime fines suas proferat circa carmina." Sed hoc est blaterantis philosophi judicium, qui præ ea, quam unicam amplexus est scientiam, ceteras artes contemnit.

Diomedes (pagina 421. Edit. Putsch.) et ipse quatuor grammatici officia esse dicit: „lectionem, enarrationem, emendationem atque judicium." Eadem fere Quintilianus. (Inst. Orator. I. 4.) „Hæc professio (grammatica) brevissime in duas partes dividitur, recte loquendi scientiam et poetarum enarrationem . . . . sed cum loquendo scribendi ratio conjuncta est, et enarrationem præcedit emendata lectio et mixtum his omnibus judicium est."

dum, num liber subdititius sit an auctoris, cujus nomen inscriptum est, tamen hoc ipsum dijudicari non potest, nisi ceteris disciplinis adhibitis. Nam ut Quintiliani verbis utar, ita sunt connexa et indiscreta inter se omnia, ut si quid ex his defuerit, frustra sit in ceteris laboratum. Versus enim censoria virgula notare et totos libros, tamquam subdititios, familia movere, ut ambitiosum, ita difficilimum est, nisi quis maximam ex eo percipit voluptatem, quod, quæ ipse judicat, ab omnium persuasione alienissima sunt. Nova quidem hæc jure suo dixeris, nunquam enim inveterascunt; nemini enim probantur. Quam quidem judicii temeritatem cum alii scriptores, tum nuperrime Plato expertus est. Sed tanta vis est argumentorum, quæ magni isti critici a philosophia repetunt, ut, quæ nunquam fuerint, probabilia esse doceant; nam historiæ quidem testimonia leviora sunt, præ ea, quam ipsi profitentur, sapientia. Sed sobrium atque sanum judicium inprimis in partem laboris grammaticam vocat, non quidem eam, quam unusquisque Latinis et Græcis literis vel mediocriter imbutus, cognitam habere sibi videtur, sed quæ, nisi propria singulo-

---

Et II. 1. 4. (grammatica) „tenuis a fonte, assumtis poetarum et historicorum viribus, pleno jam satis alveo fluit, cum præter rationem recte loquendi, non parum alioquin copiosam, pæne omnium maximarum artium scientiam amplexa sit." Lectioni omnes multum tribuunt, quia apud antiquos hæc studia magis ad eloquentiam spectabant. Nostrates vero tantum abest, ut huic grammatici officio satisfaciant, ut potius in oratione pedestri recitanda nullam quantitatis rationem habeant, imo literas *c* et *t* contra gravissima antiquitatis testimonia perverse pronuntient. cfr. præterea apud Sextum Empiricum adv. Math. Græcorum grammaticorum de hac disciplina judicia cap. 3. pag. 12. et 16. cap. 12. pag. 49. (Edit. Aureliana MDCXXI.) Sextus ipse (pag. 19.) recte judicat:

τὸ δὲ τεχνικὸν καὶ ἱστορικὸν καὶ τὰ περὶ ποιήσεις καὶ συγγραφὰς τῆς γραμματικῆς μέρη πολλὴν ἔχει συμπλοκὴν καὶ ἀνάκρισιν πρὸς τὰ λοιπά. Καὶ γὰρ ἡ τῶν ποιήτων ἐπίσκεψις οὐ χωρὶς τοῦ τεχνικοῦ καὶ ἱστορικοῦ γίνεται μέρους, καὶ ἑκάτερον τούτων οὐ δίχα τῆς τῶν ἄλλων παραπλοκῆς συνέστηκεν.

*

rum scriptorum oratione accuratissime examinata, parari non potest. Inter omnes satis constat plurimas grammaticorum regulas, quæ ad sermonis Latini usum illustrandum pertineant, Ciceronianum potissimum dicendi genus explicare; ejus enim orationem, tanquam unicam recte loquendi normam secuti sunt. Antiquiores poetas, Plautum, Terentium atque Lucretium, historicos præterea, Cæsarem, Salustium, Livium et Tacitum aut omnino neglexerunt, aut ideo potissimum laudarunt, ut eos a Ciceronis usu loquendi recessisse docerent. Nolim clarissimi oratoris laudes imminuere, sed etiamsi optimum stili magistrum eum recte dixeris, tamen ut linguæ cujusdam ratio atque natura cognoscatur, non ad unius oratoris elegantias est dirigendum judicium, sed et historici adhibendi et antiquissimi inprimis scriptores, sive soluta oratione, sive versibus scripserunt, examinandi sunt. Hanc quidem legem in Græco sermone illustrando nostra ætate omnes fere sequuntur, sed in Latino nimia Ciceronis auctoritas diu accuratiori ceterorum scriptorum studio offecit. Cum alii, tum Ernestius maxime solum Ciceronem admirati, in historicis interpretandis et emendandis sæpius a vero aberrarunt. Id quod in commentariis, in Livium et Tacitum scriptis, sæpius animadvertas. Nam Salustium quidem sæpius manifesta sermonis proprietas ab isto depravationis genere defendit. In iis igitur, quæ ad Grammaticam spectant, ea præ ceteris notanda, quæ propriam scriptorum orationem illustrant. Sed in his quoque ita versari debemus, ut omnia ad ipsum auctorem, quem tractamus, explicandum referantur. Nam mihi quidem alienum a proposito esse videtur, in commentariis de grammaticis quæstionibus fusius disputare; quæ nonnullorum est ratio, qui hanc ob causam potissimum scriptorem aliquem illustrandum sibi sumsisse videntur, ut de Grammaticorum præceptis disserant. Concedas multa acutissime fuisse animadversa, sed hujus loci esse negabis. Jam enim ea antiquitatis studiorum videtur esse ratio, ut, nisi omnia, quæ ad disciplinam aliquam illustrandam pertinent,

a ceteris sejuncta, peculiariter explicita, in unum corpus redacta atque in ordinem disposita fuerint, ipsa eruditions moles Latinarum atque Græcarum literarum studio plurimum damni allatura sit. Cum nuper demum, Wolfio potissimum auctore factum sit, ut variæ artes atque disciplinæ, quæ humanitatis studiis continentur et in academiis et in gymnasiis separatim doceantur, hoc etiam ad componendos commentarios, quibus auctores illustrantur, valere, nemo non intelligit. Neque latius evagandum, neque aliena tractanda sunt. Quare mihi quidem nihil levius esse videtur, quam istorum hominum studia, qui perversam nonnullorum consuetudinem, auctores cum notis variorum edendi, vel retinuerunt, vel iterum susceperunt et optime de literis meruisse sibi videntur, quod integras omnium priorum editorum animadversiones diligenter collectas iterum ediderint. Hanc enim credo eruditionem putant, varias philologorum opiniones ipsasque perversissimas cognitas habere. *) Quamobrem etiam juvenes hortantur, ut VV. DD. commentarios sæpius legant atque excutiant, et rivulos potius quam fontes consectari eos jubent. Neque eos movet, quod multa ex illis commentariis compilata, transcripta, excerpta vel suo loco laudata sunt, ita ut non pauca eorum in libris legantur, qui pueris scripti sunt. Vix hoc speraverant antiqui illi philologi, fore, qui duobus sæculis post studiose omnia conquirerent, quæ ipsi multis de locis ἐν παρέργῳ animadverterant. — Non negligenda quidem sed in usum potius vertenda, quæ a prioribus editoribus acutius perspecta et subtilius tractata fuerint; imo ne eorum quidem laudi obtrectandum esse censeo, qui primi rectius de re aliqua statuerint, sed hoc etiam reputandum est, quæ tandem antiquitatis studiorum conditio futura sit. Augescunt in dies com-

*) Quintil. Inst. Orator. I. 9, 18. persequi quidem quod quisque unquam vel contemtissimorum hominum dixerit, aut nimiæ miseriæ, aut inanis jactantiæ est, et detinet atque obruit ingenia, melius aliis vacatura . . . . Atqui pleni sunt ejusmodi impedimentis grammaticorum commentarii etc.

mentarii, quibus si integras priorum philologorum notas et animadversiones adjunxeris, tædio laboris enecabuntur legentes ipsorumque eruditorum studia languescent. Sed ut diligentius inquiramus in ea, quæ cujusvis scriptoris orationi propria sunt, omnia, quæ a vulgari usu loquendi recedunt, colligenda atque ita componenda sunt, ut inde pateat, quas scribendi leges auctor secutus sit. Hoc non solum ad singula verba et ad eorum juncturas, sed ad totam libri œconomiam pertinet. Quæ quidem disquisitio ut diligentius instituatur, primum scriptoris, in quo elaboras, orationem cum illorum conferas, qui et eodem tempore literis operam dederunt, et in eodem vel simili argumento illustrando versati sunt. Cum igitur de Latinis literis agetur, primum explorandum est, qua re scriptores aureæ ætatis a prioribus et a serioribus differant, tum oratores cum oratoribus, historicos cum historicis, poetas cum poetis conferas. Imo ne Græcos quidem scriptores, quorum vestigia Latini presserint, accuratius comparasse, abs re erit. Id quod cum in ceteris, tum in historicis potissimum magno usui erit. Quorum quidem orationis quanta sit diversitas a pedestri oratione ceterorum scriptorum, nondum satis intellexisse videntur interpretes. Cæsaris quidem commentariorum alia est ratio, quos ne ipse quidem historiarum libros nominari voluit. Sed ut omittam Vellejum, Curtium, Justinum, qui poeticum orationis colorem quam maxime affectant, ipsos Romanæ historiæ principes, Salustium, Livium et Tacitum, accuratius examinanti, dubium esse non potest, quin historicorum oratio, quamvis aliorum aliæ sint virtutes, ab oratoria Ciceronis eloquentia plane abhorreat. Ut igitur Latini sermonis proprietas diligentius, quam adhuc a grammaticis factum est, illustretur, quæ optimi cujusque auctoris peculiaris et propria sit oratio, non strictim et leviter, quod sæpius factum, sed fusius atque subtiliter persequendum est. Quibus exponendis ne interrumpantur commentarii perpetui, hæc peculiariter pertractanda et commentariis adjungenda sunt. Accedant præterea necesse est, indices verbo-

rum magna cum diligentia confecti, quibus ea illustrantur, quæ in commentatione de scriptorum oratione exposita sunt; ita ut omnes voces atque dictiones scriptori, quem tractas, proprias in indice accurate digestas invenias.

Grammaticam interpretationem historica sequitur. Ea non solum ad historiam, quæ proprie dicitur, referenda est, sed etiam ad fabularum enarrationem (mythologiam) præterea ad juris publici privatique leges et instituta, rei militaris rationem, rerum publicarum formam ceterasque artes pertinet, quæ a Græcis Romanisque colebantur. Totum igitur antiquitatum, quæ dicuntur, orbem complectitur. Quæ cum et alias a philologis illustrata fuerint, tum hoc tempore inprimis his studiis operam navare decet. Quamvis enim omnes officii partes interpretibus suscipiendæ, et si quidem fieri potest, implendæ sunt, tamen nescio an alio tempore alia præ ceteris tractare atque illustrare conveniat. Nam jure meritoque V. Cl. Niebuhr, de multorum philologorum perversitate questus esse videtur, quod historiæ antiquæ enarrationem, propriam illorum provinciam, sive neglexerint, sive plane deseruerint. Sunt enim non pauci, qui philologos nonnisi poetarum carminibus interpretandis summam laudem assequi posse sibi persuadent. Quare Tristia Ovidii vel Senecæ tragœdias explicuisse laude dignius iis esse videtur, quam cum quis in Taciti annalibus illustrandis elaboraverit. Neque negaverim, in quovis auctore explicando viros doctos de literis Græcis atque Latinis optime posse mereri, sed mihi quidem plurimum operæ atque studii in iis enarrandis consumendum esse videtur, qui ad animum ingeniumque excolendum plurimum conferant. Nolim quidem in eorum numerum referri, qui tanquam pædagogi, iis tantummodo studiis delectantur, quæ juventuti utilia esse dicunt, et in ipsis historiarum libris ea potissimum eligunt, quæ pueris exempla ad imitandum proposita esse videntur. Neque illos moror, qui abstrusarum rerum quæstionibus nullum pretium esse statuendum rati, hoc postulant, ut in omnibus studiis doceatur, quantum hæc ani-

mi intentio ad mores emendandos valeat. Profecto ejusmodi homines et a liberalibus studiis alienos, et ipsius animi naturæ ignaros vere dixeris. Sed habent omnes fere disciplinæ frigidas et inanes quæstiones, ad quas ii sæpissime delabuntur, qui et historicam interpretationem et historicos negligunt. Has quidem nugas, quas jactant imperiti et veræ eruditionis nescii, a philologis intactas relinqui et ab omnibus id agi velim, ut quæ habeant percepta atque cognita, ea ad publicæ utilitatis fructum referre studeant. Ita enim fieri posse putaverim ut quantam vim Græcarum Latinarumque literarum studium ad juvenum mores formandos habeat, vel dubiis his formidolosisque temporibus perspiciatur. Sed de historicæ interpretationis ratione hoc adjunxerim. Ut in ceteris ita in historiis enarrandis brevitatis studium mihi probatur. Quare omittenda sunt, quæ ad auctorem, cujus explicandi munus susceperis, illustrandum nihil faciunt. Si vero sunt, quæ fusius exponere non abs re esse videtur, hæc et ipsa peculiariter enarranda et a commentariis perpetuis sejungenda esse censeo. Nam in digressionibus, (quos excursus nuper nominarunt,) his de rebus commodissime egeris. Laudanda mihi inprimis esse videtur Justi Lipsii, Ruhnkenii et Wolfii ratio, qui in ipsis istis digressionibus nunquam longius a proposito aberrarunt. Alii contra recentiorum hunc campum esse rati, in quo libere exspatiari possit oratio, sæpius alienissimo loco quæcunque memoria complectebantur, his in commentationibus pertractarunt.

Rhetoricam interpretationem, auctore Wolfio dico, quam Heynius ejusque discipuli æstheticam appellarunt. Hoc in interpretationis genere fuere nuper, qui tanto studio elaborarent, ut legentibus fastidium crearent. Unde factum est, ut nonnulli hæc a perfecta eruditione aliena putarent, seu scholis certe habendis reservari juberent. Quorum errorem non est, quod refellam. Sed rhetorica hæc interpretandi ratio commode dici posse videtur, quod artificiosa eloquentia, (quæ non solum oratoris, sed etiam poetæ atque historici est,) a rhetoribus inventa et ab iisdem potis-

simum perfecta est. Diversa quidem facundiæ est ratio, quæ natura magis atque ingenio quam arte nititur, quam quidam sunt consecuti sine rhetorum artibus. Hoc libenter concedes sed idem contendes, naturalem vim dicendi, qua et Græci et Latini scriptores excellent, nunquam arte non fuisse perfectam, et hanc ob rem potissimum præclaros atque omnibus numeris absolutos illorum libros videri, quod ad eximiam atque illustrem naturam accesserit ratio quædam conformatioque doctrinæ. Sed hæc hactenus de nomine. Rem ipsam quod attinet, cavendum est, ne, quæ enarranda et expedienda sint, omittamus, et ubi orationis concinnitas humanissima permulcet animum voluptate, ut concio solet, si verba apte ceciderunt, euge! euge! exclamemus. Horatianum illud, nil admirari, etiam philologis non ultima laus est. Sed in ipsam dicendi artem inquirendum, et persona judicis induenda est, qui nihil arbitrio et incertis opinionibus relinquit, sed omnia refert ad leges atque præcepta bene dicendi. Non dubito fore multos, qui hoc levioris momenti esse existiment, sed mihi et difficillimum et gravissimum esse videtur. Docere enim, quid in sensibus, quid in verbis laudandum, disputare præterea de tropis atque figuris, de apta membrorum atque numerorum compositione, de orationis ornatu, concinnitate atque colore, de ipsorum scriptorum ingeniis existimare, et, quæ totius orationis sit œconomia, accurate atque diligenter illustrare, nescio an non minoris artis sit atque ingenii, quam apte et concinne dicere. Artis igitur Rhetoricæ leges sunt explicandæ et, ut bene Quintilianus, artificialium monendi legentes. Plurimi contra interpretes, qui interpretationi rhetoricæ operam dant, de sententiis maxime disputant. Sed quamvis laudanda est sententiarum gravitas, tamen qui solam orationis virtutem sententias putant, de præstantissimis Græcarum atque Latinarum literarum monumentis parum recte judicabunt.

Quæ paucis de munere interpretis exposui, ea in Commentariis Salustianis secutus sum. Errant igitur, qui hoc sibi persuaserunt, fore, ut commentarii ad criticam potissimum pertinerent. Licet enim hac de re fusius agere necesse est, cum maxime tot lectiones, antea ignotæ, in Italicis Codd. inventæ sint, tamen in quantum per ingenii mei mediocritatem fieri potest, omnes interpretationis partes commentariis complectar. Hoc facilius etiam fieri potest, quod multorum VV. DD. opera atque studio Salustii libri multis in locis jam doctissime illustrati sunt. Quibus diligenter collectis cum, quæ ipse melius mihi intellexisse videor, accesserint, quam in Salustio emendando atque illustrando operam atque curam posuerim, æquis judicibus non male locatam videri, spero atque confido. *)

Scripsi Basileæ ix. Kal. Martii MDCCCXXV.

---

*) Quo tempore hæc scribebam, literæ viri clarissimi Am. Peyron ad me perlatæ sunt. Ex his cognovi Augustæ Taurinorum in bibliotheca regia tres Codd. Salustianos haberi, quos ita describit. Cod. Taurin. I. (in Catalogo 568.) Membranaceus foliis majoribus Sæc. xiv. bellum Catilinarium continet. Cod. Taur. II. (in Catal. 1054.) Chartaceus Sæc. xv. idem bellum continet. Neuter ex melioribus. Cod. Taur. III. (1055. in Catal.) Sæc. xv. bellum Catilinarium et Jugurthinum continet. Liber haud contemnendus, qui, quanquam sæpissime alieno loco verba et particulas omittit, ita ut librarii incuriam facile intellexeris, tamen et proprias habet lectiones, ex quibus nonnullas transcribam:

Jugurtha c. 96. opportunissimus esset - sua cara - 87. Jugurthæ placuit - 88. postquam invidia dycesserat - gravior accederet - 89. ac primo mediocriter gerebat - quorum vis - ni quod apud - jubet prædicitque se - ignaris parare - postquam jussum est castris - alii venundati - infidum neque antea - 92. incommodo magnus (*patravit* deest) - plura propter Casp. (*deserta* deest) - prope consistere - 93. difficilia animadvertit - qua ipse ascenderat - 94. compositis omnibus - verum Numidica - Jugurthæ sævitiam - 95. At illi felicissimo - nusquam super industriam - 96. postquam in castra Marii - amborum exercitus conjunctus - adventu, et ipsi hostes (*cognovit* deest) - ullo modo prœlii - hostes nostris numero plures - atque ab omnibus partibus (*ita* deest) 98. fortissimis viris magis - itaque dies consumptus erat - noctem prodesse rati . . . Tunc - duos proximos inter se - ex magna parte - munimenta gerebat - fugere pro victoribus agere - 99.

lux ubi - tumultu formidine terror - fusi fatigati - plures eo prœlio - 100. cœperat hiberna propter commeatum - A. Manlius funditoribus - intentusque milites - iter faceret - illoque aliisque - malo verbere exercitum - ajebant quod a pueritia - 101. idem omnes signif. - in manibus venerant - hoc modo equites - morati fuerant - primos agebat, quod - plurimis erat. Deinde - quam fide terrentur - acrius cedere - paululum a fuga aberant - vitabundus erupit - sic multi volnerib. - omnia loca, qua visus - 102. quintum quem barbari - quo ingenium aut - leticia nobis - atque sceleratissimum persequi - utiliusque rati . . imperare - quia procul - ad hoc usque tempus - nunc per illam licet - multaque oportuna - victum : Nam - unde Jugurtham expulerat - ab amicis fessus - 103. evenerant - ex copia necessar. - Marium deinde si - permittit illis - spoliati, pavidi - 104. negotio confecte, quo - et de adventu - factus est - Rom. eundi potestas fit - impetratis omnibus rebus - stip. in Africam portaverat - tunc cetera , cum benignitatem - 105. cujus arbitratu communibus - equitum peditum - sed itinere - exploratorum missi - 106. illi simul - esse missum denique - illum et prox. - a specul. - 107. ab hostibus vertere - ac perfidiæ - opesque ex patre - 108. bona acceptus, quem - 109. occulto , nullo - vir sententia ambobus - 110. quod fuerit mihi eguisse aliquando precio tuæ amicitiæ - de republica cujus - 111. amicitiæ fœdus - ad hæc metuere - invisi erant - 112. in castra Jug. proficiscitur - senatus et jussu populi - in hostium potestatem - 113. Ea maurus - promittit - Marium deducitur - Italia intremuerat - vinctum adduci nunciatum (*Romam* deest).

Ceterum V. Cl. Peyron, mihi significavit in Codd. Palimpsestis se nihil, quod ad Salustium pertineret invenisse, ita ut spes abjicienda esse videatur, fore ut ex istis libris vel fragmenta inedita vel lectiones præstantiores eruantur. Hoc tamen mihi solatio est, quod in Italia nullum vel paucissimos libros Mss. Salustianos inveniri posse existimo, quos non aut accuratius examinaverim aut ita certe excusserim ut, quid de iis statuendum sit, cognitum habeam.

Corrigenda :

Pag. 48. lin. 11. Grammatecis c. Grammaticos. — lin. 14. quidam c. quidem.

DE
C. SALUSTII CRISPI VITA ET SCRIPTIS.

Vitam moresque scriptorum accuratius examinare cum antiquitus usitatum fuerit, nostra quidem ætate pervulgatum est, ita ut commentarios grammaticos scripturus facere non possit, quin hac de re subtilius disserat. Quantumvis enim manca atque incerta sint, quæ de plurimorum Græcorum atque Latinorum auctorum vitis accepimus, tamen vel pauca illa testimonia, diligenter examinata, ad literarum monumenta illustranda aliquantum lucis affundere posse, quis est, qui dubitet? Rectum judicium de scriptore ut facias, non solum de ejus ingenio disputandum, sed etiam qualis animi indoles et quales mores ejus fuerint, explorandum est. Quam enim laudant orationis proprietatem in optimis scriptoribus, ejus origo non magis ad ingenii facultates, quam ad generosiores animi sensus atque affectus referenda est. Quibus cognitis multo rectius de variis scribendi generibus statueris. Neque præterit vel leviter his literis imbutos, quanto paratiores ad interpretationem accedant, qui exploratum habeant, quibus rebus inductus aliquis auctor se ad scribendum contulerit, aut quid potissimum in carmine, oratione aliove libro componendo spectaverit. Hoc quidem sæpius ex ipsorum librorum argumentis posse cognosci, non est, quod fusius enarremus. Sed alii scriptores viris doctissimis multifariam hac de re disputandi præbuere materiem. Tantum enim abfuit, ut de auctoris consilio inter eos conveniret, ut potius alius aliter judicaret. Quis est, qui nes-

ciat, quam varie V.V. D.D. de Horatii epistola ad Pisones statuerint? Quid Tacitus potissimum in libello de situ et moribus Germaniæ secutus sit, etiamnum non pauci sunt, qui dubitent. De Platonis dialogis vero tam varia sunt philologorum et philosophorum judicia, ut si auctoris vita, ab antiquo grammatico accuratius scripta, ætatem tulisset, multorum errores refelli posse viderentur.

Sed clarorum auctorum vitas enarrare, ut serius apud Græcos atque Romanos in usum venit, ita sæpius in his libris desideratur diligentia atque accurata veri investigatio. Nam cum eorum, qui rebus præclare gestis magnam sibi gloriam paraverint, tot tantisque erroribus sit implicata memoria, quid tandem in literatis hominibus factum esse putaveris, qui sæpius remoti a rebus publicis se ad literas atque scribendi studium contulerunt? Ipsa argumenti tenuitas fabularum atque com-

---

1.) Nominis et cognominis ordinem vulgatum mutavi auctoritate Taciti et Asconii Pediani permotus; quibus accedit auctor de bello Africano. Cfr. Ascon. Pedian. Comment. in Ciceron. Orat. pro Milone pag. 36. b. Edit. Aldina MDLXIII. „tres tribuni Q. Pompejus Rufus, C. Salustius Crispus, T. Munatius Plancus." cfr. Tacit. Annal. 1, 6. 2, 40. 3, 30. Auct. de b. Afric. c. 8. Adde Horat. Od. 2. 2; ubi in inscriptione libri meliores hunc ordinem retinent, quem expresserunt Fea et Jæck. cfr. præterea inscriptionem infra laudatam Ap. Murat. Thes. Inscr. p. CMXXXI. Cfr. Porphyrion. ad Horatii sermones. 1. 2. 42.

2.) Ceterum qui *Sallustius*, geminato l. scribendum esse judicarunt, ex. gr. Cortius, Visconti, Schneider, inscriptionibus in orthographia plurimum tribuunt, quarum longe maxima pars literam l. duplicatam exhibent. Cfr. præter innumera exempla, in Gruteri et Muratori thesauris collecta, Donati supplem. ad Mur. Thes. pag. 185, 5. ibid. n. 4. pag. 186, 1. (ex Maffei Museo Veron. 293, 8.) ibid. 2. pag. 300, 4. (ex Sponii Misc. pag. 359.) pag. 301, 1. p. 312. 4. *Marini Iscrizioni Albane*. p. 65. p. 124. *Marini Atti de Fratelli Arvali*, p. 268. p. 611. p. 703. a. Vermiglioli *Iscrizioni Perugine*, T. 2. p. 378. De Lama Iscrizioni Antiche, Parma 1818. p. 104. Quæ quidem loca, summa diligentia congesta, accepta refero humanitati Orellii, viri doctissimi atque clarissimi, qui optimas Inscriptiones in ordinem digestas edere cogitat.

menticiarum narrationum causa fuisse videtur. Excogitanda enim erant, quæ tanta ingenii gloria digna viderentur, seu certe novitate quadam legentium animos adverterent. Accessit sæpius seriorum criticorum malignitas, qui clarorum ingeniorum laudibus obtrectare judicium atque acumen habuerunt. Inde facile intelligas, multa cum circumspectione esse examinanda, quæ ad illustrium scriptorum vitas pertineant. Id quod sæpius neglectum multorum errorum causa fuit. Salustius quidem vitæ scriptorem habuit virum gravissimum atque diligentissimum, Asconium Pedianum. Sed hoc libro deperdito, ex variis veterum grammaticorum commentariis et seriorum scriptorum historiis sunt colligenda, quæ ad ejus vitam illustrandam pertinent. Ex his quæ probabilia esse videntur, paucis exponam.

C. Salustius Crispus 1.) Amiterni in Sabinis natus fuit, 2.) C. Mario et

---

Plurimum auctoritatis habere videntur, quas ad Salustium auctorem et ejus gentem spectare nemo dubitat. Hæ infra sunt scriptæ;

M. AURELIUS PACORUS ET M. COCCEJUS STRATOCLES ŒDITUI VENERIS HORTORUM SALLUSTIANORUM BAZEM CUM PAIMENTO MARMORATO DEANÆ D. D. Hanc tamen ad seriora tempora esse referendam in aperto est. Cfr. Grut. p. XLIX. 4. VENERI FELICI SACRUM SALLUSTIA. . . HELPIDIUS D. D. Accedit tertia inscriptio memoratu dignior, quia Octaviano imperante scripta esse videtur. Cfr. Muratori Thes. Inscriptt. p. CMXXXI. 2: M. POBLICIUS M. L. MODESTUS EROTI C. SALLUSTII CRISPI SERVO METELLIANO FRATRI SUO.

Quam quidem inscriptionem, in Liviæ sepulcro inventam adhuc a nemine laudatam esse miror. Præterea ipse in Museo Vaticano duas statuas vidi, quibus *Sallustiæ* nomen inscriptum est, litera l. geminata. Pompeji quoque in sepulcro nomen ita scriptum est. Eandem scripturam probat Martianus Capella, p. 54. Ed. Grot. *l exilem sonum reddit cum geminatur, ut sollers, Sallustius.* Cfr. Schneider de elementis L. L. p. 414. Sed quamvis haud contemnenda hæc testimonia dixeris, tamen parum firmam esse eorum auctoritatem jam inde patet, quod aliæ inscriptiones nomen uno l. scriptum exhibent. Cfr. Gruteri Inscriptt. p. 824. n. 5. 7. p. 1059. n. 4. p. 992. n. 7. 11. 8. ubi in eadem inscriptione nomen Sallustius modo duplici, modo uno l. scriptum est, et in Murat. thes. Inscrptt. p. MCCCXCIX. n. 9. p. MDCCXL. n. 7. 8. 10. p. CLXXII. n. 1. p. DCCCCLXXV. n. 9. Salustia

L. Cornelio Cinna Coss. (U. C. DCLXVIII. a Chr. LXXXVI.) Patre Plebejo cum ortum esse, inde colligas, quod postea tribunus plebis factus est et ab eorum partibus stetit, qui optimatium auctoritatem infirmare studebant. 4.)

Quo tempore, patria relicta, Romam migraverit et quibus Græcarum

---

Telesphori in Reines. Inscriptt. 655. e Piccarti Schedis. Apud Richardson T. II. p. 271, hanc inscriptionem scriptam esse Debrossius auctor est:

M. AURELIUS PACORUS ŒDITUUS SANTAE VENERIS IN SALUST. HORTIS SPEI AVUM CUM PAEMENTO SOMNIO MONITUS SUMTU SUO D. D.

Adde Ekhel Doctrina Num. Tom. V. p. 299. ubi de notissimo nummi inscriptione *Salustius autor* agitur. Fabric. Bibl. Latina Suppl. p. 178. Spanheim. de præstant. et usu Num. p. 299. Sed ne longiores simus in excutiendis inscriptionibus, quibus multos nimium tribuisse satis constat, hoc primum monendum, in optimis meis, Cortii et Gruteri codicibus, nomen Salustii uno l scriptum esse. Dissentit unus Vaticanus a. qui solas orationes et epistolas continet; sed titulus, ut supra memoratum, a manu secunda et multo recentiore adscriptus est. Ita etiam Cod. Basileensis Horatii perantiquus. (Od. 2, 2. et Satir. 1. 2. 42.) Eandem scripturam Krehlius in editione Prisciani exprimendam curavit, neque dubito, ceteros Codd. in quibus Salustii nomen occurrit, cum iis, quos laudavimus, consentire. Accedunt scriptores de Regionibus urbis Romæ Sextus Rufus et Publius Victor (cfr Grævii Thes. Vol. III.) qui in Regione VI. *Alta Sèmita* Forum *Salustii. Templum Veneris in hortulis Salustianis* nominant; apud Victorem præterea sejunctim *Horti Salustiani* commemorantur. Eadem scribendi ratio est in *Descriptione Urbis Romae*, quam imperante Honorio aut Valentiniano tertio compositam esse judicat Muratori et edidit Philippus Labbe 1651. Sed in codice Vaticano quem Muratori contulit l. duplicatum est: *Hortos Sallustianos* cfr. Thesaurum Inscriptt. Vol. IV. MMCXXVIII. Codd. Salustianorum scripturam denique confirmant, scriptores Græci omnes ad unum, Appianus, Plutarchus, Dio Cassius, Stephanus Byzantinus, Suidas. Nam quem Fabricius laudat in Excerptis Peirescianis, p. 393. Johannes Antiochenus, fidem ceterorum non imminuit; locus enim non satis accurate videtur esse descriptus. — Verba hæc sunt: *καὶ Σαλλούστιος ὁ Ῥωμαῖος συγγραφεὺς ἔφη καλοῖς αὐτὸν (τὸν Σύλλαν) ἐγχειρήμασι κάκιστον ἐπενηνοχέναι τὸ*

Latinarumque literarum doctoribus usus fuerit, incertum est; sed jam a pueritia artibus liberalibus eum operam dedisse facile credideris, quod juvenis admodum historiæ scribendæ consilium cepit. 5.) Sed si declamationis in eum scriptæ auctori fides habenda, jam adolescentulus luxuriæ ac libidinibus deditus fuit. 6.) A qua turpitudinis nota non alie-

---

τέλος. Cfr. Fabric. Bibl. Lat. Ed. Ern. Tom. I. p. 237.

Eodem modo Inscriptio Græca Ancyræ reperta ap. Murat. p. 1999. 9. Jam cum antiqui Romani consonantes non geminarent (cfr. Quintil. Instt. Rhett. 1. 7. 14. « semivocales non geminare diu fuit usitatissimi moris") idem scribendi genus Salustio, antiquitatis amantissimo, quam maxime consentaneum est; nam apud eundem ubique *causa paulum*, *belua* scriptum. Cfr. Schneid. de Elemm. L. L. p. 394. sq. et p. 398. Etiam Cortius de geminatis semivocalibus ad Catil. 17. 3. illa quidem vetustissimis, hæc (scil. geminatæ literæ) recentioribus usitata. Quid quod etymologia, ut etiam hanc artem ad partes vocemus, idem docere videtur? Nam *Salustius* haud dubie a *salus* derivandum, ut *Rustius* a *rus*. Ceterum etiam in aliis vocibus, quæ Salustio simillimæ sunt, scriptura fluctuat. cfr. *Salius* et *Sallius* Ap. Murat. Indic. Thesaur. Inscriptt.

3.) Testis Eusebius Chronicon ad annum MDCCCCXXXI.: Σαλούστιος ἐγεννήθη καλάνδαις ὀκτωβρίαις. et interprete Hieronymo: « Salustius Crispus scriptor historicus in Sabinis Amiterni nascitur, Anonymus: ἐν ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ· Σύλλας τὰς Ἀθήνας ἐξεπολιόρκησε· Κρίσπος Σαλεύστιος ἐγεννήθη. cfr. Fabric Bibl. Lat. l. l.

Amiternum haud procul fonte Aterni fluvii, qui nunc Pescara dicitur, situm esse Cluverius docet. In ruinis, quæ etiamnum exstant, in sinistra amnis ripa, prope oppidulum, cui nunc nomen S. Vittorino, V. Cl. Amati mihi pro certo affirmavit, se nomen Salustii legisse.

4.) Fuerunt qui eum patricio genere natum esse putarent, quod Dio Cassius eum τῶν πανύ γενναίων fuisse dicit. Lib. 40. cap. 63. Locum infra laudabo. Sed etiam plebeji homines nobiles fuerunt. Salustium vero ex eorum numero fuisse, non adduci possum ut putem. Cum enim ejus majores domicilium Amiterni haberent, summos honores non adepti esse videntur. Neque Salustiorum nomen in fastis Consularibus legitur. Accedit quod ejus nepotem Tacitus equestri loco ortum dicit. Ann. 3. 30.

5.) Cfr. præfat. Catilinæ c. 4. Ep. II. ad Cæs. c. 10. — 6. Posteaquam

num est, quod scholiastæ Horatii eum Nomentani cujusdam cocum centenis millibus æris conductum habuisse narrant. 7.) Unde factum, ut ære alieno magno conflato, domum paternam vivo patre vendere cogeretur. Postea ipsius sacrilegii reus et bis ad judicum subsellia attractus, extrema fortuna stetisse dicitur, auctore eodem illo declamatore, qui Ciceronis personam induit. 8.) Sed flagitiorum, quæ multa juvenis commisisse arguitur, nullum famosius, quam quod cum Fausta, Milonis uxore, fecit adulterium. 9.) Nam a Milone deprehensus loris bene cæsus et nonnisi cum pecuniam dedisset, dimissus est. Hæc haud dubie erat causa, quod, cum post quæsturam administratam 10.) tribunus plebis factus esset, (U. C. 702. A. Chr. 52.) Clodio a Milone interfecto, una cum Q. P. Rufo et T. Munatio Planco, tribunis plebis, inimicissimas de Milone habebat conciones. 11.) Iidem Ciceronem quoque, qui Milonis causam defendendam susceperat, variis contumeliis lacerabant, et Milonis quidem manu sed majoris alicujus consilio cædem esse factam jaciebant. 12.) Pompejum etiam, antequam tertium consul crearetur, ad populum produxerunt, et ab eo quæsierunt, num indicium ad eum esset delatum, vitæ ejus insidiari Milonem. 13.) Postea vero Q. Pompejus Rufus et C.

---

immensæ gulæ impudicissimi corporis quæstus sustinere non poterat, et ætas tua jam ad ea patienda, quæ alteri facere collibuisset, exoleverat, cupiditatibus infinitis efferebaris, ut, quæ ipse corpori tuo turpia non duxisses, in aliis experireris.

7.) Cfr. Horatii Sermon. I. 2. sub fin. — 8.) Declamat. in Sal. c. 5.

9.) Acron. et Porphyr. ad Horat. Sermon. 1. 2, 42. *Ille flagellis ad mortem caesus* etc.. et Aul. Gellius 17. 18. „M. Varro, in literis atque vita fide homo multa et gravis, in libro quem inscripsit Pius aut de Pace, C. Salustium scriptorem seriæ illius et severæ orationis, in cujus historia notiones censorias fieri atque exerceri videmus, in adulterio deprehensum ab Annio Milone, loris bene cæsum dicit, et cum dedisset pecuniam, dimissum. Cfr. etiam Servium ad Virg. Aen. 6. 612. *Quique ob adulterium caesi* etc. „Si re vera *caesi*, Salustium significat, quem Milo deprehensum sub servi habitu, verberavit in adulterio suæ uxoris Faustæ filiæ Sillæ. 10.) Declamat. in Sal. c. 5. „primum honorem in quæstura adeptus, hunc locum et hunc ordinem despexit."

Salustius in suscipione fuerunt in gratiam rediisse cum Milone et Cicerone. 14.) Sed duobus annis post, L. Aemilio Paulo et C. Claudio Marcello Consulibus, Salustius ab Appio Claudio censore, senatu motus est. 15.)

Cujus rei causam Dio a partium studio repetit, 16.) quo Appius, Cæsari inimicissimus et Pompeji studiosus, flagraverit; scholiastes Horatii contra hanc ignominiam Salustio propter libidines inustam fuisse dicit. 17.) Quod testimonium etiamsi parum firmum esse videtur, cum maxime contra historici auctoritatem pugnet, tamen cetera quæ isti scholiastæ tradunt, meras fabulas putare, vide ne insipientis potius quam critici esse videatur. A Porphyrione enim eodem loco Asconius Pedianus, Salustii vitæ scriptor laudatur. Ceterum hæc injuria, Salustio ab iis illata, qui et Pompeji et optimatium partes defendebant, præterea rei familiaris angustiæ eum perpulisse videntur, ut ad Cæsarem, Italiam irrumpentem, se conferret. A quo iterum quæstura ornatus et in senatum lectus est. 18.) Parti copiarum præfectus, in Illyria cum Octavio et Libone, Pompeji ducibus, prælio commisso, rem male gessit. 19.) Sed bello in Græcia Aegypto et Asia confecto, prætor factus a Cæsare in Campaniam missus est, qui legiones, seditionem moventes et in Africam trajicere recusantes, ad

---

11.) Ascon. Pedian. Explanat. in Cic. Oratt. Venet. Ald. MDLXIII. p. 87. a. — 12.) l. c. p. 92. b. — 13.) l. c. pag. 93. b. — 14.) pag. 87. a.

15.) Cfr. Dio Cass. Hist. Rom. l. 40. c. 62.

16.) Dio Cass. lib. 40. c. 63.

17.) Acron. ad Horat. Serm. 1. 2. 48. *sed*, dicit, *tanto ardore fertur Salustius in libertinas, quanto moechus ardore fertur in matronas. Ipsi enim Salustio in senatu hoc objectum est. Tum ille se non matronarum sed libertinarum sectatorem esse testatus est et ideo ex senatu expulsus est;* quod excusat idem in Catilinæ bello. Consentit cum scholiaste auctor declamationis in Sal. c. 6. Sed ab Horatio nepotem potius historici perstringi satis luculenter docuit Heindorfius.

18. Declamat. c. 6. et Dio Cass. L. 42. — 19.) Cfr. Orosii Histor. VI. c. 15. pag. 416. Edit. Havercamp. « Basillus et Salustius per singulas legiones, quibus præerant, similiter et Antonius, Hortensius quoque ab infimo mari cum classe accurrens, omnes pariter adversus, Octavium et Li-

officium redire cogeret. Sed conditionibus, quas ferebat rejectis, parum abfuit, quin ipsum milites interficerent ita ut fuga salutem petere cogeretur. 20.) Seditione repressa, Cæsar etiam in Africano bello Salustii opera usus est. Nam parti navium eum præfectum in Cercinam insulam misit, ut commeatum ab hostibus eo collatum interciperet. 21.) Qua re bene gesta victisque, quas Scipio et Juba coegerant, a Cæsare copiis, Salustius Proconsul Numidiæ, quæ in provinciæ formam redacta fuerat, relictus est. 22.)

Quam quidem provinciam, ut declamatoris verbis utar, ita vastavit, ut nihil neque passi sint atque exspectarint gravius in bello socii, quam experti sunt in pace, hoc Africam interiorem obtinente 23.) Quam ob rem cum Romam rediisset, repetundarum accusatus, sed Cæsaris jussu absolutus est. Cum quo sestertio duodecies pactus esse dicitur, ne causam diceret. 24.) Tantas certe opes sibi collegerat, ut hortos pretiosissimos in Quirinali et Cæsaris villam Tiburtinam sibi pararet. 25.) Eodem fere tempore (U. C. 707.) Terentiam, cui Cicero nuntium remiserat, in matrimonium duxisse sed nullos liberos ex ea suscepisse videtur; nam sororis filium adoptavit, qui postea Augusti gratia floruit. 25.) Ceterum post Cæsaris cædem Salustius, remotus a republica, reliquam æ-

---

bonem profecti et victi sunt." Historicum hoc loco esse intelligendum vix est, quod dubites, cum inter Cæsario duces præter illum ejusdem nominis alius non nominetur.

20.) Appian. de bello civili II. 92. Dio Cass. 42, 52.

21.) Cfr. Auctor. de bello Africano. cap. 8 et 24.

22.) L. c. c. 92. *Atque ibi Crispo Salustio proconsule cum imperio relicto* etc.

23.) Cfr. Declamat. in Sal. c. 7. Dio Cass. Lib. 43, 9: καὶ τῷ Σαλουστίῳ λόγῳ μὲν ἄρχειν ἔργῳ τε ἄγειν τε καὶ φέρειν ἐπέτρεψεν (scil. τοὺς Νόμαδας) ἀμέλει καὶ ἐδωροδόκησε πολλά καὶ ἥρπασεν ὥστε καὶ κατηγορηθῆναι αἰσχύνην αἰσχίστην ὀφλῆσαι, ὅτι τοιαῦτα συγγράμματα συγγράψας καὶ πολλὰ καὶ πικρὰ περὶ τῶν ἐκκαρπουμένων τινὰς εἰπὼν οὐκ ἐμιμήσατο τῷ ἔργῳ τοὺς λόγους· ὅθεν εἰ καὶ ταμάλιστα ἀφείθη ὑπὸ καίσαρος ἀλλ᾽ αὐτός γε ἑαυτον καὶ πάνυ τῇ συγγραφῇ ἐστηλοκόπησεν.

ætatem in bonarum artium et imprimis historiæ studio consumsisse videtur. Cujus quidem otii fructus habemus Catilinam, bellum Jugurthinum et historiarum pauca quæ ætatem tulerunt fragmenta. Diem supremum obiit quadriennio ante Actiacum bellum 26.)

Ceterum non paucos fore crediderim, qui me inconsiderantiæ insimulent, quod quæ aut maligni, aut parum certi auctores de Salustii moribus memoriæ mandaverint, tanquam luculentis testimoniis firmata posuerim. Multis enim ut Macrobii, Lactantii et Symmachi, ita declamatoris et scholiastarum auctoritas nulla esse videtur, quippe quos, ab Salustii ætate longius remotos, malignorum fabulas atque famam secutas esse statuunt. Omnium igitur contumeliarum, quibus Salustii nomen laceratum sit, auctorem esse docent Pompejum Lenæum, Pompeji magni libertum. 27.) Is enim tanto amore patroni memoriam prosequebatur, ut Salustium, qui illum oris probi, animo inverecundo esse dixerat, acerbissima satira laceraret, lastaurum et lurconem et nebulonem popinonemque appellans et vita scriptisque monstrosum; præterea priscorum Catonisque verborum ineruditissimum furem. Hujus satiræ acerbitate factum esse putant, ut in rhetorum scholis de Salustii vita declamarent. Id quod eo commodius factum, quod blaterantes gramma-

---

24.) Cfr. Declam. in Sal. c. 7. — 25.) l. c. de quibus infra. — 25.) Hieronym. adv. Jovin. I. 48. Cfr. Tac. Ann. 3. 30. Crispum equestri ortum loco. C. Salustius rerum Romanarum florentissimus auctor sororis nepotem in nomen ascivit. — 26.) Cfr. Euseb. Chronicon. Int. Hieron MDCCCCLXXXI. et Græce : Σαλλούστιος ἀπέθανεν πρὸ Ἰδῶν, εἰδῶν Μαΐων. Lucio Gellio Publicola et M. Coccejo Nerva Coss.

25.) Lactant. Instit. Div. II. 12. Quod quidem non fugit hominem nequam Salustium, qui ait : *Sed omnis nostra vis in animo et corpore sita est. Animi imperio, corporis servitio magis utimur.* Recte si ita vixisset, ut locutus est. Servivit enim foedissimis voluptatibus suamque ipse sententiam vitæ pravitate dissolvit. Macrob. Saturn. II. 9. *Haec Salustius, gravissimus alienae luxuriae objurgator et censor.* — Symmach. Ep. V. 68. Interea recuso sententiam, quæ rem venaticam servile dicit officium. Statuerit hoc scriptor, stilo tantum probandus; nam morum ejus damna non sinunt, ut ab illo agendæ vitæ petatur auctoritas.

tici nescio quas inimicitias somniaverint, quæ Ciceroni cum Salustio intercesserint. Horum calumniatorum vestigia Macrobium Lactantium e Symmachum legisse sibi persuadent, ita ut nonnisi Auli Gellii et Dioni Cassii testimonia sibi impugnanda relinquant.

Sed Gellium Varronemque, quos testes gravissimos esse ne ipsi quidem negare audent, hoc in loco non audiendos esse, miro modo probatum eunt. Alium enim Varronem, nescio quem, non virum illum doctissimum, qui Salustii æqualis fuit, hoc loco laudari, et Gellium ipsum in laudandis scriptorum locis non satis diligentem fuisse multis argumentis extra omnem dubitationem positum esse dicunt. Jam cum Dio Cassius sit reliquus, qui Salustium avaritiæ et rapinarum insimulaverit etiam hanc maeulam facile elui posse existimant. Cæsari enim, non sibi rapuit. Ejus jussu tanta atrocitate socios vexavit, ut quamvis vexationes provincialium essent frequentissimæ et hanc ob causam impunitæ, tamen Salustium Cæsaris amicum repetundarum accusarent. Sed quem Cæsar rapere jusserat, eum facere non potuit, quin defenderet. Unde factum est, ut hoc crimine absolveretur. Magnas, quas postea etiam retinuit divitias, non rapinis quæsierat , sed Cæsaris credo liberalitati acceptas retulit. Credat Judæus Apella. Nam me quidem nemo coget etiam fabulis et commenticiis rebus fidem adjungere. Sed accuratius sunt examinanda argumenta, quibus Salustii defensores et propugnatores usi sunt, ut ejus existimationem integram esse docerent. Quod Lenæum multarum contumeliarum auctorem esse dicunt, hoc sibi persuadere videntur, satiræ scriptorem id maxime agere ut mira atque incredibilia dicat. Alioquin vix fieri poterat, ut scriptorem non contemnendum, quem Plinius grammaticæ artis doctissimum dicit, (H.N.Lib. XXV. c. 2.) insimularent, vana et inania conscripsisse, ut dolorem expleret propter patroni injurias susceptum. 28.)

26.) Cfr. Sueton de illustribus Grammaticis c. 15. Ceterum satis constat, Cortium potissimum, Wielandum atque Debrossium Salustium infamia, qua adhuc flagraverat, liberare studuisse. Sed quam ejus defendendi rationem inierunt, ea gravioribus viris vix probabitur. Non enim Salustium sed morum levitatem defendunt. Quare nuperrime Muellerus alia via ingressus est; sed ne sibi quidem satisfecisse videtur, nedum aliis suarum opinionum commenta persuaderet.

27. Cfr. Muelleri commentationem de C. Salustio Crispo. Lips. 1817.

Verisimilitudinem certe quandam Lenæum esse secutum vel inde patet, quod Salustium priscornm Catonisque verborum ineruditissimum furem dixerit. Id quod illi et ab Augusto et ab auctore notissimi epigrammatis vitio datum est. 29.) Quid quod satiræ ratio postulat, ut, quæ breviter in ea perstringantur, a legentium scientia non plane abhorreant. Alicujus enim vitia facetiis exagitare, quæ non solum ignota sed etiam incredibilia sunt, quippe quorum falsitatem omnes compertam habeant, hoc non satirarum scriptoris sed insipientis hominis est. Sed largiamur hoc irato homini, ut liberius in Salustium invectus sit, adversum, quo Salustius erat, rumorem non ex Lenaei conviciis natam fuisse, facile intelligas, comparatis ceterorum scriptorum testimoniis. Quæ quidem multis, credo, parum firma esse videbantur, quod eorum fugit memoriam, Salustii vitam ab Asconio Pediano, quem diligentem esse grammaticum satis constat, scriptam fuisse. Eum vero testem laudant adulterii a Salustio commissi Acron et Porphyrion (ad Horat. Sermon. 1. 2. 42.) Quod quis est, qui neget, cum accedat auctoris gravissimi testimonium; Terentii Varronis. Sed in laudato Gellii loco illustrando ejusque et Varronis auctoritate infirmanda plane ridiculus est Muellerus. Quare ad ea, quæ plurima disputavit, fusius respondere vix opus esse videtur. Sed auctorum tam illustrium judicio interposito, ne ceterorum quidem scriptorum, quibus cum soli testes proferuntur, acutiores critici fidem derogare solent, contemnendum esse videtur testimonium. Declamationes istas in Salustium et Ciceronem scriptus, quas a grammaticis conscriptas esse, hodie omnibus fere viris doctis persuasum est, a Salustii et Ciceronis ingeniis haud plane esse alienas, jam hoc est documento, quod Quinctilianus alteram certe genuinam habuit. 30.) Qua re efficitur, jam Augusti ætate orationes esse scriptas.

Sed quæ ille argumentis et rationibus confirmata habuit, Joh. Guill. Lœbell refutavit libello, quem de Salustii moribus scripsit. Vratisl. 1818.

28.) Cfr. Sueton. vit. Augusti. c. 86. Quinctil. Institt. Rhetor. VIII. 3. Neeminus noto Salustius epigrammate incessitur:

Et verba antiqui multum furate Catonis
Crispe Jugurthinæ conditor historiæ.

29.) Quinctil. l. c. IX. 3. ut apud Salustium in Ciceronem : *O Ro-*

Rhetorem igitur, vel quicunque eas conscripsit probabilia secutum esse vix est, quod dubites. Ea enim et stili et argumenti ratio esse debuit, ut hæc legentibus persuaderi posse viderentur. Quod quonam modo fieri poterat, si auctor rerum fide plane neglecta satis habuisset fœdissimis conviciis Salustii memoriam proscindere?

Sed cur alienos testes provocamus, cum Salustius ipse professus sit, se existimationis detrimentum fecisse? Catilinæ initium et inprimis caput tertium 32.) accuratius pertractanti, dubium esse non potest, quin scriptor, sive quod libidinum, quibus ante exarserat, tædium eum ceperat, sive quod rubor flagitiorum eum subierat, legentibus de errore et adolescentia sese excusare voluerit. Silentio hæc prætermittere sapientius erat, sed severo alienæ ignominiæ censori venia expetenda esse videbatur, ne graves istæ criminationes in ipsum reciderent. Hunc locum forsitan erunt, qui aliter interpretentur; quibus facile largior, ut quam animo conceperint opinionem, omnibus, quæ suppetant, argumentis defendant; sed interiorem scriptoris sensum ejusmodi interpretes assequi posse, vix crediderim.

Sed quæ adhuc disputavimus, ad juvenilem Salustii ætatem pertinent atque hanc ob causam Gallico certe critico veniam ætatis habere videbantur. Numidarum vero vexatio quibus excusabitur? Rem esse factam negabis. Hoc cum commode fieri non possit, (impugnanda enim est gravissimi viri auctoritas), Salustium jussu Cæsaris coactum, facinus commisisse dices. Quod si factum esset, nescio an Salustius majorem etiam culpam in se admiserit. Quid enim erat, quod eum compelleret, ut in Cæsaris castra se conferret? Nempe partium studium et fortunarum suarum ruina. Sed viri mores cognoverat, quem amore complexus est; neque eum latuit, quibus artibus Cæsar tantæ liberalitatis famam sustineret. Quod

---

mule Arpinas et Lib. IV. 1. quid? Non Salustius directo ad Ciceronem, in quem ipsum dicebat, usus est principio et quidem protinus? *Graviter et iniquo animo maledicta tua paterer M. Tulli.*

32.) Sed ego adulescentulus initio sicuti plerique, studio ad rempublicam latus sum; ibique mihi multa advorsa fuere. Nam pro pudore, pro abstinentia, pro virtute, audacia, largitio, avaritia vigebant. Quæ tametsi animus aspernabatur, insolens malarum artium, tamen inter tanta vitia

quidem institutum si a Salustii moribus abhorruit, quibus causis permotus eo reipublicæ munere functus est, quod nisi injuste geri non potuit? Sed hæc pluribus illustrare putidum est, neque in posterum multos fore putaverim, qui Salustii morum patrocinium suscipiant. Sed longe alia est quæstio, num ex auctoris vita privata argumenta sint petenda, quibus scripta ejus impugnentur. Ita enim nuperrime statuerunt, Salustiumque Græcis historicis Herodoto atque Thucydidi hanc ob causam postponendum esse censuerunt. Qua in re primum inconsideranter agunt, quod Salustii mores exagitant, cum neque Herodoti neque Thucydidis vitam satis cognitam habeant. Tum, qua re omnes Latini scriptores a Græcis differunt, hæc Salustio vitio vertunt, tanquam ad eum solum pertineant. Quis enim est ex Latinis scriptoribus, quin Græcas literas coluerit, atque multa ex iis hauserit illorumque studio insitam ingenii vim promoverit atque formaverit. Jam qui in literarum artiumque monumentis condendis potius divina quadam ingenii vi ducantur magis esse laudatos, quam qui normam et regulas ab aliis propositas sequantur, nemo est, qui nesciat. Sed hæc quidem laus nulli auctorum Latinorum jure tribui potest, ne Ciceroni quidem, qui præ ceteris Latini sermonis proprietatem in scriptis suis expressisse putatur. Hac igitur re Græcos scriptores Latinis præstare jam in vulgus notum est. Sed de Salustiano scribendi genere paulo infra accuratius; jam de libris, quos composuerit, paucis agemus. Catilinam igitnr, bellum Jugurthinum et quinque historiarum libros ab eo esse conscriptos, omnium grammaticorum consensu comprobatur. Sed quo in opere, rudimenta posuerit, parum compertum, nisi quod ex Catilinæ præfatione colligi posse videtur, hoc argumentum eum primum sibi tractandum suscepisse.

Sed hunc librum statim post tribunatum scriptum fuisse, quæ De-

---

imbecilla ætas ambitione corrupta tenebatur, ac me, cum ab reliquorum malis moribus dissentirem, nihilo minus honoris cupido, eadem, quæ ceteros, fama atque invidia vexabat. Igitur ubi animus ex multis miseriis atque periculis requierit, et mihi reliquam ætatem a republica procul habendam decrevi, non fuit consilium secordia atque desidia bonum otium conterere, . . . sed a quo incepto studio me *ambitio mala* detinuerata etc.

brossii fuit sententia, mihi quidem parum probabilis esse videtur. Quae enim cap. IV. initio leguntur: *igitur ubi animus ex multis miseriis atque periculis requierit; et mihi reliquam aetatem a republica procul habendam decrevi*, scribi non poterant, nisi post præturam administratam, anno septingesimo octavo U. C. quo anno eum ex Africa Romam rediisse putaverim. Sed eo tempore scriptum esse Catilinam etiam aliis fuit persuasum, cum maxime, quæ de moribus Cæsaris atque Catonis auctor disputaverit, nonnisi post utriusque viri mortem dici posse viderentur. Id quod satis probabile esse videtur. Neque hanc aliquis animo concipiat opinionem, hæc multo antea scripta, serius evulgata fuisse. Id enim a scriptoris moribus abhorruit, qui historiis scribendis se bene de republica mereri sibi persuasum habuit atque speravit fore, ut rerum gestarum monumentis, quæ condidisset, memoria flagitiosæ vitæ obliteraretur. Accedit ipsius orationis color, qui quidem non juvenile quid spirat, id enim a Salustii ætate alienum, sed tamen sententiis et figuris, quæ Salustianæ dicuntur, est ornatissima. Quam ob rem similem hunc librum Taciti Agricolæ dixeris, quo in libello et ipso sententiarum ornamenta et conformationes Tacito propriæ cumulatæ sunt. Hoc igitur pro certo poni posse videtur, Salustium quidem juvenem historiæ studio incubuisse, sed ad scribendam nonnisi post Cæsaris mortem accessisse. Catilinam haud dubie secutum est bellum Jugurthinum, cujus rei memoriam a prætura in Africa gesta retinebat. Tum demum ad historiarum libros scribendos animum appulit, in quibus libris res inde a Sullæ morte usque ad conjurationem Catilinariam exposuisse videtur. 33.) Præterea Salustii nomen præferunt duæ epistolæ ad C. Cæsarem de republica ordinanda scriptæ, quos fuerunt, qui Salustio abjudicarent, sed illi argumentis parum idoneis usi. Neque Cortii acumen in iis agnosco, quæ de his epistolis disputavit. Quod enim dicit verborum elegantem connexionem, aptam structurum et quem ipse numerum dicit, in his scriptis desiderari, tota re mihi errasse videtur. Tantum enim abest,

---

33.) Testimonio sunt et fragmenta, et quæ Ausonius iu Protreptico Eidyllion IV. vs. 60. sq. de horum librorum argumento canit:
Jam facinus Catilina tuum Lepidique tumultum
Ab Lepido et Catulo jam res et tempora Romae

ut totius orationis color a Salustiano dicendi genere abhorreat, ut potius omnes flosculos Salustianos auctor collegisse videatur, quo facilius orationi auctoritatem adstrueret. Sed alia sunt, quæ has epistolas, sive orationes eas quis dixerit, fictas esse docent. Nullus enim Grammaticorum hæc Salustii scripta laudavit, neque in Codice Vaticano, quem accuratius contuli, in titulo Salustii nomen adscriptum est. Sed ceteris orationibus atque epistolis, ex Salustii historiis excerptis, adjunctæ sunt, neque harum epistolarum auctorem cognovisse videtur librarius. Difficillimum autem est ad explicandum quo tempore et quo consilio hæ epistolæ a Salustio ad Cæsarem datæ sint. Sane videntur ad extremam Cæsaris ætatem pertinere, ubi reipublicæ legibus firmandæ operam dedit et Salustius Proconsul Numidiæ fuit. Nam eum Romæ præsentem Cæsarem scripto adisse non adduci possum ut putem. Sed insunt plura his epistolis, quæ doceant, ad certum tempus hoc scriptum referri non possen. Nam (Ep. II. c. 2.) adversi consulis fit mentio, quo loco Lentulum esse intelligendum, bene monuerunt interpretes (Cfr. Cæs. B. civ. I. 1 et 2.) brevi igitur post bellum coortum hæc scripta esse putaveris; sed paulo infra (cap. IV.) mortuum Catonem et L. Domitium dicit. Igitur etiam Pompejum jam cæsum fuisse necesse est. Sed de illo quoque (cap. III.) tamquam vivo mentionem injecerat. Quid, quod cap. IX. iterum L. Domitium et M. Catonem commemorat, ut de, eorum virtutibus disputet, quasi etiam, tum sint timendi. Ceterum confusioni temporum aliquis succurrat, capite quarto sublato, sed hoc est causam satis lubricam parum firmis argumentis et levibus conjecturis defendere. Sed ut certo tempore scriptæ sint literæ, videndum est, num eorum argumentum et Salustii ingenio et amicitiæ, quæ ei cum Cæsare intercessit, satis sit consentaneum. Jam huic epistolæ multas inesse sententias, Salustio haud indignas nemo negabit; rerum civilium enim peritum epistolæ auctorem jure dixeris. Sed quamvis acute de reipublicæ forma sit disputatum, tamen nisi consilia, quæ proposuit, ad præsentem

---

Orsus bis senos seriem connecto per annos.
Jam lego civili mistum Mavorte duellum
Movit quod socio Sertorius exsul Ibero.

reipublicæ statum aut firmandum aut corrigendum pertinebant, ad Cæsarem scribi non debuerant.

Dicat aliquis, id egisse epistolæ auctorem, ut Cæsarem moneret, ut victoria sapienter uteretur, neve aures præberet sanguinolentis hominum nequissimorum consiliis. Sed quos homines significet, equidem nescio. Cæsari enim cum multa vitio vertantur, tamen aliorum consiliis re regi passum esse, vix erit, qui affirmet. Idem tanta benignitate et clementia imperium temperavit, ut ipsorum inimicorum admirationem moveret. Sed ipsa consilia ita comparata sunt, ut auctor potius sui ipsius animi dolorem verbis expressisse quam utilia suasisse videatur. Sumptuum et rapinarum licentiam esse cœrcendam, fœneratorem tollendum, decus pecuniæ minuendum et militiam æqualem esse jubet. Hæc prioris epistolæ consilia sunt. His multa sunt interposita de Cæsaris laudibus, de adversæ factionis perversis consiliis, de corruptis juventutis moribus, quæ omnia aliena ab auctoris consilio jure dixeris. Sed fac, hanc epistolam ab ipso Salustio esse conscriptam, alteram certe, quæ priore loco ponenda erat, a declamatore quodam ingenii exercendi causa scriptam esse libenter concedes. Nonnulla in utraque epistola iisdem fere verbis expressa. Cfr. cap. I. Ep. I. et II. « *quod prius defessi* etc. Alia contra diversissima, Sullæ crudelitas I. Ep. c. V. accusatur, altera Ep. cap. IV. ejus laudatur clementia. Ridicula est imitatio eorum, quæ Salustius Catilinæ et Jugurthæ præfatus erat, Cfr. Ep. II. c. 1. *Sed mihi studium fuit adulescentulo* etc., et cap. 10. *postquam mihi artes*. Etiam cap. septimum quam simillimum, cap. XI. et XII. Catilinæ. Singula verba atque figuræ tot sunt ex Salustio petita, ut jejunum declamatorem in his facile agnoscas. Cfr. cap. IX. *parantur haec disciplina Graecorum* etc. quæ Salustius Marium facit dicentem Jug. c. LXXXV. ea stolidus declamator tanquam ab ipso Salustio dicta repetit, neque cogitavit, Salustium Græcarum literarum tantopere fuisse studiosum ut multa ex Thucydidis fontibus in rivulos suos derivaverit. Cfr. præterea c. V. *in duas partes* etc., et Jugurth. c. XLI. Sed ut hæc mittamus, quæ unus quisque facile inveniat." Cujusmodi tandem est totius epistola argumentum? Consilia de republica ordinanda se Cæsari dare velle profitetur modestissimus auctor. Sed quæ sunt ista nova consilia, quorum explicandorum causam alteram epistolam obtruderet Cæsari, maximis occupationi-

bus impedito? — Iterum accusat factionem optimatium, tanquam non fracta fuerit. Et tanto maledicendi ardore flagrat, ut quos paulo ante laudaverit, eorum laudes ipse imminuat cfr. cap. IV et IX., et quos mortuos esse dixerat, in eos tanquam vivos maledicta conjiciat. Novos cives Cæsarem addere jubet; sed jam ante multi civitate donati fuerant; pecuniæ studium tollendum censet; sed priori epistola in his illustrandis longior etiam fuerat. Senatum augendum esse putat, sed vilissimorum hominum greges Cæsar senatores fecerat. Jam ad senatus auctoritatem restituendam plurimum valere ei persuasum est, si per tabellas sententiæ ferrentur. Sed fugit sapientem hominem perversitati etiam adminicula se præbere. Haud paucos enim imbecillioris animi homines nihil a vitiis retinet, nisi prava quædam ambitio, qua bonos se haberi volunt, etiamsi non sint. Quorum prava consilia silentio si texeris, nihil non audebunt. — Sed in eo maxime hominis stultitia notanda, quod Cæsarem eversam libertatem restituere jubet. Adeone et Cæsaris ingenii ignarum et rerum publicarum imperitum Salustium putaveris? Accedit tandem notissima illa e Ciceronis scriptis petita dicendi figura, qua patria supplex et preces fundens inducitur. Hæc omnia mihi reputanti, hæ epistolæ ne ejusdem quidem auctoris, nedum Salustii esse videntur. Credideris artis rhetoricæ studiosos, qui Salustianæ orationis ornamenta et sententiarum lumina et Salustium ipsum optimatium factioni infestum et Cæsari amicum fuisse cognoverant, hoc sibi proposuisse, ut Salustianum dicendi genus his in epistolis exprimerent. Nam totius argumenti multarumque sententiarum similitudo facit ut putem, juvenes qui eodem artis oratoriæ doctore usi fuerint, certamen quoddam ingenii instituisse, unde cognosceretur, uter plus in his literis profecerit. Quam quidem sententiam singulis accuratius examinandis firmari posse putaverim.

Quid vero de declamationibus sentiam, quarum auctores Cicero et Salustius esse perhibentur, jam supra paucis significavi. Salustianam certe a Quintiliano genuinam esse habitam, fidem faciunt verba, quæ ex iis laudavit cfr. Instt. Rhetor. 4. 1. 68. et 9. 3. 89. Vix enim aliquem fore putaverim, qui statuat, quæ Gesneri fuit opinio, declamatorem hæc verba ex genuina Salustii oratione petita subditiciis verbis immiscuisse, ut majorem auctoritatem iis adstrueret. Neque eo hujus testimonii auctori-

tas infirmatur, quo Cortius putavit, quod altero loco, verba *et apud Salustium* in tribus Codd. Turic. Flor. Guelf. omissa sunt. Melius enim de Quinctiliani judicio quam de hujus loci fide dubitari posse, doctissimus editor, Spaldingius, monuit. Neque hoc dissimulandum orationem et verbis et sententiis esse ornatam atque politam. Convicia etiam, quæ auctor Ciceroni petulantius ingessit, ab ejus moribus haud aliena dixeris, et ab irato homine in inimicum jactari posse videntur. Ne igitur in acerbitate sententiarum offenderis; haud modestius enim Cicero Antonium in secunda oratione Philippica objurgavit, et atrocioribus etiam contumeliis ipse a Fufio Caleno, Antonii amico, vexatus est. (cfr. Dio Cass.) Ne stilum quidem Salustio indignum dixeris: inest enim magnus facetiarum lepos et prava Ciceronis ambitio vanumque gloriolæ studium multa cum ironia irrisum est. Hæc ideo monui, ne quis Quintilianum levitatis insimulet, quod hanc orationem a Salustio scriptam esse putaverit. Sed eam a declamatore potius quam a rerum Romanarum florentissimo auctore esse compositam, cum multi conjectura assecuti esse viderentur, e. gr. Lipsius Varr. Lectt. I. 8. et Oratt. VII. Vossius (de vitiis sermonis Lib. 3. 5.) Petrus Victorius (Varr. Lectt. 15. 3.); totam rem diligenter pertractavit Sebastianus Corradus in libro, qui *Egnatius* sive *Quaestura* inscriptus est. Evulgatus est Basileæ sumptibus Joannis Oporini MDLVI. Sed cum auctor hoc sibi sumsisset, ut Ciceronis mores omnibus vitiis immunes esse doceret, declamationis scriptori iniquum se præbuit judicem. Multorum igitur quæ attulit argumentorum hæc tantummodo firmiora esse videntur.

Primum igitur tales causæ in senatu agi non solebant, nisi propter rempublicam inimicitiæ susceptæ fuissent. Sed in neutra oratione satis probabilem causam inveneris, cur alter de alterius moribus in senatu conquestus fuerit. Neque Terentiam a Salustio sacrilegam dictam fuisse aliquis putaverit, quippe quam ipse postea in matrimonium duxerit. Sed hoc explicari posse videtur, si quidem eo tempore, quo Clodius a Milone cæsus est, hanc orationem scriptam esse putamus; sed repugnant historica cfr. declamat. II. cap. 7. Neque hoc negligendum, quod qui profitetur se responsurum esse, in altera oratione initium altercationis introduxisse dicitur. Tum hoc etiam non satis concinnum, quod qui in senatu verba facit, quærit *ubi querar*, *quos implorem*, neque solum populum Romanum sed etiam senatum maledic-

tis lacerat. Tum qui fieri potuit, ut Salustius Ciceroni majorum ignobilitatem vitio verteret, cum ipse Amiterni natus esset? Id quoque satis audacter seu potius impudenter dictum, Ciceronis consulatum causam conjurationis Catilinariæ fuisse; neque hoc est probabile mendacium, post consulatum Ciceronem cum Terentia uxore legis Plautiæ judicia domi fecisse aliosque morte, alios pecunia condemnasse. Qui enim sunt illi, qui post Ciceronis consulatum tanquam conjurationis Catilinariæ conscii capitis damnati fuerint? — Imo paulo infra alterius declamatoris scrinia auctor compilasse videtur: quæ enim supra Epist. de Republica Ord. II. cap. 9. in Domitium dicuntur: *cujus nullum membrum a flagitio aut facinore vacat? Lingua vana, manus cruentae, pedes fugaces: quae honeste nominari nequeunt, inhonestissima;* hoc loco iisdem fere verbis repetuntur. Cfr. cap. 3. Jam fac hanc orationem a Salustio esse habitam, vix decreveris, ad quod tempus potissimum sit referenda. Personatus enim Cicero non solum significat Salustium jam ex Africa reducem factum, sed etiam historias jam ab eo scriptas esse dicit, (cfr. Cic. declamat. in Sal. cap. 3.) *Neque te tui piget, homo levissume, cum ea culpas, quae in historiis mihi gloriae ducis.* Sed eo tempore Salustius haud amplius in senatum venisse videtur, quippe qui reliquam ætatem procul a republica habendam decreverit. (cfr. Jugurtha c. 4., *quae genera hominum in senatum pervenerint.*) Fieri igitur non potuit, ut eo tempore cum Cicerone in senatu altercaretur. Quas igitur grammatici commenti erant inimicitias, quæ Ciceroni cum Salustio intercesserint, eædem declamatoribus harum orationum scribendarum materiem dedisse videntur. In Cicerone enim accusando et defendendo inprimis occupatos fuisse illos rhetores, docent controversiarum exempla, quæ Seneca suasoriarum libro proposuit. Jam cum satis exploratum esse videatur, quinam libri ex Salustianis monumentis genuini habendi sint, antiquorum scriptorum testimonia de illis addere placet, ut priscorum criticorum auctoritate moveantur, qui his de rebus disputare neque sui judicii, neque suarum virium esse putant. Accedit, quod his judiciis accuratius perpensis, de oratione Salustiana multo rectius statui, et quæ propria ejus sit ratio, perspici potest.

Jam Salustium antiquorum verborum fuisse amantissimum et recentiorum etiam priscam significationem quam maxime esse secutum, cum

ex historiarum libris intelligitur, tum multorum judiciis est comprobatum. Nam et Augustus eum verba ex Originibus Catonis excerpsisse dixit, (cfr. Sueton. Octav. c. 86.) et auctor epigrammatis, de quo supra memoratum est, atque Lenæus idem statuerunt. Etiam Asinius Pollio librum scripsit, in quo Salustii scripta reprehendit ut nimia verborum affectatione oblita. (cfr. Sueton. de claris Grammaticis c. 10 et 15.) Sed hunc antiquitatis amorem potius laudaveris quam damnaveris: Hoc enim studium Salustium prohibuit, quo minus imitatorum stultorum vestigia sequeretur, quibus ex Græcis scriptoribus flosculos colligere, summa laus esse videbatur, et bene Quintilianus de priscorum verborum gravitate. (Institt. Rhetor. 1. 6. 39.) « Verba a vetustate repetita, non solum magnos assertores habent, sed etiam afferunt orationi majestatem aliquam, non sine delectatione; nam et auctoritatem antiquitatis habent et quæ intermissa sunt, gratiam novitati similem parant." Quam dignitatem orationis Salustianæ quis est, quin intellexerit? Sed Aulus Gellius qui et ipse Salustium novatorem verborum et proprietatum in verbis retinentissimum dicit (cfr. Noctt. Att. 1. 15. et 10. 20.) bene monet, hoc orationis exornandæ studium, multos habuisse obtrectatores (cfr Lib. IV. c. 15.) *Elegantia orationis Salustii, verborumque facundia et novandi studium cum multa prorsus invidia fuit; multique non mediocri ingenio viri conati sunt reprehendere pleraque et obtrectare, in quibus plura inscite aut maligne vellicant, nonnulla tamen videri possunt non indigna reprehensione.* In plurimis vero malignos sese præbuisse reprehensores patet ex iis, quæ Aulus Gellius ex illorum commentariis laudavit. Cfr. X. 26. ubi eum defendit quod maris transitum navibus factum *transgressum* appellaverit et IV. 15. ubi de significatione vocis *ardui* subtilius disputat Salustiumque ab Asinii Pollionis iniqua objurgatione defendit. Is enim gravissimus Romanorum scriptorum censor, cum alia tum hoc erravit, quod Attejum Philologum Salustio antiqua verba et figuras solitum esse colligere dixerat; credo, quod is Grammaticus Salustium familiarissime coluit et breviario rerum Romanarum ex quibus quas vellet, eligeret, instruxit. (cfr. Sueton. de Illustr. Gram. c. 10. Ceterum obscurum esse Salustium et audacem in translationibus Suetonius et ipse affirmat. (cfr. l. c.) Sed alii alia vituperant. Trojus Pompejus enim in eo reprehendit, quod conciones directas et orationes operi suo inferendo historiæ modum excesserit. (cfr. Justini Hist. Lib. XXXVIII. c. 3.)

De Livio Seneca (Controvers. 24. p. 274. Ed. Bip.) «Titus autem Livius tam iniquus Salustio fuit, ut hanc ipsam sententiam *res secundae mire sunt vitiis obtentui*, Græce : δεινὰι γὰρ ἀι εὐπραξίαι συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι τὰ ἑκάστων ἁμαρτήματα et tanquam translatam et tanquam corruptam, dum transfertur, objecerit Salustio. Nec hoc amore Thucydidis facit, ut illum præferat, laudat quem non timet: et facilius putat posse a se Salustium vinci, si ante a Thucydide vincatur." Etiam hoc ad Salustium pertinere putaveris, quod Seneca (Controvers. 25. p. 284.) Livium dixisse memoriæ tradit. T. Livius de oratoribus qui verba antiqua et sordida consectantur et orationis obscuritatem severitatem putant, ajebat Miltiadem rhetorem eleganter dixisse ἐπὶ τὸ πλῆστον μαίνονται. Unde efficitur, Livium ob pravam quandam æmulationem Salustio infestum fuisse.

Ipse Quintilianus (Institt. Rhetor. 3. 10.) id ei vitio vertit, quod in bello Jugurthino et Catilinario nihil ad historiam pertinentibus principiis orsus sit. Atque alio loco (IX. 3.) (si quidem hanc reprehensionem dixeris), ex Græco translata Salustii plurima dicit et (X. 3.) ex ipso opere manifestum esse laborem. Imo Cassius Severus celeberrimus orator, (de cujus laudibus cfr. Senecam rhetorem. Excerpt. Controvers. III. præfat.) Salustii orationes in honorem historiarum legi judicabat. (cfr. Senec. l. c.)

Sed etiamsi non defuerunt, quibus Salustianum dicendi genus minus probaretur, tamen æquos etiam judices habet vir ille præclarissimus, quorum testimonia graviora dixeris, quam malevolorum invidiam. Thucydidis enim laudes eum æquasse gravissimi auctores statuerunt. Nam Vellejus Paterculus (II, 36.) eum æmulum Thucydidis dicit: et in eundem sententiam Quintilianus dicit. (Institt. Rhetor. X. 1.) At non historia cesserit Græcis nec Thucydidi opponere Salustium verear; « idemque paulo infra Romanum historicum cum Græco confert, his verbis: «Attici, præcisis conclusionibus obscuri, Salustium atque Thucydidem superant." Seneca in loco supra laudato, ubi Salustium a Livio vituperatum narrat, quod Græca male expresserit, hæc animadvertit. (Excerpt. Contr. IX. 2.) *Cum sit praecipua in Thucydide virtus brevitas, hac eum Salustius vicit et in suis eum castris cecidit. Nam in sententia Graeca tum brevi habes, quae salvo sensu detrahas. Deme vel* συγκρύψαι *vel* συσκιάσαι, *deme* ἑκάστων, *constabit sensus, etiamsi non aeque comtus, aeque tamen inte-*

ger. *At ex Salustii sententia nihil demi sine detrimento sensus potest.* Et hanc quidem Salustianæ orationis virtutem, plurimi auctores certatim, alius alio elegantius, maximis laudibus celebrant. Aulus Gell. (N. A. III. 1.) eum *subtilissimum brevitatis artificem* dicit. Quintilianus (Instt. Rhetor. V. 1.) in eandem fere sententiam. *Neque illa Salustiana brevitas, qua nihil apud aures vacuas atque eruditas potest esse perfectius, apud occupatum variis explicationibus judicem et saepius ineruditum captanda est nobis.* Idemque alio loco. IV. 1. *Vitanda illa Salustiana, quanquam in ipso virtutis locum obtinet, brevitas et abruptum sermonis genus, quod otiosum fortasse lectorem minus fallit, audientem transvolat, nec dum repetatur, exspectat.* Alio loco X. 1. Eandem *immortalem illam Salustii velocitatem* dicit. Macrob. (Saturnal. V. 1.) similiter disputat: *quatuor sunt genera dicendi: copiosum, in quo Cicero dominatur, breve, in quo Salustius regnat,* etc. Etiam Sidonius Apollinaris hanc propriam Salustii laudem esse dicit (cfr. in Panegyri Anthemii Augusti. vs. 190. seq), *qua Crispus brevitate placet, quo pondere Varro, quo genio Plautus, quo flumine Quintilianus, qua pompa Tacitus nunquam sine laude loquendus;* cfr. etiam Statii Silv. Lib. IV. 7. sub fin. ubi Salustius *brevis* dicitur. Hujus quidem virtutis originem Seneca Philosophus ad morem sæculi refert. (Ep. CXIV.) *Salustio vigente amputatae sententiae et verba ante exspectatum* cadentia et obscura brevitas fuere pro cultu. Sed hac in re minus recte eum vidisse putaverim, cum alii plane diverso dicendi genere usi fuerint. Sed hanc ipsam ob brevitatem recte Quintilianus judicat, (Instt. Rhet. II. 5.) Livium a pueris magis legendum quam Salustium, et hunc historiæ majoris esse auctorem, ad quem tamen intelligendum jam profectu opus esse. Sed in qua re historici virtus quam maxime versatur, fidem dico, hanc quoque laudem Salustio tribuunt. cfr. Vibium Sequestrem Lib. de fluminibus. Ubi Salustius *auctor certissimus* dicitur. Festus Avienus in Ora maritima vs. 32 sq., hæc de Salustio canit:

Interrogasti, si tenes, Maeotici
Situs quis esset aequoris, Salustium
Noram id dedisse, dicta et ejus omnibus
Praejudicatae auctoritatis ducier,
Non abnuebam; ad ejus igitur inclytam

Descriptionem (qua locorum formulam,
Imaginemque expressor efficax stili
Et veritatis, pene in obtutus dedit,
Lepore linguae) multa rerum junximus.

Auctor certissimus Salustius etiam ab Hieronymo appellatur, (de loc. Hebraicis cfr. Opp. T. III. p. 202.) et iisdem verbis Isidorus Origg. XIII. 21. Augustinus de Civ. Dei I. 5. *nobilitatae* veritatis historicum et Ep. V. ad Marcellinum *nobilissimum* historicum eum vocat. Imo Martialis eum omnibus historicis Romanis præferendum esse censet. Cfr. Lib. XIV. Epigramm. CXCI.

Hic erit, ut perhibent doctorum corda virorum,
Crispus Romana primus in historia.

Denique ut leviusculorum hominum opinionibus gravissimi viri interponam judicium, Tacitus ipse Salustium rerum Romanarum florentissimum esse auctorem judicat; cujus testimonii nescio an tanta sit auctoritas, ut Salustianæ orationis obtrectatorum vociferatio unius viri judicio refelli posse videatur.

Jam varia antiquorum auctorum testimonia examinare et quid verum sincerumque sit, disputare, ut ad explicandum difficillimum, ita non hujus loci esse videtur. Nam nisi singulis examinatis hac de re nil certi statui potest. Quare magis mihi ea ratio probatur, ut quid de oratione Salustii sentiam, sub calcem libri fusius exponam. Quæ enim de scriptorum indole disputantur, fidem non habent, nisi exemplis illustrantur. Quorum ut satis magna sit auctoritas, in commentariis diligenter exposita atque illustrata sint necesse est. Quare orationis Salustianæ explicatio commodius commentariis adjungi quam præmitti posse videtur.

Ceterum cum tanta esset Salustianæ historiæ admiratio, inde factum puta, ut non solum exempla locutionum ex ejus historiarum libris colligerent, (cujus rei exemplum est collectio olim Arrusio Messo jam Cornelio Frontoni adscripta,) sed etiam ex Latino in Græcum sermonem a Zenobio conversæ sint ejus historiæ 34.) Id quod ab eo suscep-

---

34) cfr. Suid. Tom. II. s. v. Ζηνόβιος (et Tom. III. p. 267) Ζηνόβιος ἔγραψεν

tum esse putant auctore Hadriano imperatore, qui generis dicendi vetusti amantissimus fuisse a Spartiano dicitur Accesserunt interpretes, qui ut alii Horatii, Virgilii atque Ciceronis, ita Salustii scripta interpretarentur. Et Aspri quidem commentarios in Salustium non solum Hieronymus (adv. Rufin. 1, 16.) sed etiam Charisius grammaticus sæpius laudat, cfr. Grammaticæ Latinæ Auctt. Antiq. Ed. Putsch. p. 177. l. 23. p. 187. l. 6. p. 191. l. 25. pag. 192. l. 42. 45. Idem etiam Statilii Maximi commentarios in Salustium laudat, p. 176. l. 45. Sed non solum Grammaticis atque rhetoribus Salustianæ historiæ præstantissimæ videbantur, sed ipsi historici Salustii acumen et parcimoniam, quam dicunt, in scriptis suis expressisse, summæ sibi laudi esse duxerunt. Ac primus quidem Vellejus Paterculus videtur imitatus esse Salustium. De illo enim præclare Ruhnkenius (præf. sub fin): *hunc enim unum* (scil. Salustium) *sibi imitatione effingendum sumsit, ab hoc illud artificium indolis humanae describendae didicit, hujus aemulatione efficax est, et brevitate nervosus, ab hoc denique totus ita pendet cum in verbis tum in orationis structura, ut magnopere mirandum sit, rem tam manifestam viros eruditos fefellisse.*

Salustianus etiam Tacitus jure dicitur; sed quale fuit summi viri ingenium, non in verbis hæsit, sed in totius orationis conformatione vim stili Salustiani expressit. Insano quodam Salustium imitandi studio flagrasse videtur Arruntius, belli Punici scriptor, quantum ex Senecæ oratione colligas. 35.)

Præterea Salustii imitatores numerantur Septimius, nescio quis, Sul

μετάφρασιν ἑλληνικῶς τῶν ἱστοριῶν Σαλουστίου, τοῦ Ρωμαικοῦ, καὶ τῶν καλουμένων αὐτοῦ βελῶν.

35.) Cfr. Ep. 114. cfr. Opp. Tom. IV. pag. 89. Ed. Bip. Est apud Salustium: exercitum argento fecit; id est, pecunia paravit. Hoc Arruntius amare cœpit: posuit illud omnibus paginis. Dicit quodam loco: fugam nostris fecere. Alio loco: Hiero rex Syracusanorum bellum facit; et alio loco: quæ audita Panormotanos dedere, Romanis fecere. Gustum tibi dare volui. Totus his contexitur liber. Quæ apud Sal. rara fuerunt, apud hunc crebra sunt et pæne continua, nec sine causa. Ille enim in hæc incidebat: at hic illa quærebat. Vides au-

picius Severus et Pseudo - Hegesippus, qui quidem, inferioris ordinis homines, brevitatis certam quandam speciem captant, verba Salustiana sectantur, et satis habent tropos quosdam atque figuras Salustio usitatas in libros suos transtulisse. Quod quidem imitandi studium ne a medii quidem ævi scriptoribus alienum fuit. Recentiores auctores quod attinet, Hispanos inprimis Salustianum dicendi genus affectasse satis constat. Jam philologorum, qui in eo illustrando elaborarunt, fere nullus fuit, quin summis laudibus et orationem et œconomiam historiarum celebrarent. Sed hæc hactenus. Clausulæ loco addere lubet, quæ de *Hortis Salustianis*, V. D. Eduardus Gerhardus, qui in urbis Romæ monumentis explicandis summo cum ingenii acumine versatur, ad me perscripsit.

DE HORTIS SALUSTIANIS

EDUARDI GERHARDI AD EDITOREM EPISTOLA.

Pauca sunt, Francisce Gerlachi, vir eruditissime, quæ de Salustianis ædificiis enarranda habeo. Quæ si parum speciosa tuis accedunt divitiis opellam malo præstitisse satis exiguam, quam recusasse quantulumcunque amicitiæ nostræ documentum. Quodsi multa desideraveris, quæ ab aliis auctoribus vulgata sunt, id velim cogites, garrulum istud hario-

tem quid sequatur, ubi alicui vitium pro exemplo est. Dixit Sal.: aquis hiemantibus. Arruntius in primo libro belli Punici ait: repente hiemavit tempestas. Et alio loco cum dicere vellet frigidum annum fuisse, ait: totus hiemavit annus. Et alio loco: inde sexaginta onerarias naves, præter militem et necessarios nautarum, hiemante aquilone misit: non desinit omnibus locis hoc verbum infercire. Quodam loco Salustius dicit: inter arma civilia æqui boni famas petit. Arruntius non temperavit, quo minus primo statim libro poneret, ingentes esse famas de Regulo.

landi genus, quod et Nardinii ætate vigebat, et hodie floret, tibi quoque vehementer displicuisse. Nam sola certiora notabo, etiamsi pleraque pervulgata sint.

Jure Salustiana vocari ea rudera, quæ Quirinali hortulorumque colli confinia a septentrione ad orientem versus Aureliani mœnia adjacent, cum posterioris ævi docet memoria, tum veterum auctorum testimonia ipsorumque ruderum vestigia. Traditionis testis est Andreas Fulvius, Antiq. Rom. Lib. II. Col. XXIV. A.: Exstant adhuc hortorum (supraque eos fori ib. XXIII. B.) Salustianorum vestigia in profunda valle; parum intra portam Salariam inter montem Quirinalem et collem hortulorum.... Locus autem *nunc ab incolis dicitur corrupte Salustrium.* Adde Lucium Faunum (Antich. di Roma. Lib. IV. cap. 10.) qui et situm ruderum accuratius designat, eaque vicina ecclesiæ S. Susannæ dicit: *Salustrico pressa la chiesa di S. Susanna.* Quibus testimoniis accedunt ipsius S. Susannæ acta apud Baronium Annal. eccles. ann. 295. « Erat conjuncta Caii domus cum ædibus S. Susannæ et Gabinii (sic) patris ejus: facta sunt hæc in regione sexta apud vicum Mamurri ante forum Salustii.... Perseverat hactenus nobilis memoria S. Susannæ (dictæ ad duas domos) in eodem loco. Vides ut traditione et regionis altæ Semitæ, qua et a regionariis et ab imperialis notitiæ auctoribus horti Salustiani siti esse dicuntur, et ipsius Mamurri viæ memoria servata fuerit: dixeris et Salustii forum, quamquam nescio an minor huic rei fides tribuenda sit. Cum enim in remota deliciarum sede forum exstructum fuisse, parum probabile esse videatur, atque soli dubiæ fidei regionarii, Victor et Rufus, quorum tabulis multa falsa videntur esse interposita, hujus fori mentionem faciant, pervulgatum Salustrici nomen serioribus temporibus in forum mutatum fuisse putaveris. « Dubitari non potest pro solito suo argumentandi genere, Nardinius inquit, quin Salustius habitaverit in foro suo.» Quam quidem conjecturam falsam esse, comprobat Procopii testimonium cfr. bell. Vandal. I. 2. Ἀλάριχόν τε τῇ πόλει ἐδέξαντο, οἱ δὲ τάς τε οἰκίας, ἐνέπρησαν, αἱ τῆς πύλης ἄγχιστα ἦσαν. Ἐν αἷς ἦν καὶ ἡ Σαλουστίου τοῦ Ρωμαίοις τὸ παλαιὸν τὴν ἱστορίαν γράψαντος, ἧς τε τὸ πλεῖστον ἡμίκαυτα κα ἐς ἐμὲ ἕστηκε. Unde patet Salustii domum, cujus mœnia ad Procopii usque tempora exstiterunt, vicinam fuisse portæ Salariæ, non ei parti Salustianorum ædificiorum, quæ ab illa porta est remotissima.

Sed pergo ad veterum testimonia. Ut omittam Procopium, modo laudatum, Salustianos hortos Salariam inter et Collinam portam sitos fuisse, testatur Tacitus, qui ita de Vitellianorum insidiis (hist. 3, 82.) « Ii tantum conflictati sunt, qui (de via Salaria) in partem sinistram urbis, ad Salustianos hortos per angusta et lubrica viarum flexerant: superstantes maceriis hortorum Vitelliani ad serum usque diem saxis pilisque subeuntes arcebant, donec ab equitibus, qui porta Collina irruperant circumvenirentur." Unde colligi potest, hortos Salustii viciniores fuisse Salariæ quam Collinæ portæ, ut et hinc, et quod Procopius ædes privatas hoc loco fuisse dicit, jure existimemus, ædes circo Salustiano contiguas, de cujus situ dubitari non potest, non ad Collinam portam sanctamque Susannam, sed ad Salariam usque portam pertinuisse, ubi hodie vineæ sunt, Croceja, Bovillia, ulteriusque, hortulorum collem versus, Ludovisia, quam tamen et ipsam ab his ædificiis occupatam fuisse putaverim.

Sed quæ memoria vulgi traditione servata auctorumque testimoniis confirmata et indubitata esse videtur, ea renatis antiquariorum studiis vel ab effodientibus rusticis illustrata est. Abundantiam certe pretiosæ materiæ splendorisque vel in lapidibus effossis omnes testantur, qui de urbis Romæ ruinis egerunt. De ædificio, cujus forma oblonga, adjectisque porticibus in vinea prope portam Salariam detectis fusius et satis docte egit Flaminius Vacca. N.°58. Quem quidem locum, quamvis *hortos Salustii* nominari contendit, tamen hoc nomen ab antiquariorum potius acumine quam vulgi traditione ortum esse videtur. Hermaphroditum Borghesianum quis ignorat, in ejus ecclesiæ agro effossum, quam grati animi documentum monachis ædificavit Scipio Borghesius? Id quod etiam Petrus Bartolus affirmat. Vide apud Feam Miscell. p. 230. N.° 32. 33. Eodem tractu, sed portæ Nomentanæ propius, elegantissimum templum effossum fuisse, idem Bartolus testatur. Veneris templum fuisse dixerim, nisi addiderit auctor, dimidium ejus templi in conspectu fuisse et illo tempore destructum. De cubiculo anaglyphis terræ coctæ inducto ante Veneris templum Quirinalem montem versus prioribus annis effosso exponit Ficoronus (Vestigie di Roma. p. 229.) Sed omissis istis omnibus, quorum situm hodie definire vix possis, quis prætereuntium a hortorum convallibus non observavit circi Salustii formam, quamvis murorum

paucæ exstent reliquiæ. Templum etiam hodie ibi conspicitur, nemini ignotum, qui Romanam terram perlustraverit, Veneris Salustianæ nomine, constante fama, nuncupatum. Hoc quoque nomen licet ab antiquariis inventum sit, tamen templum Veneris jure nominari, certum est. Templum enim Veneris in *hortulis Salustianis* vel Rufus nominat, misellus regionarius, quem non pudebat vastissimas urbis delicias hortulos dicere. Quid? quod lapidi abjecto inscriptio vel destructo, ut videtur, anaglypho descripta idem significat cfr. Grut. XXXIX, 4. Quem quidem lapidem eodem loco effossum esse A. Fulvius et Faunus affirmant. Addit Fulvius asservari id marmor in domo Angeli cujusdam Colotii, cujus murus circo Floræ imminet. (che ora sopra il circo di Flora attacato nel muro di una vigna con questa iscrizione si vede). Jam domum istam ut eam existimarem quæ hodieque templo Veneris imminet, (sive sit proxima, quam vineæ custodes habitant, sive præstantior ædes, ipso Servii muro superimposita), non me moveret Gruteri in his rebus exigua auctoritas, qui in eo ipso (Colotii) loco, templi, inquit, Veneris augusta vestigia adhuc exstant." Sed movet me ultra probabilitatem deserti paucisque ædificiis occupati loci, Lucii Fauni fides, qui illum lapidem in muro fuisse dicit circo imminente. Floræ circum innuit, non Salustii, scio et fateor. Sed si quis diversos eos circos existimet, quæ res mihi quidem parum est probabilis, id certe mihi concedet, vel sine L. Fauni testimonio, lapidem, in quo mentio templi fiat, in eo templo effossum esse, quod solum ibi fuisse dicitur. Neque id dubitationem moveat, quod cum Veneris templum in hortis Salustianis fuisse dicatur, templi rudera in circo sint. Quis enim ignorat, Venerem, credo, quia populi genitrix putabatur, templum habuisse et in circo Maximo, et in Pompeji theatro. Neque ullum fore crediderim, qui aut Salustianum esse circum neget, positum in loco, qui semper Salustii nuncupabatur, aut eundem non apte cum hortis conjunctum dicat, cum in Hadriani hortis hippodromus, in Neronis circus fuerit. Summo autem splendore atque magnificentia Salustii hortos fuisse exornatos, hoc quoque est testimonio, quod multi Cæsares Salustianos hortos, ut sedes amœnissimas, frequentarunt. Inter rudera, quorum apud Fulvium Vaccam (l. c.) mentio fit, canales plumbei reperti sunt, quibus Neronis nomen fuerat inscriptum, qui et ipse fugiens de ponte Milvio Salustianos in hortos remeavit. (Tac. Annal. 13, 47.) De Vespasiano Dio Cassius LXVI. 750. A. Ὀλίγα μὲν ἐν τῷ παλατίῳ ᾤκει, τὸ δὲ

δὴ πλεῖστον ἐν τοῖς κήποις τοῖς Σαλουστείοις διέτριβεν. De aliis alii; de Nerva Eusebius in chronico. De Aureliano Vopiscus, de Hadriano inscriptio hieroglyphica, in obelisco Ludovisiano, quem quidem Antinoi memoriæ vindicat, acutissimus arcanæ scripturæ interpres, Campollonius.

Publica igitur erant ista ædificia, nec privatæ solum Salustii luxuriæ inserviebat hortorum vastissimus ambitus. Scilicet qui aliter statuat, et post mortem Salustii hortos credat populo donatos, circo quoque judicet in hominis minime popularis villa paucos familiares usos esse. Quod si de circo, copiosæ multitudini ubivis dedicato nemo statuet, publicum opus Salustii opera in populi usum aut exstructum aut amplificatum dedicatorisque nomine insignitum dicemus. Quam ultimo loco indicavi mea est opinio eamque tibi, Francisce Gerlachi, comprobari vehementer opto, quippe cui decernendum sit, perversiusne sit recentium regionariorum judicium an audacius meum argumentandi genus. Erant credo, magnifici et sumptuosi Romanorum circi, neque probabile tibi videbitur in exiguo circorum numero duos sibi proximos in urbe fuisse. Circus Floræ, præter levia Rufi Victorisque testimonia, a nullo, quantum scio auctore, commemoratur. Sed fuerit Floræ circus; ubinam fuit? Nam aream Barberiniam eum occupasse, quod Nardinius dicit, pugnat contra Fauni auctoritatem (l. c.); nec contrarium Fulvii testimonium esse videtur. Alexandri Donati potior fides esset, qui (Roma Vetus ac Recens III. 15. p. 365.) « Circus Floræ, inquit, erat in valle media inter Quirinalem et Pincium, ejusque caveam et vestigia sedilium subjecta ædibus Barberinis aliquot annis ante quam ea vallis novis ædificiis impleretur."

Deinde exponit de substructionibus arcuatis, quæ in parte septentrionali earum ædium tum temporis fuerint. Nolim obloqui meritissimo viro, sed tamen me cogit dubitare de istius circi situ rationum evidentia. Compertum certe esset, qua de causa duo circi in eodem loco fuerint constructi. Forsitan aliquis dixerit post Floralem, Salustianum fuisse exstructum, quod ille ipsa urbis spatia occupaverit, sed etiam Salustiani circi principia ante medium sextum sæculum jam exstitisse Livius testis est. (cfr. XXX. 38.) Inundato enim circo Flaminio extra portam Collinam ad ædem Erycinæ Veneris ludos celebratos ait. Nempe Collinam portam exeunti ab occidente orientem versus patebat circus Salustianus. Poterat sane is, quem Livius indicat, locus etiam a septentrione meri-

diem versus esse extensum. Sed hoc posito, nihil erat, quod portamCollinam diceret, nam non magis erat remota porta Viminalis. Sed favet opinioni meæ Erycina Venus a Livio commemorata. Quam recte Verratus, injuria, a recente Nardinii editore (T. II. p. 58.) vituperatus eandem credit cum Salustiana. Nam cum et Liviani et Salustiani circi dea præsens esset Venus, neminem certe Rufi atque Victoris suspecta movebit auctoritas, ut duo ejusdem deæ templa extra eandem portam et eodem loco posita credamus. Quid? quod hac conjectura rejecta, nec loci Apollinaribus ludis consecrati, nec celeberrimi Erycinæ templi apud scriptores mentio fieret? Quam quidem ædem celeberrimam fuisse, præter Livium (XXII. 9. 10. XXX. 38. XL. 34.) testatur Ovidius. (Fast. IV. 871.)

Templa frequentari Collinæ proxima portæ
Nunc decet; a Siculo nomina colle tenent.

Cujus quidem templi reliquiæ etiam postea exstiterunt. (cfr. Piranesi Antich. di Roma Nro. 112.)

De ceteris hortorum Salustianorum deliciis nihil certi statuere licet. Erat ibi Miliarensis porticus, quem Vopisco teste, (cap. 44.) Aurelianus amavit, in quo quotidie et equos et se fatigabat, quamvis esset non bonæ valetudinis. Ad hanc Nardinius pertinere putat arcuum vestigia, quæ inde ab hortis S. S. Virginis de Victoria villam Ludovisiam versus extenduntur. Sed si thermæ Salustii investigatæ fuerint, nescio an rectius statuatur in vastissimo eorum ambitu porticum sitam fuisse. Sed eas propriores Salariæ portæ domiciliisque privatis, quæ commemorat Procopius, fuisse existimaverim. De his Vacca, qui pauca vestigia in paterno fundo viderat: Erat locus quamquam parum accurate descriptus prope portam Salariam: Præterea legitur in actis sanctorum, *ante thermas Salustii, ante muros urbis* tres sanctos supplicio fuisse affectos.

Etiam apud Mabillon. in Itinerario Sæc. XI. est: Thermæ Salustianæ ad Pyramidem. Pyramis vix alia esse potest, quam obeliscus Ludovisius nunc in monte Pincio erectus, cujus basis cum in ipsis Ludovisiis hortis reperta sit teste Mercato (degli obelisci cap. 28. pag. 256.) probabile est, regionem eam, quæ est inter circum et mœnia urbis, thermarum ædificia continuisse. Restat conditorium hortorum a Plinio memoratum (Hist. Nat. VII. 16.), qui quidem locus ubi fuerit, hodie ignoratur, sed si quis ossa humana in ea parte effoderit, non dubito, quin antiquariorum industria etiam sepulcri situm accuratius describat.

En tibi Gerlachi, vir amicissime, quæ de hortis Salustianis in promptu habebam. Quæ parum absoluta esse et ipse fateor; sed obscuriori materiæ quam amicitiæ nostræ deesse malui. Vale et fave! Dabam Romæ d. VIII. a Kal. Sext. MDCCCXXV.

Cfr. præterea de Salustii hortis Panvin. in descript. Rom. Marlian. Typ. Rom. Lib. IV. cap. 23. Panciroll. descript. Rom. Region. sexta. Donat. Lib. III. c. 23. Nardin. Lib. IV. c. 7. Borrich. c. 8. Debrossius Hist. Reipubl. Romanæ Tom. III. pag. 362. sq. judicat hortos Salustianos totum spatium continuisse, quod inde a via Salaria atque Nomentana usque ad muros urbis haud procul a Porta Pinciana patet. Sed idem paulo infra eodem loco etiam viam Mamurræ et Quirini templum et partem campi scelerati fuisse dicit, ita ut de hortorum finibus parum recte statuisse videatur. Qui etiamsi serioribus temporibus latiores fuerint, tamen hoc non Salustii luxuriæ tribuendum, quia haud dubie et Salustii nepos et imperatores, quibus is locus in deliciis fuit villam splendide atque magnifice exornaverant.

Nam non solum Augustus ibi convivia luxuriosa celebravit, sed etiam Vespasianus ibi sæpius quam in palatio versatus est, (cfr. Dio Cass. l. l.) Nerva eodem in loco plurimum temporis fuit ibique est mortuus Euseb. p. 146. Ed. Scal. Amst. 1658. et Aurelianus quamdiu Romæ fuit, in hortis Salustianis commoratus est, quos splendidissimis ædificiis exornavit. Cfr. Scriptt. *Hist. Augustae. Ed. Salmas.* A. MDCXX. Paris. p. 225. Ceterum Debrossius recte statuit, Circi reliquias, quæ etiamnum exstant, non ad Floræ sed ad Veneris Erycinæ circum pertinere. Quo in exornando Salustius occupatus fuisse videtur. Nam et templum et circum multa arte fuisse exstructum, jam satis constat. Ne forum Salustianum quidem, quod dicebatur, a Salustio exstructum fuisse inde conjicias, quod ejus nomine appellatum est. Fieri enim potuit, ut hoc nomen ei inderetur, quod villæ Salustianæ proximum fuit. Balneum etiam ibi fuisse conjectatur Nardinius, quod æquæductus reliquias detexisse sibi visus est. Statuarum, quæ ibi effossæ sunt, maxima copia. Præter Hermaphroditum, de quo supra memoratum est, summis laudibus celebratur Faunus, qui infantem complexus tenet; Papirius juvenis, matrem nimis curiosum mendaciis fallens; mirmillo exspi-

rans et quatuor colossi Aegyptii, lapide syenite, et Niobe cum liberis in marmore cælata, quod opus ibi inventum esse Pyrrhus Ligorius docet. Ipsius Salustii, quæ laudantur, imagines parum certæ sunt auctoritatis.

Ceterum nominis et cognominis ordinem quod attinet, quem supra posui, unice verum esse censeo, quanquam hunc a scriptoribus sæpius esse neglectum satis constat. Ita Horatius Od. II. 2. 3. quæ ad Salustii nepotem scripta: *Crispe Salusti* et Auct. belli Africani „ atque ibi Crispo Salustio cum imperio relicto." Cfr. Jugurth. c. 27. L. Bestia Calpurnius Liv. XXVII. 6. Crassus Licinius. Cornel. Nep. vita Attici c. 18. Marcelli Claudii, Scipionis Cornelii, Vellej. Paterculus II. 26 et 27. Ofella Lucretius; ubi Ruhnkenius nomen apud Vellejum singulis fere paginis postponitur cognomini." Cic. Ep. ad Attic. II. 12. Balbus. Cornelius Seneca de ira III. 30. Cimber Tullius; de qua quidem re cum alii viri docti, tum nuperrime Heinrichius egit Cic. Oratt. pro Scauro p. 8.— Jam quod Muellerus. (vide ejus præfat. in Catil.) Salustium Terentiam in matrimonium duxisse negat, idque effici posse putat iis, quos laudat, scriptorum antiquorum locis, (Plin. Hist. Nat. VII. c. 49. pag. 47. Ed. Bipont. Val. Max. VIII. 13. 6. Dio Cass. 57. 15.) hæc loca non satis accurate examinasse videtur; nihil aliud enim docent, quam CIII annos explevisse Terentiam.

COMMENTARII IN CATILINAM.

Cap. I.

Primum de inscriptione. Codd. alii aliter. *De conjuratione Catilinae* Med. I. Bas. IV. *de bello Catilinario* Med. 3. 6. 11. *Catilinarium* Med. 2. *Catilinarius liber* Med. 5. *Bellum Catilinarium* Tegern. *De bellis Catilinae et Jugurthae* Bas. I. *Liber primus in Catilinario explicit.* Tur. I. *Catilinarii liber* Tur. 4. *De conjuratione Catilinae* Bas. 4. Ex quibus duæ plurimum auctoritatis habere videntur, *de conjuratione Catilinae.* Quam ipsius auctoris verba confirmant, cap. 4. *Igitur de Catilinae conjuratione* etc. Alterum *bellum Catilinarium* et Codd. nonnulli confirmant et Quinctilianus; (Inst. Rhet. VIII. 3.) accedit Suidas eo loco, quem supra laudavi, ubi βίβλων hos libros inscriptos fuisse docet. Grammatici veteres apud Putschium, præterea Nonius, Gellius, Festus ita hunc librum laudant: *Salustius in Catilina*, *Catilinario*, *bello Catilinae.* Quare parum firma eorum auctoritas. Duplicem titulum libro inscriptum fuisse Meursius et Cortius statuerunt. Id quod ab antiquis satis usitatum. Cfr. inscriptiones plurimorum dialogorum Platonis.

Omnis, et meliorum Codd. firmatur auctoritate et antiquorum grammaticorum testimoniis. Cfr. Sosipat. Charisius pag. 113. Ed. Putsch. sed hanc terminationem non constanter ab Salustio fuisse adhibitum l. l. docere videtur. Nam *omnes homines* ex Cæs. Or. cap. 51. laudant; si quidem lectio bene se habet. Nominum quidem, qui literam i genitivo plurali retinent, acc. plur. sæpius in is exire atque hunc vocum exitum ab omnibus ætatis aureæ scriptoribus usurpatum fuisse, dubitari non potest. Nam testimonio sunt et grammaticorum præcepta et optimorum Codd. auctoritas. Cfr. Serv. ad Virg. Aen. I. 112. *Genitivus pluralis, quotiens in ium exit, acc. plur in is mittit.* Consentit Sosipat. Charis. p. 28. Ed. Putsch. *Omnia nomina in is literas terminata, quae dativoi exierint, necesse est genitivo et acc. ante ultimam i recipiant, ut agrestis, ium, hos agrestis* etc. Cfr. eundem p. 69. Adde Priscianum p. 775. *Omnium, quae tam nominativum, quam genitivum similem habent, eorum accusativus raro in es, frequenter in is solet terminari.* Asper Salustii interpres, cujus auctoritas maxima, « si genitivus, inquit, omnium i literam natura retinet, et in accusativo esse servandum"; sed locus videtur esse corruptus. Donatus p. 1750: *quaecunque nomina ablativo*

casu singulari i litera fuerint terminata, ... accus. plural. propter differentiam melius in is quam in es syllabam terminant. Optime Consent. 2040. *Sane plerique omnes has regulas, quae genitivum in ium mittunt, dicunt etiam acc. plur. in is mittere, ut has puppis, hos montis, hos optimatis, sed in hoc quoque sequenda euphonia est. Pleraque enim ex omnibus istis regulis consuetudine cernimus immutata.* Cum quo facit Valerius Probus apud Gellium N. A. p. 29. cfr. præfat. Tom. I. pag. 11. qui et ipse euphoniæ maxime rationem esse habitam ostendit. Sed eundem ceteras grammaticorum regulas de hac terminatione improbasse, notat Pier. ad Virg. Aen. II. 490. Nam nubes, *nubium*, *nubis* scriptores formasse negat, contra parentum et parentis Salustium dixisse, Virgilium etiam postes et postis, cum genitivus sit postium. Sed his ipsis, quæ supra posuimus, confirmantur. Nonnullos a vulgari usu dicendi recessisse, satis probabile. Virgilium certe atque Salustium ad aurium judicium hæc retulisse, grammaticorum testimoniis firmatum est. Vix igitur assequaris ut ubique genuinam terminationem restituas. Nam ipsorum grammaticorum testimonia non satis firma dixeris; quod haud raro optimi cujusque codicis auctoritas ab illis abhorret. Id quod de optimi Virgilii Codice Mediceo Norisius docuit. Cfr. Orth. Noris p. 233. Ed. Harles. ex Salustii libris ipse exempla afferam. Ceterum satis constat, antiquiores scriptores acc. plur. sæpius in *eis* terminasse, scilicet ut a nominativo singulari distingueretur. Sed hanc terminationem Plinius damnavit, a Charisio laudatus p. 104. sed ne is quidem locus satis emendatus esse videtur. Cfr. Charis. p. 104. rrr. sub voce. Fonteis, fureis, monteis, majoreis. Cfr. præterea Schneid. Gr. L. L. p. 270, qui ne veterum quidem scriptorum loca satis excussit, nedum acutius hac de re statuit. *Sese student* elegantior usus loquendi, quo vis orationis augetur, laudant interpp. Plaut. Asin. I. 1, 52. *Atque ego me id facere studeo.* Terent. Eunuch. Prol. init. *qui placere se student bonis.* Cic. Offic. II. 20. *Gratum se videri studet.* Pari modo verbis, velle, malle, decernere, cupere, pronomen adjungitur, maxime in contrapositis (antithetis). *ne vitam silentio transeant;* quem, mutaveram verborum ordinem a Cortio unius libri Guelph. 5. auctoritate constitutum, jam retinendum esse censeo, plurimis enim libris Mss. comparatis cognovi, etiam aliis locis particulas sæpius a librariis esse transpositas, quippe qui elegantiam Salustianam non comprehenderent. In Jugurtha cap. 70. Barb. 2. 5. pro vulgato verborum ordine: *in pestem*

ne convorteret et Cat. 50. Med. 8. *ad eum ubi ventum.* Imo particularum transpositio ap Sal. usitatissima esse videtur. cfr. Jug. 13. *ne cunctentur.* id. 113. *in colloquium uti de pace veniretur.* id. 38. *locum uti desererent.* id. 102. *ingenium aut avorsum uti flecterent.* Cat. 31. P. C. ne. id. 43. *Statilius Gabinius uti* etc. Similis verborum positio in legum formulis Cic. 2. de legg. 22. hominem mortuum in urbe ne sepelito; l. l. 9. impius ne audeto placare donis iram deum. Plin. H. N. 18. 35. frondem media die ne cædito. l. l. c. 34. semen ne jacito.

Animalibus meliorum librorum auctoritate firmatur; adderem etiam Charisii testimonio p. 112. nisi sæpius grammaticos in laudandis scriptoris verbis parum diligentes cognovissem. *Animantibus* grammaticorum inventum, qui homines animalia dici non posse putarent. Eadem fere ratio lectionum *transeant* et *transigant.* Illi enim haud dubie a Sal. eo consilio posita, *ut silentio* responderet, grammatici *transigant* substituerunt, quod vulgatius erat. *Silentium* bene explicat Silii Italici versus 3. 145. Quantum etenim distant a morte silentia vitæ? Tac. Agric. c. 6. præturæ silentium. *transeunt* eodem sensu Tacitus Agric. 6. ipsum tribunatus annum quiete et otio transiit. Seneca Ep. XCIII. hoc a me exige, ne velut per tenebras ævum ignobile emetiar, ut agam vitam, non ut prætervehar. Apud Ciceronem *silentio transire* idem quod prætermittere. cfr. Ep. ad Attic. 2. 19. *Omnis nostra vis* quem verborum positum aliquis elegantiorem dixerit, nonnulli libri habent. Neap. 1. 3. Flor. 19. Med. 2. Venet. 1. Vat. 3. 4. 2. Barb. 2. Berol. 1. 2. 3. sed meliores libri non addicunt, et nimis contorta hæc verborum junctura esse videtur. *Fragilis est.* Verbum substantivum hoc loco rectius omittitur quia, quod sequitur, *habetur*, etiam ad priora referri potest, idque sæpius animadvertitur, verbum substantivum esse omissum, ubi sequente verbo vis ejus exprimitur. Diversa est ratio superioris juncturæ *sita est*, ubi *est* necessarium esse videtur, ut expleatur sententia; ceterum *habetur* hoc loco ut Græcum ἔχεται *tenetur*; et oppositum iis, quæ præcesserunt, *fluxa* atque *fragilis.* *Nam et priusquam — et* aliquot libri omittunt Barb. 3. 4. Med. 9. Vat. 3. 4. 2. quo sublato minus apte orationis membra sibi respondent. *Mortalis* magnificentius et excelsius dictum, quam homines, et apud Salustium frequentissimum. Fronto quidem, (cfr. Aul. Gell. N. A. 13. 28.) amplius, prolixius et fusius dictum esse existimavit. Haud dubie ἐμφατικώτερον est, etiam-

si apud antiquioris sermonis studiosos satis frequens sit; priscis enim verbis inest quædam σεμνότης.

Eget longe plurimi libri; quos enim laudat libros Palmerius, incertæ auctoritatis sunt, neque Hispanicæ versionis auctori crediderim, in tribus Codd. Bibl. Escurialis *veget* esse expressum. Nam in tanta Codd. Italicorum copia ne unus quidem hanc lectionem confirmat; immo *eget* constantem omnium librorum esse lectionem vel ex eo conjicias, quod glossatores *indiget* emendarunt, scilicet ut arctius duo orationis membra conjungerentur. Neque hæc mera ejusdem sententiæ est repetitio, nam aliud *indigentem esse*, aliud *alterum alterius auxilio egere.* Ex eis quæ Cortius attulit ad Codd. lectionem defendendam, maxime consentaneum est Jug. c. 14. inops alienas opes exspecto. cfr. præterea Beier ad Cic. offic. I. 10. et Gœrenz ad Cic. Fin. V. 32. §. 95. quæ loca laudat Birnbaum in specimine Lection. Sal. p. 7. idem de hujus loci sensu recte statuit.

Ceterum sententia, ut locus communis, a multis scriptoribus et Græcis et Latinis expressa est; laudant Interpretes Arist. Ethic. VI. 10. πράττειν μὲν δεῖ ταχὺ βουλευθέντα, βουλεύεσθαι δὲ βραδέως. Demosth. in Exord. 22. δεῖ δὲ βουλεύεσθαι μὲν ἐφ' ἡσυχίας ποιεῖν δὲ τὰ δόξαντα μετὰ σπουδῆς Isocr. ad Demon. βουλεύου μὲν βραδέως, ἐπιτέλει δὲ ταχέως τὰ δόξαντα.

II. *Igitur.* Hanc particulam a Salustio initio orationis poni satis constat. Antiquos scriptores videtur esse imitatus; apud Plautum certe is particulæ positus frequentissimus est. Merc. 2. 3. 20. igitur hocoine est amare? Stich. 1. 2. 29. Prius id agam; igitur deinde ut animus erit meus, faciam palam; sed etiam Livius atque Cornelius Nepos haud raro hanc particulam præposuerunt. cfr. Nep. Attic. 3. Liv. II. 48. Etiam frequens hujus particulæ usus Salustio et Plauto communis est. In apta enim verborum junctura Sal. imprimis antiquos scriptores secutus esse videtur. Quæ quidem orationis simplicitas plane abhorret ab fucatæ orationis medicamentis, quibus Livius laudem quærit.

Reges. Idem Cicero docet de Legg. 3. 2. « Omnes antiquæ gentes regibus quondam paruerunt; quod genus imperii ad homines justissimos et sapientissimos deferebatur." Accedit Aristoteles Polit. I. 2. τὸ πρῶτον ἐβασιλεύοντο αἱ πόλεις *Pars, alii.* ita fere semper Salustius. In contrapositis enim amant scriptores variare orationem; quo genere Tacitus imprimis excellet. *Etiam tum*: quod libri Mss. confirmant, veris-

simum. cfr. Jugurth. c. 63. *Etiam* hoc loco non est copulativum, sed idem exprimit quod *adhuc* cfr Terent. Andr. 3. 2. 23. Non satis me pernosti etiam. Varro L. L. 5. c. 7. fano consumebatur omne, quod profanum erat, ut etiam fit. Cortius hoc in loco offendisse videtur, quod asyndeton esse non intellexit. *Cyri* potissimum mentionem injecisse videtur Salustius, quod ab eo certioris historiæ initium fit.

Invasere sine casu, sæpius apud Salustium. cfr. Jug. c. 41. avaritia sine modo modestiaque invadere; Cat. c. 10. contagio invasit. Cic. de N. D. 1. 15. ignis quocunque invasit, i. e. latius serpere; similiter Græcum *ἐπιέναι*.

Fortuna simul cum moribus. Simul, quod Cortius suspectum habuit, omisit Flor. 9. quo omisso vim orationis imminui nemo est, quin intelligat. Auctor enim ut doceret, alterum ab altero plane sejungi non posse, illam particulam adjecit. Similiter Cornel. Nepos Vita Eumenis c. 3. « intelligebat copias simul cum nuntio dilapsuras." *Ab optimo quoque ad minus bonum* Flor. 9. Scripsit ita librarius, sæculi credo morem declarans. *Quae homines arant navigant*, hæc verborum junctura plane insolita; terram arare poetice dicitur, colere, possidere; cfr. Hor. Epod. 4, 13: « Arat Falerni mille fundi jugera"; tum etiam arando agros fruges percipere; Hor. Od. 3. 16, 26: « si quidquid arat impiger Appulus, occultare meis dicerer horreis." *Navigare* proprie navim agere cfr. Ulp. Digest. lib. 4. tit. 9. leg. 1. nautæ appellantur omnes, qui navis navigandæ causa in mari sunt. Jam cum etiam oceanus navigari dicatur, huic constructioni similem finxisse et merces navigare, dixisse videtur Salustius. *Transiere* præter multos, quos supra laudavi libros, Cod. Rost. Venet. 1. 3. Vat. 1. 2. 4. 5. et 3. man. sec. Barb. 1. 2. 5. Min. 1. 2. Flor. 6. 10. 19. 20. 21. 31. Neap. 3. 5. In tot Codd. consensu nescio an hæc lectio præferenda sit; quippe quæ maxime quadrare videatur ad vocem antecedentem. Qui enim vitam transeunt, ut multi peregrinantes terras peragrare solent, alia atque alia loca brevissimo temporis spatio adeuntes, eos jure indoctos et incultos dixeris. Nullius enim rei accuratiore cognitione capta, alteri vita decedunt, alteri locum ex loco mutant. Jam amat quidem Salustius variare orationem, et quamvis supra in re simillima *transire* dixerat, tamen hoc loco *transigere* haud plane est inconcinnum; sed cum proprietatis verborum retinentissimus jure dicatur,

equidem elegantiorem dicendi rationem magis probaverim. *Juxta aestumo* — juxta quod alias exprimit æque ac apud Salustium *non majoris ac, tam parvi, quam minimi* cfr. Cat. c. 37. reipublicæ juxta ac sibi consuluisse et sub finem; suae hostiumque vitæ juxta pepercerant. Ita Plaut. *tantidem* Merc. 2. 2. 4. 4. Decrepitus senex tantidem est, quasi sit signum pictum in pariete. *Bonae artis* Min. 1. Ven. 2. Flor. 18, 20. multique alii ex Italicis Codd. eumque verborum positum aliis locis meliores Codd. Mss. tuentur, cfr. infra c. 11. bonæ artes desunt, sed hoc loco adjectivum substantivo consilio postpositum esse videtur; præcesserat enim *praeclari facinoris*. *Bene facere* antique dictum. Opera enim in republica gerenda bene collocata beneficium dicebatur, hinc in beneficiis ad ærarium deferri Cic. pro Arch. c. 5. i. e. numero eorum adscribi, qui de republica bene sunt meriti. *Sequi* cfr. infra c. 12. 54. Fragm. Lib. 5. 19. sub fin: fortuna meliores sequitur, et l. l. malos præmia sequuntur; Græce: κῦδος, τιμή ἄτη ἕπεται. Salustium Vellejus imitatus est. Hist. 1. 2. Codrum cum morte æterna gloria, Athenienses secuta victoria est. *Arduum* totus hic locus jam ab antiquis criticis impugnatus est, cfr. Gell. N. A. 4. 15. «proposuit, inquiunt, dicturum causas quamobrem videatur esse arduum res gestas scribere, atque ibi non primum causam sed querelas dicit" etc. Sed malevolis reprehensoribus bene Gellius respondet: arduum Salustius non pro difficili tantum, sed pro eo quoque ponit, quod Græci δυσχερές aut χαλεπόν appellant, quod est cum difficile tum molestum quoque et incommodum et intractabile." Recte ita Plinius H. N. 17. 4. solum arduum opere difficile cultu. *Ubi de magna.* In his haud dubie Thucydidem secutus est Salustius. cfr. Lib. II. 35: « ὅ, τε, γὰρ ξυνειδὼς καὶ εὔνους ἀκροατὴς τάχ᾽ ἄν τι ἐνδεεστέρως πρὸς ἃ βούλεται τε καὶ ἐπίσταται νομίσειε δηλοῦσθαι, ὅ τε ἄπειρος ἔστιν ἃ καὶ πλεονάζεσθαι, διὰ φθόνον, εἴτι ὑπὲρ τὴν ἑαυτȣ φύσιν ἀκούοι. μέχρι γὰρ τοῦδε ἀνεκτοὶ οἱ ἔπαινοί εἰσι περὶ ἑτέρων λεγόμενοι ἐς ὅσον ἂν καὶ αὐτὸς ἕκαστος οἴηται ἱκανὸς εἶναι δρᾶσαί τι ὧν ἤκουσε; τῷ δὲ ὑπερβάλλοντι αὐτῶν φθονοῦντες ἤδη καὶ ἀπιστοῦσιν.

In eandem sententiam disputat Plinius. Lib. V. Ep. 8. Tum si laudaveris, parcus: si culpaveris nimius fuisse diceris; quamvis illud plenissime hoc restrictissime feceris. *Adulescentulum* Salustius se fuisse

dicit, quo tempore primum ad rempublicam accesserit. Sed jam triginta quatuor annos natus erat, cum tribunus plebis factus est. Cicero quoque se adulescentulum Sextii Roscii Amerini causam egisse testatur Oratt. 30., sed viginti sex annos compleverat; ita sæpius alii auctores. *Studio ad rempublicam latus sum.* Hanc lectionem, quam integram esse nemo dubitat, confirmant plurimi ex Italic. Codd. *virtute.* Hæc quidem vox, Salustio usitatissima, hoc loco originis vim retinet; nam Cicerone teste Tuscul. Quæst. 2. 18; appellata est a viro virtus, viri autem propria maxime est fortitudo. Cic. Ep. Fam. 13. 28: «Est in eo virtus et probitas", infra Catil. c. 52. «virtus et sapientia major in illis fuit." Hoc loco intelligit auctor virtutem, quæ in constantia et vitæ integritate cernitur. Cic. pro Fontejo 13. «qui tanta virtute atque integritate fuit"; pro Domo 15. «vir singulari virtute, constantia, gravitate præditus." Recte igitur ei opponuntur libidines, quibus dediti libero et integro animo esse non possunt.

Malarum artium. qua dictione plurimum utitur Salustius. Apud ceteros scriptores pedestres fere est insolita; sed Tacitus aliquoties, Salustium, credo, imitatus eam usurpavit; cfr. Annal. 14, 57. «Tigellinus malas artes, quibus solis pollebat, gratiores ratus etc." Usitatius etiam ap. Sal. quod ei contrarium est, *bonae artes;* quæ prisci sermonis dictio esse, et hoc innuere videtur, hominum vitia atque virtutes non modo ab animi indole esse repetenda, sed multo magis in usu quotidiano atque exercitatione esse posita, qua quidem re solertia quædam atque ingenii dexteritas oriri solet, quam longe plurimum valere iis persuasum fuisse videtur, qui varia hominum studia hac voce significare voluerunt. *Quum ab reliquorum — vexabat.* Frustra sunt interpretes, qui cum omnia sana sint, alia delere, alia emendare conantur. Abrupta sane est oratio, quod in culpæ confessione fere fieri solet. Hoc enim loco accuratius examinato, vix ullum dubitaturum esse putaverim, quin Salustius et his et sequentibus eorum criminationes refellere voluerit, qui orationis gravitatem, qua usus est, moribus ejus dissolutis parum consentaneam esse putarunt. Ac primum quidem *reliquorum* bene se habet; innuit enim auctor ceteros juvenes æquales suos, qui rempublicam capessiverant, *reliquis* qui defenderunt, non cogitasse videntur, etiam famam atque invidiam ab ipsis inter malos mores referri, quod absurdum est. Sed cum ambitioni se obnoxium fuisse

auctor dixisset, quantum mali inde ortum sit illustrat; se enim quod honoris cupidine flagraverit, multis odio fuisse, qui æmulorum famam conviciis lacerare soliti sint.

Eadem qua ceteros ab iis est conjectum, qui Asyndeti vim non comprehenderunt. Sed illud ut multo significantius ita longe elegantius est.

C. IV. *Ex multis miseriis atque periculis*, intelligit voluptatum et corruptelarum illecebras, quibus delinitus fuerat. *Secordia* quam scripturam Cortius antiquiorem habuit, pauci ex Codd. Ital. confirmant, Neapolit. 1. Vat. 5. *Servilia officia* venationem et agriculturam dixit, quod corporis viribus in his negotiis maxime utimur, sed ingenii viribus, ut supra docuerat, gloria quærenda est. *Studioque* quam retinueram particulam *que* jam multorum Italicorum Codd. Neap. 1. 5. Flor. 17. 20. 31. Vat. 1. 3. 4. 5. Med. 2. 3. Barb. 1. 2. 3. auctoritate permotus, omittendam esse censeo; accedit quod figura ἓν διὰ δοῖν orationis colori, qui in hoc prooemio est, parum consentanea esse videtur. *Studium* omisit Med. 12. quod brevitatis amatores, credo, amplectentur. *Ambitio mala* dicitur, quæ multorum malorum est causa; inest etiam in hac voce simplicitas quædam; similiter apud Horat. mali fures Satir. 1. 1. 77. mala ambitio II. 6. 18. mala lustra 1. 6. 68. mala cicuta 2. 1. 66; malæ furiæ 2. 3. 135. quæ loca congessit Heindorf ad Horat. Satir. 1. 1. 37. pronomen *me* nonnulli libri omittunt Flor. 9. 17. 31. et infra *mihi* om. Bon. et *mihi* cap. 3. *ibique multa advorsa* Berol. 4. Venet. 3. quæ eorum favere videntur opinioni, qui talia ab Salustio omissa esse statuunt. Sed primo loco *mihi* plane necessarium, quia *sibi* hæc contraria fuisse dicturus erat. Altero loco *me* poterat quidem omitti, sed Codd. meliorum auctoritas repugnat. Tertio loco *mihi* haud dubie retinendum, quia elegantem verborum juncturam *mihi animus liber est* scholiastarum inventum vix dixeris. Ceterum quod Quinctilianus de oratione Salustii judicavit, ex ipso opere manifestum esse laborem, id nescio an in hoc potissimum prooemio deprehendas. Auctoris mentem cogitationum intentione occupatam facile perspicias. Studium susceptum non solum malevolis obtrectatoribus excusare sed etiam gravissimis viris approbare studet. Hanc ob rem in hominum naturam inquirit, et quæ petenda et quæ fugienda sint explorat. Quæstionis gravitati conformata oratio. Verba sonantia, concisæ sententiæ, numeri curti et ab oratorio dicendi genere alienissimi, junctura sæpius duriuscula; cum enim sententiæ atque cogitationes similes sunt, apta verborum junctura sæpius negligi-

tur; qua quidem in re Salustius sæpe ipsius Thucydidis duritiam æquasse videtur. Asperitatem quandam orationis affectasse dixeris auctorem, ut priscorum Romanorum severitatem atque gravitatem ipsius sermonis ratio referret. Jam quod Quinctilianus monet, hoc procemium ad historiam non pertinere, recte quidem judicavit, si ad eandem normam et legem quandam omnium historicorum libri exigendi sunt; sed ab Salustii ingenio procemium non abhorrere facile intelligas, quæ enim ejus animi indoles fuit, cum primum ad historiam scribendam animum appelleret, pauca de consilio præfari necesse habuit.

Cap. V. Luc. Sergius Catilina, nobili loco natus (anno U. C. DCXLVII) (gentis enim origo ab Aeneæ socio repetita est; cujus rei Virgilius auctor Aen. V. 121. Sergestusque domus tenet, a quo Sergia nomen) proavum habuit Marcum Sergium, de cujus virtute Plinius agit H. N. VII. 28. Patrem vitam in egestate degisse inde patet, quod Q. Cicero de petitione consulatus 2. Catilinam natum in patris egestate dicit. In civilibus dissensionibus a Sullæ partibus stetit; a quo Gallis equitibus præfectus, qui proscriptos persequebantur, et Cæcilium sororis suæ virum equitem Romanum nullarum partium, et M. Marium Gratidianum excruciatum, suis manibus occidit. cfr. l. l. c. 3. Flor. Hist. III. 21. fin. Seneca de ira 3. 18. Eodem bello ipsum fratrem trucidavit, cujus facinoris atrocitatem ut leniret, a Sulla impetravit, ut illum jam mortuum proscriberet. cfr. Plut. Sulla cap. 32. et in Vita Cic. c. 10. Post Præturum, quam anno DCLXXXVI. gesserat, Africam provinciam ita administravit, ut nequissimorum hominum avaritiam atque audaciam superaverit. Quare post reditum repetundarum reus nonnisi maximis largitionibus effecit, ut hujus criminis absolveretur. Sed, ut bene Q. Cicero l. l., tum egens ex eo judicio discessit, quam quidam judices ejus ante illud judicium fuerunt. Quibus facinoribus ne quis fidem deroget, quod Salustius nullam eorum fecit mentionem. Satis enim habuit in universum de ejus moribus disputare et quæ in ore atque sermone omnium erant, consilio omisit. Neque hujus loci erat singula enumerare, sed id potius erat agendum rerum gestarum scriptori, ut intima ejus consilia aperiret, et quibus initiis profectus, tam malum eventum habuerit, accuratius exponeret. Sed Catilinæ naturam moresque summa cum arte adumbratos esse facile cognoscas, comparatis, quæ Cicero fusius in

Oratt. de Catilinæ vita exponit, cum brevi ejusdem rei delineatione, quam apud Salustium legimus. Sed hoc inter omnes satis constat, nullum fere historicorum mores hominum luculentius oratione expressisse quam Salustium.

Natus fuit. Verbum substantivum, quod Cortius improbavit atque ejecit, ex tot Italicis Codd. ne unus quidem omisit; sed *natus* deest in Venet. 4. ubi cum *fuit* manu secunda exaratum sit, et alium vocis locum occupasse videatur, aliquis Cortii conjecturam hoc libro confirmatam dicat; parum recte si quid sentio. Verbum enim substantivum hoc loco abesse non potest, nam quem Flori locum laudat Cortius, ejus alia est ratio. Florus enim res gestas leviter attingit. Cui consilio hæc dictio consentanea, sed in principio prolixioris orationis verbum omitti non potuit. Transposuit Muellerus: „*et corporis fuit.*" nescio quo auctore. *Varius* cfr. Cic. de Fin. II. 3. Plin. Ep. 1. 16. ingenium varium, flexibile, multiplex, idem quod versatile apud Liv. Hist. lib. 39. cap. 40. *cujus rei libet.* Hunc verborum positum ne unus quidem Codd. Italicorum confirmat, præterquam quod unus Flor. 9. *cujusque libet rei;* quamobrem Nonii auctoritatem suspectum habueris, qui hunc verborum ordinem exhibet. Sed Codd. Mss. non inspectis nihil mutaverim. *Simulator ac dissimulator*, adjective an substantive hoc looo posita sint, dubitaveris; illud magis pœticum et Tacito inprimis usitatum; v. c. *bellator equus*, *victor exercitus* etc. Sed Salustiano dicendi generi minus consentaneum; nam amat ille quidem antiqua verba et certam quandam sermonis simplicitatem, sed respuit pœtica, quare post *varius* interpungendum censeo. *Loquentiae.* Pauci Codd. iique parum firmæ auctoritatis ex meis Venet. 2. sed a manu secunda. Hæc lectio a Valerio Probo inventa esse videtur, qui auctore A. Gellio (N. A. I. 15.) sic a Salustio reactum affirmavit, quod *loquentia* novatori verborum Salustio maxime congrueret; eloquentia cum insipientia minime conveniret. Hanc in sententiam etiam Plinius: „aliud esse eloquentiam aliud loquentiam" Ep. 5. 20. Jam ex his colligas ita non scriptum in Codd. invenisse Valerium, sed quod Salustius alio loco *loquax magis quam facundus* dixerat, ejusdem originis substantivum ab eo usurpatum fuisse verisimile duxit. Accessit quod rhetori indignum esse videbatur, eloquentiam sapientiæ opponi, sed Salustius vulgaris sermonis usum secutus est. *Vastus animus* translate ingens nimius, v. c. malum,

nefas, potentia cfr. Senec. Herc. Oet. vs. 1232 et vs. 767. Ovid. Met. 2. 520: qui aliter interpretantur et inde, quod Cicero *vastae solitudinis* Somn. Scip. c. 6. et *quae barbaria India vastior atque agrestior* Tusc. Quæst. 1. 13. dixit, vastum vastatum i. e. cupiditatibus vexatum atque cruciatum dicunt, nexum sententiarum parum intelligere mihi videntur. Paulo infra quidem bene Sal. *Conscientia mentem excitam vastabat* c. 15. Sed vastus hoc loco ad sequentia *incredibilia*, *nimis alta* etc. referendum; quare bene Cortius *insatiabilis* interpretatur; simile est *profunda avaritia*, *profunda cupido* etc. i. e., immensa, infinita, immodica. Eundem fere Marium descripsit Vellej. Paterc. II. 11. «immodicus gloriæ, insatiabilis, impotens semperque inquietus." *Reipublicae capiundae* i. e. regni occupandi; more prisco verbum simplex compositi vim habet, contulit Cort. Senec. de Benefic. 5. 16; parum est illi capere patriam nisi verterit. *Quicquam pensi habebat* i. e. omnia levia duxit, parum curavit, præ eo, quod agitabat, consilio; ceterum constructio eadem, ut in verbir æstimandi. Nam non solum genitivi *parvi magni* etc. his junguntus sed multa alia præterea; v. c. æqui bonique facere, boni consulo, nihil pensi atque moderati infra c. 12.; nihil pensi neque sancti Jug. 41. etc. Apud Salustium fere cum quicquam junctum cfr. c. 23. 52. quibus si pro nomine quicquam pensi unquam fuisset cfr. Liv. 34. 49. Suet. Dom. 12. Neroi 34. Val. Max. 2. 93. «Nec pensi duxerat." Plaut. Truc. 4. 2. 52; «Nec mih adest tantillum pensi jam quos capiam calceos." *Agitabatur* i. e. vexabatur, lacerabatur; Salustio usitatissima hæc locutio est. *Incitabant praeterea.* pronom. omittunt etiam aliquot Codd. Italici. *Quos—vexabant.* *quos* haud dubie ad mores referendum; insolita quidem dictio; sed a Salustii sermone non aliena, vexare i. e. graviter infestare; pari modo Cic. pro Milone 9: «omni scelere vexare rempublicam; jam in quo aliquis offenderit, in activa forma, id Salustio usitatissimum est. cfr. supra 3. me fama et invidia vexabat"; infra c. 15. «conscientia mentem vexabat."

Tempus admonuit apud Salustium pronomen sæpius in hac verborum junctura omissum: cfr. infra c. 50. «res atque tempus monebat, et Jug. 47. «ratus id quod res monebat", adde etiam Jug. 79., *eam rem locus admonuit*, ubi aliquot Codd. pron. omittunt, ut supra: res ipsa hortari videtur—*supra repetere* i. e. superiora ex more Græco et apud Livium circa montes cfr. Jugurtha 6. «pauca supra repetam" et Jug. c. 24

illum supra quam ego sum petere. Tac. Ann. 16. 18. «pauca supra repetenda sunt." *Ac paucis — ac* om. Med. 11. *Militiaeque— que* om. Med. 2. sed in ceterorum Codd. silentio nihil mutaverim. *Rempublicam habuerint* i. e. gesserint, curaverint cfr. Hist. Fragm. Lib. 3. fr. 22. pag. 235. Simile habere aliquem laute cfr. infra cap. 11. luxuriose nimisque liberaliter habere, et Histor. Fragm. III. fr. 22. pag. 234. *Artius habebunt* Cæs. B. C. I. 63. «Hostium agmen male habere"; ceterum de frequenti et vario usu verbi habere apud Salustium vide indicem : *disserere* duriusculum, primum quod longius remotum ab substantivo, ad quod referendum, tum quod ipsa junctura insolita est, quamvis eum disserere aliquid dicitur cfr. Tac. Ann. 3. 40. disserere sediosa et Annal. 1. 4. bona libertatis incassum diss. et Cic. N. D. fin. «ea quæ disputavi, disserere malui quam judicare"; tamen horum locorum non eadem est ratio et quæ addita sunt *quomodo* etc. in superioribus etiam præpositionem deflagitare videbantur. Quæ jam sequitur brevis Romanæ historiæ adumbratio, eam alieno loco interpositam esse recte dixeris. Ut enim de moribus disputare a scriptoris consilio non plane alienum fuit; ita prima reipublicæ Romanæ initia exponere neque opus fuit, neque talis disgressio intelligentibus probabitur. Totius enim operis amplitudini parum respondet. Videtur autem Salustius eodem captus esse errore, in quem et alii inducuntur, qui quum primum ad scribendi studium se conferunt, in uno argumento illustrando omnes animi atque ingenii vires profundere parant. Quod quidem cum alias tum in brevioribus scriptis accidere solet. Ceterum vero non absimile esse videtur, Salustium in hac digressione excerptis usum fuisse, quæ Attejus Philologus in ejus gratiam composuerat. Digressionibus autem sæpius usus est Salustius ; nam neque ea, quæ de Africæ situ et populis, neque quæ tum de Philænis, populique partibus fusius disserit, ad historias pertinent. cfr. Jugurtha c. 18. 41. 42. 79. In historiarum libris etiam sæpius perpetuam historiam interrupisse videtur, quantum ex fabulis conjicere licet, quæ ex illis laudantur.

C. VI. Quæ de urbe condita tradit Salustius, ex Catonis Originibus hausisse a Servio dicitur cfr. ad Aen. I. 6. Tamen Cato in Originibus dicit, cujus auctoritatem Salustius sequitur in bello Catilinario : *primo Italiam tenuisse quosdam, qui appellabantur Aborigines hos postea adventu Aeneae Phrygibus junctos Latinos uno nomine nuncupatos.*

Ipsa Catonis verba nonnullis in locis esse expressa, jam antiqui critici judicarunt.

Sed de hac re in peculiari commentatione fusius agemus. *Habuere* etiam hoc ex Græco expressum, ἔχειν. cfr. Tac. Ann. I, 1. *Vagari incertis sedibus* ita apud Cæs. B. G. 4. 4. «Usipetes multis locis Germaniæ vagati" sed Lib. 3. 5. «in finibus Romanorum vagari." *Aborigenes*. ab origine genus Med. 2. haud dubie grammatici glossa sed nomen proprium non esse satis constat; idem significat, quod indigena, terrigena αὐτόχθων. *agrestis durus incultus* cfr. Cicer. Tusc. Quæst. « quæ barbaria India vastior aut agrestior. *Liberum atque solutum*. cfr. Cic. pro Rab. Post. «solutus ac liber lege"; consilio Salustius per singula expressit, quod hæc enumeratio rerum majorem vim orationi addit *Alius* — *viventes* — ne quis veriorem putet alteram lectionem *alii*; solent enim optimi scriptores pluralem in hac verborum structura usurpare. *Coaluerint* cfr. Liv. 1. 8: «multitudo coalescit in populi unius corpus." Tac. Hist. 2. 37: « Neque exercitus linguis moribusque dissonos in hunc consensum potuisse coalescere." *Coaluerunt* Venet. 2. et Trevirens. 2. quem V. D. Birnbaum contulit: quam quidem lectionem aliquis defendat, collatis verbis in Jug. cap. 4. *adeptus sum*. cfr. Ruhnk. ad Rutil. Lup. II. 6. 98, Beier ad Cic. Offic. I. 7. 23; II. 5. 16. et Gernhardum ad l. l. *Moribus aucta* quia mores vitæ cultioris fundamenta jure dixeris; ubi enim leges paucæ nec satis accuratæ sunt, boni mores plurimum valent, quam in sententiam Virgilius Aen. 1. 268, *moresque viris et moenia ponit* — *satis pollens* Med. 12. *prospera pollens* Ven. 1. quas quidem lectiones non eo laudavi quod eas recipiendas esse censeo, sed ut exemplis doceam, librarios non solum multa addidisse, sed etiam multa omisisse. *Pollens* a potente distinguunt et magis ad insitas vires referunt; sed sæpius junguntur, tantum ut majorem vim orationi addant. cfr. Jug. 1. «animus abunde pollens potensque et clarus est." Quæ quidem junctura in antiquis fœderum formulis sæpius legitur. cfr. Liv. I. 24. *Pleraque mortalium habentur* quod jam sæpius monui, verbum habere Salustius plane ut Græcum ἔχειν construit. *Temptare* scripturam plurimorum Codd. retinui, quia πλατειασμῷ antiqui sermonis maxime consentanea esse videtur; ceterum hæc locutio Salustio usitatissima. *Percussi* quod Cortius defendit ex Italicis Cod. Med. 9. Vat. 1. 4. Barb. 1. 2. confirmant, sed *perculsi* retinendum; nam animum percutere fere est afficere,

vulnerare, v. c. dolore, suspicione etc. cfr. Horat. Od. I. 7. 10: «campus Larissæ opimæ me percussit", Cic. Tusc. 5. 11. «quodcunque nostros animos probabilitate percussit" Acad. Quæst. I. 3. «fortunæ vulnere percussus"; apud Sil. Italic. 5. 587. «præsago percussus pectora luctu", Val. Flacc. 7, 475. «extremo percussa; dolore, amore, calamitate etc. percussus sæpius, sed *metu percussus* vix apud ullum solutæ orationis scriptorem inveneris. Virgilius quidem Georg 4. 357. «percussa nova mentem formidine mater", sed Salustiana oratio a Virgiliana plane abhorret. Falsus est Langius, qui plurimos Codd. lectionem *percussi* confirmare dicit, nam et pauci sunt, et deteriores, *intenti* non idem quod prompti atque parati, sed qui acres vigilantes atque diligentes sunt in re aliqua perpetranda, quare sæpius componitur cum *paratus*, et ad animi curam referendum cfr. Jugurtha 49." «parati intentique essent Romanos invadere." *Festinare* properare, sedulo agere. Ceterum unusquisque intelligit quanta vis sit infinitivorum historicorum, quos dicunt. Eorum tum maxime locum esse, cum incitatior est oratio, satis constat. Etiam hoc loco celeritas Romanorum quodammodo ipsa verborum compositione exprimitur. Sed tum quoque Infinitivi sæpius adhibentur, cum singula orationis membra non accurate distinguuntur, et auctor non exprimere studet quid prius, et quid posterius factum sit. *Parentesque* i. e. subjectos. cfr. Jug. c. 87. et 3. ubi iterum utraque vox composita et c. 102. quia «parentes abunde habemus", apud ceteros scriptores rarius occurrit, Vellej. 2. 108. «principatus constans ex voluntate parentium." cfr. Sil. Italic. 14. 80; in omnibus his locis parentes rectius subditos, quam cognatos interpreteris. Nam cum uno loco Jug. c. 102. *Parentes haud dubie* subjectos significet, altero admodum probabilis sit hæc significatio. Jug. 3. «*regere patriam aut parentes*" vix credideris, aliis locis alium hujus vocis sensum esse cfr. Tac. Annal. I. 50. *Propellere* i. e. propugnare; aliquoties etiam apud Livium et Cæsarem occurrit cfr. Cæs. B. C. 1. 55. B. G. 4. 25: «hostes propellere ac submovere Liv. 41. 18.: « periculum vitæ propellere."

Portabant i. e. ferebant, nam portare proprie quæ jumento feruntur, translate apud pœtas; Terent. Andria 2. 6. 2. et. 2. 2. 1: «boni quid porto: Hec 3. 5. 63: «porto hoc jurgium ad uxorem; aliquam alicui portare fallaciam Donatus explicat: portare proprie est aliquid magnum sive bonum sive malum. cfr. Burmann ad Petron. c. 124. pag. 592. Unde

efficitur antiquos maxime scriptores hoc verbo promiscue usos fuisse, quos Sal. et hoc loco et alias sæpius imitatur. *Magisque dandis* Thuc. II. 40. οὐ γὰρ πάσχοντες εὖ ἀλλὰ δρῶντες κτώμεθα τοὺς φίλους. *Beneficia*, alias dicuntur officia, quæ quis in alicujus gratiam perficit. Quare honores potissimum a populo delati beneficia appellabantur; apud Salustium frequens hæc dictio.

Imperium legitimum, *nomen imperii regium habebant.* Hoc ne quis ἓν διὰ δυοῖν esse existimet, regum amicis, qui rem ita se habere putant, assentiens. Romani enim, quam illi imperii formam legitimam dici volunt, dominationem seu tyrannidem habuerunt. Sed Salustius legitimum regnum dicit, quod regibus non infinita aut libera fuit potestas, et non minus habebat in eos juris multitudo, quam ipsi in multitudinem — *habebant* i. e. iis erat. — *nomen regium.* Ven. I. et paulo inf. *ingenium validum* idem liber et Barb. 4. quam brevitatem nemo credo lectioni omnium fere Codd. consensu comprobatæ præferet. *Consultare.* magis usitatum consulere, sed Salustius sæpissime verbis frequentativis utitur. *Patres appellabantur.* consentiunt in nominis origine explicanda Liv. I. 8: Cic. de Rep. II. 8. « in regium consilium delegerat principes, qui appellati sunt propter caritatem patres" cfr. Dionys. Halic. II. pag. 83. Ed. Sylb. πατέρας ἐκάλει εἴτε διὰ τὸ πρεσβεύειν ἡλικίᾳ τῶν ἄλλων etc. Aliter statuit Festus s. v. *Patres*; sed de Romuli institutis vide commentat. II. *Conservandae libertatis.* Hæc constructio historicis et inprimis Tacito usitata; cfr. Sal. Jugurtha 88. «quæ postquam gloriosa modo neque belli pátrandi cognovit." cfr. I. hist. fragm. 19. p. 219. « exercitum opprimundæ libertatis habet," et fragm. 15. «omnia retinendæ dominationis honesta existimat" Liv. 5. 3. «concordiam dissolvendæ maxime tribuniciæ potestatis rentur esse." Tac. Annal. 3. 27. «multa populus paravit tuendæ libertatis et firmandæ concordiæ" Id. l. l. I. 4. «bellum supererat abolendæ magis infamiæ" etc.

Sed hæc structura haud dubie ex Græcis fontibus hausta. cfr. Xenoph. Cyr. 1. 3 .9. οἱ οἰνοχόοι ἐς τὴν ἀριστερὰν χεῖρα ἐγχεάμενοι καταῤῥοφοῦσι. τοῦ δὴ, εἰ φάρμακα ἐγχέοιεν, μὴ λυσιτελεῖν αὐτοῖς. cfr. Matth. Gr. Gr. 539. Not. 1. ubi ἕνεκα omissum esse grammatici statuunt. Sed ne a genitivo Latino quidem is loquendi usus plane alienus; bene enim Cortius genitivum hoc loco adjectivi vim habere animadvertit cfr. Jug. 14. « majestatis tamen erat"; et c. 89. «stultitiæ videbatur." Quæ formulæ cum satis usitatæ essent, etiam ad alia

hæc structura translata est. Qui *causa* in his dictionibus omissum esse statuunt, ad unum alterumve exemplum hanc normam conformant e. gr. Ter. Adelph. II. 4. 6. „Ne id assentandi magis, quam quo habeam gratum, facere existimet", et Plaut. Rud. 5. 3. 18. „jusjurandum rei servandæ non perdundæ conditum est." Sed aliorum locorum plane contraria est ratio. cfr. quæ supra laudavimus, et Cic. Verr. 2. 33.; „quæ res evertendæ reipublicæ solent esse", et Liv. 3. 39. „qui vicissitudinem imperitandi (quod unum sit exæquandæ libertatis) sustulerit"; quæ quidem loca simillima sunt usitatissimis formulis: „est hujus loci, temporis, fidei et tutelæ alicujus." cfr. Ruddim. Gr. Lat. Ed. Stallbaum P. II. p. 115. et 245. qui multa quidem hujus structuræ exempla laudavit, sed in iis explicandis parum acutum se præbet, neque accuratius in hac re Ramshorn versatur. cfr. Gramm. Lat. §. 108. Not. 2.

Se convertit. Pronomen, quod tanquam suspectum notaveram, ejiciendum esse nullus dubito. *Conv. se* Med. 9. *Sese conv.* Barb. 4. et in Ven. 2. man. sec. adjecit; cujus libri auctoritatem confirmant alia loca, ubi Salustius hoc verbo pro neutro utitur. cfr. infra 52. mansuetudo in miseriam vertit. et Jug. 85. mihi benefacere jam in naturam vertit. Jug. 101. convertit ad pedites Tac. Ann. 4. 38. judicium posterorum in odium vertit. simile exemplum Aul. Gell. N. A. XVIII. 12. ex Catonis Origg. laudat: „res eorum auxit, etiam mutant pro mutantur, atque hunc usum loquendi apud antiquos satis frequentem esse docet. cfr. Voss. Anal. III. 4. et Periz. ad Sanct. Min. III. 3. cfr. Rudd. Ed. Stallb. I. p. 275. qui aliena miscet. *Superbiam dominationemque.* qui omnes verborum juncturas figurarum nomine explicant, hanc quoque Endiadyn dicturos esse existimo; sed singularum vocum naturam scrutari ut acutius, ita verius est. *Imperatores.* priscam hujus vocis significationem hoc loco expressit Salustius. Terentio enim Varrone auctore L. L. IV. c. 16. „Imperator ab imperio populi dictus." *Imperium* quoque, non quod proprie ita dicitur, sed magistratus, potestas publica, ut sæpius. *Binos imp.* Flor. I. *Insolescere* i. e. superbire; cfr. Cato Orat. pro Rhodiensibus. „*Ad superbiam* ferociamque et immodicum modum insolescerent." cfr. Aul. Gell. N. A. 3. 7. et Tac. Hist. 2. 7.

Cap. VII. *Magis extollere.* Magis om. Med. 12. sed unus ex multis Codd.; quare particulam delere dubito. Cum enim Codd. testimonia Cortii conjecturam non confirment, quas affert, rationes infirmæ videntur. Quod enim dicit sub regibus neminem se extollere potuisse, respondeo

ne ingenium quidem eos potuisse in promptu habere; nam hoc vitium regii imperii Sal. esse statuit, quod animi ingeniique facultates incultæ jaceant. Nam *se extollere* non est *potentiorem fieri*, sed quod Cicero dicit, caput extollere et se erigere, i. e. liberius respirare, quod sub regum imperio plane prohibitum fuisse vix credideris. *In promptu habere.* i. e. promere, expromere. cfr. Cic. Catil. 2. 10: « industria cœnis expromitur." Alio sensu apud Cic. Offic. 1. 20. *In promptu habere*, i. e. rem ita compertum habere, ut ejus rationem explicare possis.

Regibus — aliena est. cfr. Herodot. 3. 80. „φθονέει γὰρ (scil. ὁ τύραννος) τοῖσι ἀρίστοισι περιεοῦσί τε καὶ ζώουσι, χαίρει δὲ τοῖσι κακίστοισι τῶν ἀστῶν. cfr. Arist. Pol. V. p. 185. Ed. Gœttling. «ἔστι δὲ τά τε πάλαι λεχθέντα πρὸς σωτηρίαν ὡς οἷόν τε τῆς τυραννίδος, τὸ τοὺς ὑπερέχοντας κολούειν, καὶ τοὺς φρονηματίας ἀναιρεῖν. Adde Xenoph. Hieron. cap. V. γιγνώσκουσι μὲν γὰρ οὐδὲν ἧττον τῶν ἰδιωτῶν τοὺς κοσμίους τε καὶ σοφοὺς καὶ δικαίους. τούτους δε ἀντὶ τοῦ ἄγασθαι φοβοῦνται. τοὺς μὲν ἀνδρείους, μή τι τολμήσωσι τῆς ἐλευθερίας ἕνεκεν. τοὺς δὲ σοφοὺς, μή τι μηχανήσωνται. τοὺς δὲ δικαίους μὴ ἐπεθυμήσῃ τὸ πλῆθος ὑπ᾽ αὐτῶν προστατεῖσθαι. cfr. Senec. de Benef. Lib. II. 6. « J. Græcinum C. Cæsar occidit ob hoc unum, quod melior vir erat, quam esse quenquam tyranno expediret." cfr. Auct. Ep. I. ad Cæs. de Ord. Rep. c. 1. « plerique rerum potentes perverse consulunt, et eo se potentiores putant, quo illi, quibus imperitant, nequiores fuere." Tac. Agric. 41. « Causa periculi infensus virtutibus princeps et gloria viri" et l. l. « sinistra erga eminentes interpretatio, nec minus periculum ex magna fama quam ex mala."

Adepta libertate. Participium passiva significatione ut sæpius; multa exempla congessit Aulus Gellius N. A. XV. 13. Quia part. perf. passivi sæpius vis est passiva, quatuor verborum generibus quintum adjunxerunt Grammatici, quod *commune* appellatum est. cfr. Charis. p. 139. Ed. Putsch. *Commune verbum intelligitur, quod r litera terminatur et eandem nunquam amittit, et in duas cadit potestates, agentis et patientis, ut consolor criminor.* Quorum quidem vestigiis ingrediendum erat recentioribus Grammaticis, neque loquendi usus tanquam insolitus notandus, qui optimo cuique scriptori est usitatissimus. Accuratius in hanc rem inquisiverunt Ruddimann. P. I. pag. 285 et 275 et Struve.

Creverat. quod aliquis rectius putavit, unius Cod. auctoritate firmatum, credo quod constructionem Græcam a Salustio expressam statuit,

hoc certe loco improbandum; sequens enim plusquamperfectum repugnat. *Simulac belli patiens.* Varietati lectionis, ex plurimis Codd. notatæ, has Codd. Italicorum discrepantias adde: Vat. 2. *Laboris belli simulac patiens erat, in castris per laborem usu militiam discebant.* Barb. 1. *simul juventus ac belli* etc. *per laborem et usu.* Barb. 3. *simul belli* (ac m. sc. addidit) Barb. 4. *belli potens.* Med. 11. *simulac laboris ac belli* Ven. 1. *laboris belli simulac patiens discebant usu militiam.* Ven. 2. *simulac laboris belli.* Ven 4. *simulac laboris . . . patiens per laborem et usu.* Ven. 1. Flor. 17.

Ac primum quidem *laboris* glossam esse ab iis adscriptam, qui *belli patientem esse* nimis insolitum dicendi genus putarent, nemo non intelligit; id quod confirmat Diomedes, qui pag. 430. Ed. Putsch. hunc locum laudat, atque *laboris* omisit; ex eodem loco intelligitur, *simulac* a Salustio scriptum fuisse; nam de ejus particulæ positu illo loco Diomedes disputat. Sed altero membro verba *per laborem* a glossatore addita dixeris, quod a sequentibus parum differunt, et in uno certe libro omissa sunt; neque quisquam eis omissis aliquid desideraverit. Sed obstat tot Codd. auctoritas et ipsa lectionis varietas, *per laboris usum* et *per laborem et usum*, unde recte colligas, antiquam esse hanc lectionem. quam librarii vario modo emendare statuerunt. Nam ne illi quidem libri, qui priore membro *laboris* habent, posteriore *laborem* omittunt.

In castris per laborem, usu abundanter dictum videri non negaverim; nihilo minus tamen conjicere licet, cur auctor plura composuerit. Haud dubie enim suæ ætatis mores his verbis perstringit, qui a prisca severitate alienissimi erant. Tum temporis enim in urbe, *actis majorum et Graecorum praeceptis.* (cfr. Jug. c. 85.) militiam discebant. Quæ si reputaveris, hoc in loco auctorem consilio a solita brevitate recessisse statues, neque in eo offendes, quod nulla copula interposita singula orationis membra juncta sunt. Asyndeta enim sermonis emphasin augent. *Lubidinem habere; lub.* non in malum partem intelligendum, sed *animus, appetitus, laetitia, delectatio.* Cic. Tusc. Quæst 4. 6. « Ex bonis libidinem et lætitiam, ut sit lætitia præsentium bonorum, libido futurorum. Sed etiam ad præsentia refertur lubido. Plin. 3. 2. quippe non citharæ tragicique cantus libido illi major fuit. Gell. 19. 4. libido urinæ lacessit. Cato R. R. 156. Ubi libido venit nauseæ. Auctor Ep. II. ad Cæs. de Rep. Ord. si tibi bona libido fuerit patriæ, parentibus gratificandi. cfr. Non. Marcellin. VI. 29. *habere lubidinem* i. e. iis libidini, lætitiæ,

gaudio, voluptati fuit. *Domare*, i. e. ἰσσάομαι, omnia virtute victa sunt. *Sic se*— sic hostis quisque Vat. 1. Vat. 2. sic quisque se}Vat. 5. *se* om. Barb. 3. 4. Ven. 2. Med. 5. 9. Sed retinendum pronomen; similis est enim constructio, ut supra, sese studere et Cic. in Cat. I. 2. „cupio me esse clementem." *Sic* ut apud Virgilium Aen. 12. 280. „hinc densi rursus inundant Troes Agyllinique et pictis Arcades armis; sic omnis amor unus habet, decernere ferro." *Gloria maximum certamen inter ipsos erat*: i. e. cives cum civibus de virtute certabant. cap. 9. *inter ipsos* — πρὸς ἀλλήλους. *ferire* i. e. cæsim seu punctim percutere, vox propria: nota Cæsaris vox: Flor. 4. 2. *feri miles faciem.* — *facinus facere* hæ juncturæ non solum Græcis scriptoribus, sed etiam apud Latinos satis usitatæ sunt. cfr. Auctor ad Herenn. 4. cap. 55. cfr. Ruddiman. Gram. Lat. II. 157. Ed. Stallbaum. *Ea divitias, bonam famam.* Ven. 1. 4. *Ea divitias et ea bonam famam.* Flor. 6. prior lectio haud contemnenda; quamvis enim altera ratio et frequentior et elegantior est, tamen potuit Salustius, Græcos scriptores imitatus, pronomen neutrum præferre, neque hanc verborum compositionem *ea divitias, bonam famam magnamque* etc. citra elegantiam esse facile intelligas. *Liberalis* — vix alio loco genitivum additum inveneris; infra cap. 37. *Liberalis ex sociorum fortunis.* Seneca de clem. I. 20. *de alieno liberalis.* cfr. Pers. I. 14. *pulmo animae praelargus.* Just. VI. 7. *pecuniae parcus.* Vide Ruddim. Gramm. Lat. II. pag. 110. Ed. Stallb. apud Salustium apta membrorum compositio hujus structuræ duritiam minuit. *Longius ab incepto*, pronomen *nos* quod Langius contra Codd. auctoritatem a Cortio ejectum esse statuit, abest in Basileensi primo. *urbis* Vat. 5. quod probo.

Cap. VIII. *Ex lubidine quam* Barb. 3. *magis* omisso. *Celebrat, obscurat*, ita Med. 6. *que* omissum est, de sensu cfr. Ennium ap. Macrob. Saturn. VI. 1. Med. *Multi alii adventant, paupertas quorum obscurat nomina.* Plin. Paneg. c. 55. *Aras etiam templaque demolitur et obscurat oblivio.* — *minores tamen.* conjunctionem delent. Ven. 1. et 2. Flor. 22. *quantum ea verbis*, cum pronomen *ea* et in Med. 1. et in Flor. 1. desit atque in aliis locum mutet, Cortio assentior, qui id spurium habuit. *negotiosus* i. e. in republica administranda occupatus. Apud ceteros scriptores hac significatione non occurrit; Plaut. Merc. 1. 2. 79. *negotiosi eramus nostris negotiis.* — *benefacta* cfr. supra c. II. IX. — *jus bo-*

num Med. 2. *non legibus magis.* cfr. Tac. Ann. 3. 26; Germ. 19. *in suppliciis* i. e. sacris faciendis; cfr. Fest. *supplicia veteres quaedam sacrificia a supplicando vocabant.* cfr. Varro de R. R. II. 5. *Victimas ad deorum servant supplicia.* De aliis hujus vocis significationibus vide Catil. 52 Jug. 46. 55. Ceterum in hujus quoque vocis usu Sal. priscos scriptores imitatus est. cfr. Non. Marcell. IV. 433. Isidor. Origg. V. 17. *Supplicia dicebantur supplicamenta*, de re cfr. Cic. pro Flacco c. 12. Aul. Gell. N. A. II. 24. *in amicis*, hanc lectionem confirmant Bon. Vatic. 1. 3. 4. Flor. 22. Med. 5. 11. 12. Ven. 4. m. pr. pari modo cap. 11. *in civibus* c. 62. *in furibus*, Jug. 53. *in pluribus*, cfr. Cat. cap. 51. Jug. c. 52. genus dicendi etiam aliorum scriptorum auctoritate firmatum. Cic. in Verr. L. 1. *et si fortes fueritis in eo, quem nemo sit ausus defendere.* Offic. I. 14. *qui aliis nocent* ut in aliis liberales sint. Plaut. Mil. Glor. 3. 1. 17. *facile est imperium in bonis.* Ovid. Trist. 5. 2. 36: „*saepe suo victor lenis in hoste fuit*", quæ loca Cortius laudavit ad Catil. 52. — *seque remque publicam curabant.* Zeugma haud absimile vide infra Jugurth. 55. *seque atque exercitum more majorum gereret.* cfr. etiam Massurium Sabinum apud Aulum Gellium IV. 20. *Ego me curo, equum Statius nihili servos — documenta haec habeo* i. e. documento, testimonio mihi sunt. *bello excesserant* Flor. 1. 17. sed ceteri libri constanter meliorem lectionem retinent. *vindicatum est.* verbum substantivum om. Ven. 4. *beneficiis quam metu*, cum meliores libri *magis* omiserint, (vide Varietat. lection. Tom. I. p. 12.) nescio quid Langium impulerit ut a Codd. auctoritate recederet, cum non solum Tacitus hunc usum loquendi tueatur Annal. 5. 5. *vos obtestor ne memoriam nostri per maerorem quam laeti retinentis.* cfr. Annal. 1. 2. 52. 57. 58. 68. Germ. 6. sed etiam Plautus ita locutus sit. cfr. Plaut. Rudens 4. 4. 72. *tacita bona 'st mulier semper, quam loquens.* Plaut. Menæchm. 5. 1. 27. *quin vidua vivam quam tuos mores perferam.* Sequuntur scriptores morem Græcorum. cfr. Voss. de Constructione cap. LXI. Valcken. ad Herod. 3. 40. Herm. ad Viger. pag. 884. Schæfer ad Lamb. Bos. Ell. p. 770. Jacobs ad Anthol. T. 1. 1. p. 117. T. 2. 1. 69.

Cap. X. *Ignoscere quam persequi.* utrumque absolute dictum, quod simplicius et magis ex more priscorum auctorum. *patebant.* bene comparatur Thuc. II. 41. ἀλλὰ πᾶσαν μὲν θάλασσαν καὶ γῆν, ἐσβατὸν τῇ ἡμετέρᾳ τόλμῃ καταναγκάσαντες γενέσθαι et quem locum Cortius contulit Plaut.

Bacch. Prolog. Suppos. vs. 56. « Nam maria terras montes atque insulas vestræ legiones reddidere pervias"; sed *patebant* non est *in potestate erant* ut Cortius interpretatus est; patere dicitur terra, quæ armis alicujus resistere non potest, etiamsi non sit subjecta. Cortius male laudavit cap. 36. ubi *parerent* melior lectio est. Neque cap. 58. *patebant* eum, quem ipse statuit, sensum habet. *saevire* i. e. *furere*, *turbare*. Fortunæ tribuit Salustius malorum causam, quorum originem rectius a perversis hominum moribus repetas. cfr. c. 8. et auct. Ep. de Rep. Ord. II. c. 1. similiter Tacit. Ann. IV. 1. *cum repente turbare fortuna coepit*. cfr. Ann. 4. 20. et 6. 22. *Dubias atque asperas res* i. e. ancipites, arduæ, discrimina pericula τὰ ἄπορα καὶ ἀσαφῆ — *oneri miseriaeque fuere*; i. e. gravia atque molesta seu ærumnæ atque perniciei fuere. similis Terentii locus Phorm. 1. 2. 44. *paupertas mihi onus visum est et miserum et grave.* — *materies* i. e. causa, origo. cfr. Tac. Ann. 1. 32. *ea vetustissima militaribus odiis materies et saeviendi principium.* Apposite laudatur Aristot. Polit. II. 7. καίτοι τῶν γ' ἀδικημάτων τὰ πλεῖστα συμβαίνει σχεδὸν διὰ φιλοτιμίαν καὶ διὰ φιλοχρηματίαν τοῖς ἀνθρώποις. *Bonas artis* Med. 2. 3. 5. 6. 7. 9. 11. 12. Ven. 2. 3. Vat. 1. 2. 4. 5. Barb. 1. 2. 3. 4. 5. *subvortit* i. e. corrumpit, pessum dat. cfr. Lib. I. Hist. fr. 19. p. 220. imperium subvortere Jugurtha 20. decretum consulis. Justin. 22. 5. patriæ mores. Tac. Ann. IV. 71. florentes privignos. *edocuit* ἀορίστως. Græcum enim aoristum sæpius adhiberi ad usum quendam seu consuetudinem declarandam, satis constat. Sed Latini etiam perfecti eandem vim esse, e pluribus Salustii Tacitique locis colligitur. cfr. infra c. 57. *neque cuiquam mortalium injuriae suae parvae videntur, multi eas gravius aequo habuere* Jug. c. 17. *Nam morbus haud saepe quemquam superat, nisi qui ferro et bestiis interiere.* cfr. Tacit. Agric. 9. *haud semper errat fama, aliquando et elegit.* cfr. Birnbaum Specim. II. Lection. Salust. p. V. Ramshorn Gramm. Lat. §. 164. 6. b. et cap. sequente *concupivit.* — *Aliud clausum* etc. apte contulerunt interpretes Homeric. Iliad. IX. 313. ὅσχ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσὶν ἄλλο, δὲ εἴπῃ. Euripid. Androm. vs. 452. οὐ λέγοντες ἄλλα μὲν γλώσσῃ, φρονοῦντες δ' ἄλλα. Ennius ap. Aul. Gell. N. A. 19. 8. Amicitiam atque inimicitiam in fronte promptam gero. Plaut. 5. Pseud. 1. 5. 33. iram in promptu gerere. *Vindicari* i. e. puniri cfr. Non. Marcell. 4. 487, *vindicare est malefactum defendere*

et Diomed. I. pag. 361. Putsch. *Hoc verbum non pro defendo veteres dicebant, sed pro animadverto et punio ut Salustius.* tum laudat Catil. 9. et Jug. 31. sub fin. *contagio* Charis. pag. 34. *contagium veteres magis usurparunt;* sed Sal. *contagionem maluit dicere. Propius virtuti* omnes fere Mss. Italici. sed ceterorum librorum lectionem confirmat Priscian XVIII. p. 1173. II. p. 188. Ed. Krehl. et Corn. Fronto. Ex. Elocut. s. v. cfr. Jug. c. 18. *propius mare Africum proxime Carthaginem — bonus, ignavus* ita Vat. 5. probo. *hic quia* Flor. 1. sed *huic* elegantius. simile Herodoteum. Lib. IX. 109. Τῇ δὲ κακῶς γὰρ ἔδει πανοικίῃ γενέσθαι πρὸς ταῦτα εἶπε Ξέρξῃ. cfr. Schulz. ad hunc locum et Wopkens. Lect. Tullianæ. p. 217. *contendit* i. e. laborare, elaborare, curare; etiam apud Ciceronem cont. labore, animo, voce, omni ope etc. sensus loci igitur est, dolis, malis uti ad rem aliquam assequendam. *pecuniae studium habet* i. e. in se continet, ut bene Cortius. pari modo Cato apud Gell. XI. 2. avaritiam omnia vitia habere putabant. *venenum*, vocabulum μέσον cfr. Aul. Gell. XII. 9. *venenum . . . non uti nunc dicuntur, pro malum tantum dicta esse, multum exemplorum hujusmodi reperias.* quare *malis* non ut supra c. 4. mala ambitio interpretandum, sed hoc epitheton antiquorum verborum amatori necessarium visum est. *concupivit.* ἀορίστως ut supra *edocuit.* ceterum *concupiscere* est magnopere, intemperanter cupere. *corpus animumque virilem.* insolentia hujus dictionis jam antiquos grammaticos exercuit. cfr. Aulius Gellius N. A. III. 1. ubi aliquis hæc ita interpretatus est : *quos avaritia minuit et corrumpit, quique se quaerendae undique pecuniae dediderunt, eos plerosque tali genere vitae occupatos videmus, ut sicuti alia in iis omnia prae pecunia, ita labor quoque virilis exercendique corporis studium relictui sit. — insatiabilis est.* verbum omiserunt. Vat. 5. et Flor. 1. qui etiam *insatiata* habet. cum uterque liber ex melioribus sit, et numerus omisso verbo incitatior fiat, horum et Cortii codicum Senat. 2. Bas. 3. auctoritatem haud invitus sequor. nam, ut jam supra monui, maxime quando aliud verbum sequitur Salustius *esse* omisit, apposite C. laudat c. 39. *plebis opes imminutae, paucorum potentia crevit.* Jug. cap. 50. *ubi Numidas quietos, neque colle digredi animadvertit.* De re cfr. Cic. Tusc. IV. 11. Ep. ad Cæs. de Rep. Ord. II. 7. *recepta* dicit auctor consilio. non *capta*, quod Sulla rempublicam, Marii Cinnæque tyrannide labefactatam et pæne eversam, in libertatem vindicasse putabatur. *bonis initiis.* Locorum, quæ multa Cortius laudavit, ut doceret, *bonis*

initiis tertio casu esse positum, nullus quadrat, nisi quod infra cap. 40. locutio nostræ similis esse videtur: *quem exitum tantis malis sperarent.* Sed ejus quoque alia est ratio. Cum verbo *sperare* enim multo aptius quam cum *habere* dativus jungitur. *bonis initiis* haud dubie casus sextus est, qui sæpius ab antiquioribus et serioribus scriptoribus ponitur, ubi Cicero præpositionem, adjectivum seu participium addit. Quare recte laudatur a Muellero Cic. Brut. c. 34. *bonis initiis orsus tribunatum, tristes exitus habuit consulatus.* De hoc usu ablativi cfr. Ruddim. Institutt. Gramm. Lat. P. II. p. 268. Perizon. animadv. in Sanctii Min. p. 689. sententiam explicat Ascon. in Or. I. pro C. Cornelio. p. 128. Ed. Lugd. Hack. 1644. *Sulla ab initiis bonarum actionum ad perditas progressus* Ceterum ad hunc locum pertinere videntur verba Johannis Antiocheni, quæ supra p. 4. laudavi: τὸν Σύλλαν καλοῖς ἐγχειρήμασι κάκιστον ἐπεννοχέναι τὸ τέλος. *Trahere* i. e. rapere cum vi; verbum huic rei aptissimum, Salustio et Tacito usitatum. cfr. Jugurtha XLI. *sibi quisque ducere, trahere, rapere.* sed non solum ad res sed etiam ad personas refertur. cfr. Fragm. Lib. IV. 12. Ep. Mithridat. ad Reg. Arsac. *non humana ulla neque divina obstant, quin socios, amicos, procul, juxta sitos, trahant, excidant.* Ep. de Rep. Ord. II. 3. *quos commodum est, trahunt, rapiunt.* paulo diversa est ratio loci, qui infra cap. XX. legitur. *pecuniam trahunt, vexant* quem vide. cfr. Tacit. Annal. 3. 74. — *modum — modest.* hæc Sal. componere amat. cfr. infra cap. 38. *neque modestia neque modus contentionis erat.* Jugurth. 41. *sine modo, modestiaque.* Plaut. Bacchid. 4. 3. 2. *sine modo et modestia sum. modestia* hoc loco non est, quæ vulgo ita dicitur, sed moderatio. cfr. Cic. Tusc. 3. 8. *Eam virtutem Graeci σωφροσύνην vocant, quam soleo equidem tum temperantiam, tum moderationem appellare, nonnunquam etiam modestiam.* Auct. ad Herenn. 3. 2. *modestia est in animo continens moderatio cupiditatum.* Cicer. de Jnv. 2. 54. *modestia est, per quam pudor honestus claram et stabilem comparat auctoritatem* — *modus* i. e. finis terminus. cfr. Cic. in Verr. 4. 48. *modum aliquem et finem orationi et criminibus facere.* ceterum *modum habere* etiam Cic. dixit. cfr. II. de Fin. et Quinctil. X. 7. *postremo habebant modum et finem* — *in civibus.* quod Cortius unius Regii Codicis a Wassio laudati auctoritate permotus, in textum recepit, nullus præterea librorum Mss. confirmare vide-

tur; (nam quem laudat Langius librum Rostochiensem, de eo Dahlius nihil monuit); sed lectio doctior est, quam quæ ab librario excogitari posse videatur. Accedunt alia Salustii loca, huic simillima; cfr. supra cap. 9. infra cap. 52. *sint misericordes in furibus aerari.* Cic. in Verr. I. 1. *et si fortes fueritis in eo* etc. Plaut. Mil. Glor. III. 1. 17. *facile est imperium in bonis.* Liv. 30. 26. *se nihil nec institutis populi Romani, nec moribus suis indignum in iis facturum.* Cæs. B. G. II. 32. *se id, quod in Nerviis fecisset, facturum.* Justin. 1. 6. nepotem in illo magis quam victorem egit. 8. 6. scelestus in utroque. Quinctil. Declam. 19. 6. novum uxoris in marito crimen. cfr. Petrum Burmann. ad Quinctil. Declam. XV. 6. et Gronov. ad Justin. XXXVIII. 17. *in Asia.* Med. 1. Vatic. 2. 5. Barb. 1. 5. sed fluctuant Codd. inter utramque lectionem. Jam hoc quidem satis constat, accusativum et ablativum in antiquo sermone sæpius fuisse mutatos, sed *in Asiam* idem significare quod *intra Asiam* vix crediderim. Verisimilius est, *in Asiam* librariorum inventum esse, qui *ductare* pro *ducere* positum esse statuerent. Quare lectionem *in Asia* præfero.

Ductare i. e. *praeesse, ducem esse*: apud Plautum et Salustium sæpius occurrit. cfr. infra cap. 17. 19. Jug. cap. 70. primaria significatione Jug. cap. 38. cfr. Tacit. Hist. II. 100. et apud Plautum innumeris locis sed plerumque sensu obscœno. De hac locutione ita Quinctil. Inst. Rhetor. 8. 3. « vel hoc vitium sit quod κακόφατον vocatur; sive mala consuetudine in obscœnum intellectum sermo detortus est, ut *ductare exercitus* et *patrare bellum* apud Salustium dicta sancte et antique, videntur a nobis, si diis placet, quam culpam non scribentium quidem judico sed legentium." *Quo sibi fidum faceret* i. e. ut eorum amorem sibi conciliaret. dictio antiqui sermonis simplicitati maxime conveniens. *voluptaria* cfr. Plaut. Pœn. 3. 2. 25. *liberum ut commonstremus tibi locum et voluptarium, ubi ames, potes, pergraecere.* Etiam Justinus captas civitates Asiæ *possessiones voluptarias* dicit. De re cfr. Curt. 5. 1. Liv. 38. 17. Flor. 2. 11. *molliverant* i. e. effeminaverant, *mollierant* Vat. 5. *ibi primum insuevit.* consentiunt Liv. 25. 40. Plin. X. N. 33. 11; 34. 7. Flor. 3. 12; Justin. 36. sub fin. *amare* i. e. libidinibus et stupris deditum esse. cfr. Jugurth. 85. apud Terentium sæpissime. cfr. Andria. 1. 2. 20. omnes qui amant, graviter sibi dari uxorem ferunt. *potare* i. e. esse potorem. ita Terent. Adelph. 1. 2. 37; «obsonat, potat, olet unguenta de meo. *mirari.* Liv. 25. 40:" inde primum initium mirandi

Græcarum artium opera i. e. delectari, studio eorum capi, ea concupiscere. *delubra* de hujus vocis origine et primaria significatione variant. veterum Grammaticorum sententiæ cfr. Serv. ad Aen. 2. 225. et 4. 56 *nihil reliqui victis fecere.* iterum cap. 28. pro eo Cicer. in Verr. 2. 35. «quos belli calamitas reliquos fecerat. et Plaut. Bacch. 5. 1. 12. *reliquum id auri factum.* neque hoc diffitendum, structuram illam plane esse abnormem. Genitivus enim in tali dictione locum habere non potest. Quare per similitudinem verborum factum esse putaveris, ut alienissimæ structuræ confunderentur. nam *nihil pensi habere*, quod Cortius contulit, alio modo esse explicandum, supra docuimus. *fatigare* i. e. obruere, vincere. cfr. Horat. Od. 2. 11. 11. *quid aeternis minorem consiliis fatigas animum?* et Od. 4. 14. 18. devota morti pectora liberæ quantis fatigaret ruinis. Val. Flacc. 7. 384. *tua me grandaeva fatigant consilia et monitis cedo minor.* cfr. Jug. cap. 66. et Ep. de Rep. Ord. II. 13. *vivos interdum fortuna, saepe invidia fatigat.* Ceterum sensum quod attinet, *fatigare* et *exercere* simillima sunt. — *ne* pro *nedum* etiam apud Livium et Ciceronem occurrit. cfr. Liv. 3. 52. Cic. Ep. Fam. 9. fin. pro *sapientium* complures Codd. Italici habent *sapientum;* quæ quidem terminatio regulam a Seiferto et Creuzero de hujusmodi verbis confirmare videtur. cfr. Schneider de formis L. L. p. 246. sq.

Cap. XII. *Sequebatur* vide supra cap. 3. *hebescere* pari modo Cicero in Cat. I. *patimur hebescere* (i. e. languescere) *aciem horum auctoritatis.* et sæpius alias. *probro haberi.* Seneca Ep. XC. *jam rusticitatis et miseriae est, velle quantum satis est.* sed *probro haberi* non est *ludibrio haberi.* quod aliquis putavit, *sed flagitiosum putari.* cfr. Plaut. Amph. 2. 130. *nemo in probro ducet Alcumenae* et Cic. pro Rosc. Amerino c. 17. *Vita rustica, quam tu probro et crimini putas esse oportere. innocentia* hoc loco maxime *avaritiae* esse oppositam Cortius censuit. Sane hanc in sententiam Cic. pro lege Manilia. c. 13. dicit: *ac primum quanta innocentia debent esse imperatores.* et infra Jug. 48. *Metelli innocentia* eodem sensu laudatur. hoc tamen loco *innocentiam* rectius vitæ integritatem et probitatem interpreteris. nam de singulis vitiis postea auctor disserit. sed hoc loco in universum de corruptis moribus agit et hoc docet, vita innocentes a flagitiosis pro inimicis habitos esse. quippe diversitas studiorum cum alias odium parit, tum vir-

tutem maxime invidia sequitur. *ex divitiis.* Præpositio *ex* sæpius habet vim causalem cfr. cap. 14. *ut cujusque studium ex aetate flagrabat.* c. 35. *ex nulla conscientia.* c. 57. *ex difficultate rerum. rapere, consumere.* Infinitivi, ut et alias sæpius, loco substantivorum ponuntur. sed hoc insolitum, quod Infinitivi et substantiva componuntur. *atque moderati* habent præter Codd. a Cortio laudatos, Med. 6. 9. 12. Vatic. 1. Barb. 4. quam sructuram simpliciorem dixeris, sed longe) plurimi et meliores libri integritatem alterius lectionis satis defendunt. *facere templa* i. e. exstruere. similiter Liv. 1. 4. 5. *fanum facere.* cfr. etiam Varr. ap. Non. Marcell. VIII. 87. *sua gloria.* Flor. 22. Barb. 2. sed duorum librorum auctoritas me non permovet, ut hanc lectionem veram existimem; *aliena* enim gloria domos decorare non sólent. *suas* igitur voci *deorum* est oppositum. *adimere.* infinitivus historicus hoc loco vim, quam alias habet, amittit. quare erunt, qui nonnullorum Codd. lectionem *ademere* præferant; sed obstat meliorum librorum auctoritas, nec desunt loca, ubi infinitivus et tempus præsens atque imperfectum componuntur. cfr. Jug. c. 41. Vix tamen locum inveneris, ubi in oppositis infinitivus pari modo sit usurpatus. *victores reliquerant — hostibus* interposuit Langius, paucorum librorum lectionem secutus. Addit præterea, ut glossæ fidem firmaret, nonnullos Codd. *hostibus* omittere, cum in longe plurimis optimisque libris nullum hujus vocis sit vestigium. Sed non solum ex hoc loco, verum etiam ex multis aliis patet, hunc editorem negligenter in codicum testimoniis examinandis esse versatum. Hostes autem eosdem socios dictos fuisse statuit, antequam victi et socii facti fuerint. Sed si nondum victi erant, Romani parum recte victores dicuntur, et invicto populo nihil aut adimere aut relinquere poterant. Hæc glossa igitur, quam nonnulli editores necessariam habuerunt, sensu omnino caret.

Cap. XIII. Codd. fluctuant inter lectiones *constrata* et *constructa.* Hanc Cortius recepit, eamque firmare videntur, quæ infra cap. XX. leguntur: *in exstruendo mari.* Accedit quod luxuria ista, cui dediti Romani, piscinas maritimas ingentibus sumptibus ædifcarunt, perelegan- ter hac voce notatur. nam loculatæ erant piscinæ, ubi dispares disclusos haberent pisces, et hanc ob rem sæpius *aedificatae* piscinæ dicuntur. cfr. Varro. R. R. 3. 17. De eadem re Seneca de Ira I. 16. *maria conclusa* dicit. Tibull. Eleg. II. 6. 27. *clausa.* cfr. etiam Senec. Ep. 89. ubi *maria introrsus agi* dicuntur, et Vellej. II. 33. *mare suffossis monti-*

bus in terras receptum. Varro R. R. III. 17. *Contra ad Neapolim, L. Lucullus posteaquam perfodisset montem, ac maritima flumina misisset in piscinas, quae reciprocae fluerent* etc. Quæ omnia testimonio sunt, mare satis concinne dici *constructum. Constratum* hanc ob causam idem dixeris, quod sæpius suffossis montibus aqua marina per canales *obtectos* in piscinas ducebatur; quamobrem Pompejus Lucullum Xerxen togatum dicere solebat. Eodemque pertinere putaveris *subvorsos montes*, quod alii coæquare explicuerunt. *maria classibus consternit* Liv. dixit 35. 49. et Hirt. B. G. 8. 14. *pontibus palude constrata — constratum classibus mare.* Juv. Satir. 10. 175. sed *maria constrata* omisso ablativo Latine vix dicitur. *contracta* quod in paucissimis libris est, apud Horatium legitur. Od. 3. 1. 33. *contracta pisces aequora sentiunt, jactis in altum molibus.* Id quod ab hoc loco est alienissimum. nam de molibus illis hoc loco non agitur. Præstantissima lectio haud dubie *constructa.* Ut enim rem foedam atque prodigiosam luculentissime describeret, insolitam verborum structuram elegit, sed singula membra ita composuit, ut alterum altero illustraretur. *subvorsis montibus* aptissime opponuntur *maria constructa.* Langius pro more suo *maria constructa et constrata esse* veram lectionem habet, et hoc modo omnes criticorum de h. l. lites componi posse iudicat. *abuti* scil. iis; hanc ellipsin apud Sal. esse frequentissimam, est in confesso; quare exemplis illustrare rem notissimam non opus est. *per turpitudinem properabant.* Substantivum adverbio opposuit, quod structuræ genus Tacito usitatissimum, qui sæpissime in oppositis orationem variare solet. nota præterea vim verbi *properare*, quod ad luxuriosorum hominum levitatem atque nequitiam designandam aptissimum est. *ganeae* teste Nonio 2. 387. sunt loca vinolentiæ ac libidini apta. sed sæpius ipsam voluptuosam vitam et heluationem designat. cfr. Tacit. Hist. 2. 95. *prodigis epulis et sumptu ganeaque satiare inexplebiles Vitelli libidines — cultus* hoc loco in malam partem intelligendus, quippe qui in cute curanda versatur. cfr. Liv. 29. 21. *incesserat.* cfr. supra cap. 10. contagio *invasit* et Jugurth. 13. tanta commutatio incessit. *in propatulo* i. e. palam, in aperto; *in prop. habere* i. e. palam facere, vulgare, cfr. Gell. N. A. 18. 10. in promptu et propatulo esse. et supra cap. 7. *in promptu habere — omnia exquirere.* videtur deesse subjectum; sed eadem est verborum structura, quam supra vidimus. cap. 12. *luxuria atque avaritia invasere, rapere* etc. accusativum cum inf. sequitur sim-

plex infinitivus, ut sæpius. de re cfr. Senec. Ep. 89. et Aul. Gell. N. A. 7. 16. *frigus.* cum in antecedentibus exposuerit, quæ luxuriosi contra consuetudinem naturæ facere soleant, hoc potius ad mollitiam spectat. intelliguntur enim porticus, quibus opulentiorum domus cinctæ fuerunt, ut in umbra spatiarentur. cfr. Martial. Epigr. 11. 4. 8. *Pompeja lentus spatiare sub umbra* i. e. porticu. possis etiam intelligere *cryptas* et *hypogea* de quibus Vitruv. 6. 8. et 11. quas idem hypogæas ambulationes appellat. de his Ambros. Ep. 12. *Luxuriosorum est, hypogaea quaerere, captantium frigus aestivum, eo quod resoluti deliciis aestus aliter ferre ac tolerare nequeant, et ideo quaerunt umbrosa penetralia : vel quod desidiosi ignara sub terris agant otia.* alii frigus ad flabella retulerunt, quibus servi ventum facere iubebantur. *lassitudinem.* spectare hoc videtur ad varia corporis exercitia, quæ ad irritandam famem et somnum conciliandum inventa sunt. cfr. Sidon. Ep. I. 9. *Excusso torpore meridiano paulisper equitabamus, quo facilius pectora marcida cibis, coenatoriae fami exacueremus.* De Balneis Artemidorus: „Balneum, inquit, nihil aliud suo aevo fuisse quam transitum ad cœnam." Sed de luxu multi sunt auctores antiqui, Seneca inprimis, qui passim ætatis suæ vitia exagitat. cfr. Ep. 55. 95. 122. Consol. ad Helv. 9. de Providentia 1. *familiares opes* i. e. res familiares, patrimonium. *malis artibus* vide supra. *libidines* — non cupiditates, sed voluptates corporis intelliguntur, quibus juvenes dediti erant. *profuse* i. e. effuse. cfr. Gell. 1. 5. *prolixe profuseque laudare.* Liv. 10. 26. consul obstitit profuse tendentibus suis in castra.

Cap. XIV. *Omnium flagitiorum atque facinorum.* Hanc lectionem ex Italicis Codd. solus Flor. 1. confirmat et scholiastes addit: plus est quam flagitiosorum. neque dubium est, illam lectionem esse præferendam, sed notanda locutionis insolentia; quæ Curtii magis quam Salustii orationi consentanea esse videtur. *stipatores* proprie corporis regum custodes dicebantur. cfr. Varro de L. L. VI. 3. Latrones dicti a latere, qui circum latera erant regi, quos postea a stipatione stipatores appellarunt. *impudicus* παθικός qui muliebria patitur. *ventre manu pene bona* etc. Flor. 1. *laceraverat* i. e. distrahere, absumere. cfr. Plaut. Merc. Prolog. 48. Cato apud Serv. ad Virg. Eclog. 6. 76. *Cum Annibal terram Italiam laceraret atque vexaret.* sed etiam apud Cic. Offic. 1. 17. *omni scelere patriam lacerare.* ceterum *manu* h. l. est pecunia talorum jac-

tu amissa: quæ verbi significatio rarius quidem occurrit, sed confirmatur Suetonii loco. Octav. c. 71. *quas manus remisi.* hinc factum, ut in multis Codd. *alea* explicationis causa adderetur. In *pene* nota simplicitatem prisci sermonis, de qua cfr. Cic. Ep. ad Div. 9. 22. *redimere* i. e. pœnas sceleris largitionibus averterat. cfr. infra Jug. c. 29. *sed Jugurtha primum tantum belli moram redimebat.* Cic. pro Milone cap. 32. *pecunia se palam a judicibus redemerat. parricida* cfr. Fest. s. voce «parricida non utique is, qui parentem occidisset, dicebatur, sed qualemcunque hominem. Id autem fuisse indicat lex Numæ Pompilii regis, his composita verbis: «si quis hominem liberum dolo sciens morti duit, parricida esto.» *manu* observa eandem vocem brevi spatio intermisso, diversissimo sensu figurate positam; id quod Cortium perpulisse videtur, ut superiore loco, *ano* pro *manu* legendum esse censeret. Sed omnia bene se habent. *conscius animus* i. e. conscientia sceleris. similiter Plaut. Mostell. 3. 1. 13. *nihil est miserius, quam animus hominis conscius.* quam significationem inde ortam puta, quod in scelerum memoria maxime vis conscientiæ cernitur. Salustium sæpius ita orationem variare, ut substantivis verba et adjectiva intermisceat, jam supra vidimus. *a culpa vacuus.* addita præpositio vim orationis auget, quam ob rem sæpius nominibus urbium additur. cfr. Jugurth. c. 31. ab init.: «*animus ab ignavia atque socordia corruptus.*» *incidere*: ut alias in insidias incidere dicitur, ita hoc loco. *in amicitiam* auctor dixit, ut illam perniciosam juvenibus fuisse verbo significaret. *efficiebatur* i. e. factus est. Auctor hac voce malas artes innuere videtur, quibus Catilina iuvenum animos cepit. sed sæpius *efficere* ita construitur, ut a verbo simplici *facere* parum differre videatur. *et aetate.* conjunctionem omisit. Med. 9. *molles* i. e. mobilis, facilis, flexibilis. Ovid. Amor. 2. 3. 5. *mollis in obsequium facilisque vagantibus esses.* — fluxus i. e. inconstans, varius; Sueton. Tib. cap. 52. Drusus animi fluxioris remissiorisque vitæ erat. Jug. c. 104. res humanæ *fluxae et mobiles* dicuntur. *Uti* quod a Cortio absque Codd. auctoritate in textum receptum putaveram, confirmat Med. 1. aliique libri; quare propter euphoniam præfero. *flagrabat.* Verba quæ vim ignis illustrant, ad omnes animi perturbationes referuntur, sed ita fere ut animi cupiditas sexto casu istis verbis jungatur. sed etiam ipsa libido *flagrare, ardere, accendi* etc. dicitur. cfr. Cic. pro Coelio 5. «*flagrabant vitia libidinis apud illum.*» — *modestia* cfr. supra c. 11. nisi

quod hoc loco auctor *pudorem* potius et *honestatem* innuere videtur. quo quidem sensu Pacuv. ap. Cic. de Div. 1. 31. *virginalis modestia* dixit. junguntur etiam apud Statium Silv. 2. 1. 39 modestia, pudor, probitas. sed observa additum pronomen *suae* etiam infra cap. 52. appositum: *si ipsi pudicitiae suae, si famae suae pepercit.* Id quod notandum, quod Cortius, horum locorum immemor, sæpius pron. possessivum deleri jussit. *fidosque faceret — sibi* ex Cortianis libris. Guelf. 9. ex nostris. Barb. 3. omisit. et numerum verborum pron. sublato elegantiorem dixeris, sed defenditur non solum optimorum librorum auctoritate, sed etiam similibus locutionibus. vide supra c. 11. et infra c. 20. De re consentit Cicero. cfr. Orat. pro Cœlio. c. 6. *nonullos.* hæc ad Ciceronem spectare dixeris, collatis Orat. in Catil. I. 6. 13. II. 4. 8. *honeste pudicitiam habuisse.* vide supra c. 11. *modestiam habere.* sed sensum quod attinet, facile intelligas, Salustium non negare dissolutis moribus illos juvenes fuisse, quippe qui ipse impudicos et adulteros inter eos fuisse dixerit, sed de mutuis stupris quæ exercuisse putabantur, aliter statuit. *cuiquam id compertum.* pron. *id* quod omnes, quos vidi, libri retinent, Cortius delevit, atque hanc audaciam ne excusavit quidem, nedum ejus rationem reddiderit. poterat quidem omitti, sed durior verborum structura fuisset. nam conjunctivus *compertum foret* nonnisi retento pronomine *id* recte explicari potest.

Cap. XV. *Cum sacerdote Vestae.* hæc suspecta habuit Cortius, quia Salustius incerta pro compertis narrare non soleat. sed cfr. Oros. 6. 3. « Eodem anno apud Romam Catilina incesti accusatus, quod cum Fabia virgine Vestali commisisse arguebatur, Catuli gratia fultus evasit. » consentit Ascon. Pedian. Comm. in Cic. Orat. in Toga candid. pag. 151. Edit. Lugdun. Hack. 1644. « Fabia Vestalis causam incesti dixerat, cum ei Catilina objiceretur eratque absoluta hæc Fabia, quia soror erat Terentiæ Ciceronis; ideo sic dixit: *etiamsi culpa nulla subesset.* Ita et suis pepercit et nihilo levius inimico summi opprobrii turpitudinem objecit » et paulo infra Ciceronis verba: *Ex eodem stupro tibi et uxorem et filiam invenisti.* et Ascon in hunc locum *Dicitur Catilina adulterium commisisse cum ea, quae ei postea socrus fuit, et ex stupro duxisse uxorem, cum filia ejus esset.* Sed dubium est, num Salustius hoc crimen intelligat, idque pro certo posuerit, de quo Asconius dubitanter locutus sit. *Adultum aetate* ex Codd. Italicis longe plurimi

Barb. 1. 2. 3. Flor. 1. Med. 6. Vat. 1. 2. 3. 4. 5. aliique. *adulta aetate* habet Cic. Verr. 5. 68. Utrum rectius sit, haud facile statueris. Neutrum enim satis usitatum. *vacuam domum.* iisdem fere verbis Cic. Orat. in Cat. 1. 6. *quid vero? nuper, cum morte superioris uxoris novis nuptiis domum vacuam fecisses, nonne alio incredibili scelere hoc scelus cumulasti? impurus* i. e. flagitiorum conscientia atque libidinibus contaminatus, pollutus: oppos. *integer vitae scelerisque purus.* alibi impudici potissimum impuri dicuntur. *infestus.* auctore Gellio 9. 12. appellatur is, qui malum infert cuipiam et contra, cui aliunde impendet malum. *quietibus.* pluralis numerus multorum nominum a Salustio usitatus, qui apud ceteros scriptores fere nusquam aut rarius occurrit. v. c. *luces, paces, famae.* cfr. Fragm. incert. libror. 50. et Serg. in arte sec. Don. p. 1843 Putsch. sed *quietes* etiam apud Ciceronem de Offic. 1. 29. *ludo et joco uti licet sicut somno et ceteris quietibus.* etiam Lucret. 1. 404. *quietes* ferarum cubilia dixit. *ita* i. e. adeo. cfr. Plaut. Rud. 1. 1. 5. Aul. 3. 1. 5. *totus doleo atque oppido perii, ita me iste habuit senex gymnasium.* cfr. Pseud. 5. 1. 8. *mens excita* dicitur furore seu libidinibus incensa, atque perturbata. cfr. Virg. Aen. 4. 301. *Thyas commotis excita sacris.* Ovid. Met. 2. 779 *hic fruitur somno vigilacibus excita curis — conscientia* ut supra conscius animus cfr. Curt. 3. 8. 9. «*ratus aliquas conscientiae notas in ipso ore posse deprehendere — vastare* i. e. turbababat, de mente deturbabat. insolita sane dictio, sed a propria hujus vocis significatione haud plane aliena. Haud prorsus absimile, quod in Jug. c. 41. legitur *avaritia invadere, polluere et vastare omnia.* et Tibull. Eleg. 4. 1. 153. *atque duae gelido vastantur frigore semper.* cfr. supra cap. 5. *animus vastus* et quem ibi laudavi Ciceronis locum: *quae barbaria India vastior aut agrestior; ubi* Nonius *vastior* idem significare putat, quod *ferocior.* Accedit, quod multa alia verba et locutiones translatæ huic simillimae sunt. e. gr. Lucret. 5. 46. *quantae con scindunt hominem cuppedinis acres sollicitum curae* « et mox: *quantas efficiunt clades.* et Lucan. 4. 535. *nullique tumultus excussere viris mentes ad summa paratas.* «Adde Juvenal. Satir. 13. 139." *quos diri conscia facti, mens habet attonitos et surdo verbere caedit.* quæ loca Cortius congessit. *facie voltuque. facies* auctore Gellio est *forma omnis et modus et factura quaedam corporis totius.* Quadrigarium

faciem pro statura totiusque corporis figura dixisse idem animadvertit. cfr. N. A. 13. 29.

Cap. XVI. *illexerat* i. e. corruperat et sibi conciliaverat. cfr. Vellej. 2. 13. *inescandae illiciendaeque multitudinis causa* et 2. 76. Domitium consiliis suis illectum junxit Antonio. Lucret. 4. 1128. *cavereque, ne illiciaris.* — *signator* qui testamento scribendo atque obsignando adest, Sueton. Tib. 23. „illatum Augusti testamentum non admissis signatoribus, nisi senatorii ordinis, per libertum recitavit." eosdem scil. falsos sign. Cicero *testamentorum subjectores et circumscriptores appellat* — *commodare* i. e. usui præbere cfr. Plaut. Persa. 2. 3. 2. *commodare alicui opes, spes, bonas copias.* ét sæpius alibi. nihil insolitum, nisi quod dativus omissus est. *vilia habere.* verbum desideratur; alii *edocebant* supplent, alii infinitivum ad *imperabat* referunt, quod probo. ita enim *impero* haud raro construitur. Terent. Andria 5. 2. 1. *animo otioso esse impero.* Virg. Aen. 7. 168. *ille intra tecta vocari imperabat* — *attriverat.* i. e. attenuare, imminuere, corrumpere. Jug. 79. *alteri alteros aliquantum attriverant.* et Jug. 5. Tac. Hist. 1. 89. et Quintil. prœm. lib. 8. ingenia atteruntur. *circumvenire* cfr. Jug. 103. *in itinere a latronibus circumventi* i. e. oppressi, capti. Liv. 21. 34. *jugulare.* quod Cortius intelligit *imperare*, mihi ab hoc loco alienum esse videtur: Nam primum conjunctivum modum in tali verborum structura usitatiorem dixeris, quamvis Salustius aliquoties in hac re Græcos scriptores sequitur; tum ne opus quidem videtur, ut verbum intelligamus; sæpissime enim alicujus rei auctor eam perficere dicitur. *torpesceret* Med. 6. 9. 11. Ven. 4. Vat. 1. 2. 3. Barb. 3. *torpescere* Jug. 2. *ingenium incultu atque socordia torpescere sinunt.* Sil. Italic. 16. 14. *vigor cogitur senio torpescere rerum.* Tac. hist. 1. 71. desidia et deliciis torpescere i. e. vim atque vigorem amittere. cfr. Fragm. Hist. 1. 9. Orat. Phil. *si tanta torpedo animos oppressit,* — *gratuito* proprie gratis, sine mercede aut præmio. sed hoc loco est sine causa, frustra, ut apud Senec. Ep. 105. *odium ex offensa sic vitabis, neminem lacessendo gratuito.* idem de Cæsare Cicero judicat, de Offic. 2. 24. *hoc ipsum eum delectavit, peccare, etiamsi causa non esset.* Cortius statuit etiam hoc loco *gratuito* sine mercede et præmio significare et comparavit locum in Orat. Phil. Hist. Frag. 1. 19. p. 220. Tom. I. *ubi malos praemia sequuntur haud facile quisquam gratuito bonus est.* cui similli-

mus est locus in Ep. 2. de Rep. Ord. *malitia praemiis exercetur*; *ubi ea demseris, nemo omnium gratuito malus est*. et Liv. 1. 47. *ne gratuita praeterita parricidia essent*. Sed priore loco propter opposita *gratuito* ita explicandum est, et Livii locum in utramque partem interpretari licet. Nostro quidem loco, quæ præcedunt *si causa peccandi* etc, eum, quem dixi, hujus loci sensum esse comprobant. *Sullani milites* i. e. Veterani, quos Cicero Or. in Catil. 2. 9. tantum aeris alieni contraxisse dicit, ut si salvi esse velint, Sulla ab iis inferis sit excitandus. cfr. supra cap. 12. et infra c. 37. *in extremis terris*. cfr. Liv. Epit. Lib. CI. *Cn. Pompejus cum Mithridatem persequeretur, in ultimas ignotas gentes penetravit*. et Flor. 4. 1. *Catilinam . . . . simul occasio, quod in extremis finibus mundi arma Romanorum peregrinabantur, in nefaria consilia compulere*. — *consulatum petenti*. frustra est Cortius in defendenda lectione *petundi*. quamvis non omnibus consulatum petere licuit, tamen spem consulatus petendi vix inter ea referre poterat auctor, quæ Catilinæ erant opportuna. Neque hoc pro argumento posuerit, quod Catilina paulo ante, repetundarum reus, prohibitus erat consulatum petere. Nam eodem anno quo Ciceronis competitor fuit, inter sicarios accusatus est, neque hoc spem consulatus adipiscendi minuit. cfr. Cic. Ep. ad Attic. 1. 2. et Dio. Cass. 37. 10. Cum enim absolutus esset, jam nihil ei impedimento erat, quo minus consulatum peteret. quamobrem in fine orationis cap. 20. *haec ipsa*, inquit, *ut spero vobiscum consul agam*. Neque vanam hanc spem fuisse, facile colligas ex Fragment. Orationis in Toga Cand. et Asconii commentario. cfr. etiam Cic. Ep. ad Att. 1. 2. et infra cap. 23. Pompejum vero etiam L. Cæsare et C. Figulo Coss. bellum gesisse, patet ex Dionis Cassii Hist. Lib. 37. 10. *nihil* pro *non* etiam apud Ciceronem. cfr. Ep. ad Attic. 2. 6. Ep. ad Fam. 4. 6. sed plus est in nihil, quod recte Cortius judicat. cfr. Tacitus Agric. c. 19. «Nam Britanni nihil fracti pugnæ prioris eventu.» ceterum notandum Plutarchum in vita Ciceronis c. 10. multa ex Salustio hausisse.

Cap. XVII, *L. Caesar*. cfr. Cic. Orat. in Catil. 4 6. Pro Muraena 34. Ep. ad Div. 20. 18. frater uxoris Lentuli et avunculus Antonii *C. Figulo*; cui proprie nomen Minucius Thermus, sed a Marcia familia adoptatus fuerat, cfr. Cic. de Legg. 2. 26. Ep. Att. 1. 2.; *adpellare* cfr. Cic. Orat. in Cat. 3. 7, *omnia norat: omnium aditus tenebat*; *appellare, tentare, sollicitare poterat, audebat*. — *temptare* i. e. animum

alicujus explorare, et fere in malam partem dicitur; Salustio usitatissimum. Tacit. Histor. 1. 74. *promissis et minis* adjungit. *inerat* Cortius contra omnium librorum auctoritatem omisit, infra cap. 33. eodem modo positum est. Accedit, quod eo omisso numerus claudicat. *P. Lentulus Sura.* Patricius ex gente clarissima Corneliorum (vide infra cap. 55.) qui octo annis ante simul cum C. Aufidio Oreste consul fuerat; sed ob multa flagitia senatu motus iterum Cicerone consnle prætor factus est. de eo Cato infra cap. 52. *Verum parcite dignitati Lentuli, si ipse pudicitiae, si famae suae, si dis aut hominibus unquam ullis pepercit.* cfr. Plut. Vita Ciceronis. cap. 17. ubi etiam de origine cognominis agitur. cfr. Ep. ad Att. 1. 16. Cic. Or. in Cat. 3. 5. de ejus eloquentia ita Cicero Brut. 66. « Excogitandi et loquendi tarditatem tegebat formæ dignitas, corporis motus plenus et artis et vetustatis, vocis et suavitas et magnitudo. *P. Autronius Paetus.* cfr. Cicer. Brut. 68. ubi orator voce acuta et magna, nec alia re ulla probabilis dicitur. sed multo acerbius de moribus ejus disserit Cicer. Orat. pro Sulla. cap. 5. 18. et 25. « semper audax, petulans, libidinosus; quem in stuprorum defensionibus non solum verbis uti improbissimis solitum esse scimus, verum etiam pugnis et calcibus: quem exturbare homines e possessionibus, cædem facere vicinorum, spoliare fana sociorum, vi conatum et armis disturbare judicia, in bonis rebus omnes contemnere, in malis pugnare contra bonos, non reipublicæ cedere, non fortunæ ipsi succumbere."

L. Cassius Longinus. cfr. Or. pro Sulla 13. ab eo Allobroges sollicitati, ut quam primum equitatum in Italiam mitterent. cfr. Cic. Or. in Cat. 3. 4. etiam procurationem incendendæ urbis sibi depoposcerat l. l. 3. 6. pinguis et bene curata cute fuisse videtur; quare Cicero ejus adipem commemorat. l. l. 3. 7. Ciceronis competitor in consulatu petendo fuerat. cfr. Asc. Pedian. Comm. in Ciceron. Orat. in Toga Cand. p. 143. *C. Cethegus* consobrimus L. Pisonis Caesonini: quo Consule Cicero in exilium ivit. de eo cfr. Plut. Vit. Luculli cap. 6. Maxima ejus auctoritas tempore belli Mithridatici fuit, ita ut Lucullo, inprimis, quod Cethegum sibi conciliaverat, bellum contra Mithridatem gerendum demandaretur, Cic. Parad. 5. 3. « Cethego, homini non probatissimo, servire res coegit eos, qui sibi amplissimi videbantur: mittere munera, noctu venire domum ad eum, precari, denique supplicare." Sed Ernestius hoc ad alium quendam pertinere judicavit. idem Metello Pio, cum in Hispania bellum

gereret, insidias struxit atque vulnus intulit. Cic. pro Sulla cap. 25. vide præterea Orat. in Cat. 3, 3. 5. ejus furiosam temeritatem commemorat idem l. l. c. 7. Sal. infra cap. 43. « Natura ferox, inquit, vehemens manu promptus erat, maximum bonum in celeritate putabat." ad eundem refert Cortius verba Philippi Cons. vide Fragm. Lib. I. Histor. 19. *parate vobis Cethegi atque alia proditorum patrocinia.* — *P. et Servius* Sul*lae.* hæc lectio paucissimorum est Codicum. eam confirmant Med. 9. et Flor. 1. ex Codd. Italicis; fuerunt filii Servii Cornelii Sullæ, fratris Sullæ Dictatoris. cfr. Dio Cass. 36, 27. P. Sulla cum a Lucio Torquato de conjuratione accusatus esset, a Cicerone defensus et absolutus est. In proscriptionibus dictatoris administer fuerat. cfr. Ep. ad Q. Fr. 3. 3. ad Att. 4. 16. de ejus morte. Ep. ad Div. 9. 10. et 15. 17. Servius Sulla etiam infra cap. 47. conjurationis socius fuisse dicitur. de Sulpicio non liquet, sed non omnino culpa vacuum fuisse, jam ex hoc loco patet.

L. Vargunteius, homo audacissimus, qui Ciceronem domi suæ confodiendum susceperat, cfr. infra cap. 28. cfr. Cic. Or. in Cat. 1. 4. de ambitu reus, ab Hortensio defensus fuerat. In superiore conjuratione eum fuisse, innuit Cic. pro Sulla cap. 24. *Q. Annius.* Ejus alibi non mentio fit, nisi quod Quint. Cicer. de Petit. Consulat. 3. ejus Curiique nequitiam significat atque declarat. *M. Porcius Laeca.* ita in antiquissimo Ciceronis Codice Græviano (nam quos Langius plures Codd. nominat nulli sunt) et in denariis scriptum; nonnulli Codd. *Leca* quam scripturam præfero, contra plurimorum Codd. auctoritatem, quod veteris scripturæ rationi magis consentanea esse videtur. Eadem varietas scripturæ est in *Bratea*, *Palatium*, *Atilius*, *Aquilius*, *Messala*. quæ modo unam liquidam, modo geminatam habent. de Leca cfr. Cic. Or. in Cat. 1. 4. L. *Bestia.* e gente Calpurnia ortus et eo anno tribunus plebis. cfr. inf c.. 43. Senatorii ordinis eum Salustius dicit, non eo, quod tribunis plebis curiam intrare et senatum habere licuit, sed quod Sullanis legibus sancitum est, ne quis nisi senatorio loco natus se candidatum tribunatus profiteretur cfr. App. de Bello civili I. 100. *καὶ οὐκ ἔχω σαφῶς εἰπεῖν, εἰ Σύλλας αὐτὴν, καθὰ νῦν ἐστιν, εἰς τὴν βουλὴν ἀπὸ τοῦ δήμου μετήνεγκεν.* scil. *τὴν τῶν δημάρχων ἀρχὴν* cfr. Suet. Vit. Oct. 10. « in locum tribuni plebis forte demortui candatum se ostendit; quamquam patricius, necdum senator." et c. 40. « Comitiis tribuniciis: si deessent candidati senatores, ex equitibus Romanis creavit." Bestiam Ruperti filium consulis fuisse putat,

qui bello Jugurthino exercitus dux, auro corruptus, pacem ignominiosam cum Jugurtha composuit. cfr. Jugurth. cap. 27. 28. 29. *C. Curius.* de eo vide infra cap. 23. quod primus conjuratorum consilia detexerat, publice præmia ei erant constituta, quæ ne darentur, Cæsar effecit. cfr. Sueton. Vit. Jul. cap. 17. *M. Fulvius Nobilior* nescio an idem sit, quem Cicero Ep. ad Attic. 4. 16. condemnatum esse dicit, alium esse, quam qui infra a patre necatus dicitur, ex prænomine perspicitur. *L. Statilius.* vide infra 43. 45. 46. 55. *P. Gabinius Capito.* v. l. l. Cic. Or. Cat. 3. 3. eum omnium scelerum improbissimum machinatorem dicit. *C. Cornelius* vide l. l. et cap. 28. de ceteris conjurationis sociis vide Muret. Comment. ad Cic. Or. Cat. I, 1. *Municipia* cfr. Roth. de re municipali Romanorum libri duo. Stuttgart 1801. et Creuzer Antiqq. Roman. §. 208 et 209. et de coloniis §. 210 et 211. *Erant praeterea.* verbum substantivum omiserunt Vat. 3. et Med. 12. male; nam ab his verbis nova sententia incipit. neque quis putaverit Salustium singula orationis membra ita jungere: *praeterea ex equestri — ad hoc multi — praeterea complures.* Sed talia notanda, ut Cortii error refellatur, qui librarios multa quidem addidisse, sed nihil omisisse statuit. Sed offendit, credo, homines insipientes verbum initio orationis positum. *nobiles.* quod Dahlius suspectum habuit, necessarium; Salustius enim nonnisi principes factionis enumerat; postponitur *nobiles*, quod verbum primo loco positum fuerat; quamobrem etiam altera prædicati pars subjectum antecedere potuit. *Hortabatur* etiam rebus inanimis tribuitur; cfr. Cic. pro Sext. 3. *reipublicae dignitas me haec minora relinquere hortatur* — *necessitudo* Charis. pag. 76. « Salustius necessitudinem sæpius pro necessitate posuit. scilicet antiquos scriptores imitatus est, qui utramque vocem promiscue usurparunt.” cfr. Aul. Gell. 15. 3. « in libris veterum vulgo reperias necessitudinem dici pro eo quod necessum est.” multa enim substantiva in *tudo* et *tas* desinebant; e. gr. *suavitudo* et *suavitas*, *sanctitudo sanctitas*, *acerbitudo*, *acerbitas*, *acritudo*, *acritas.* *necessitudo* pro necessitate etiam Varro et Sisenna. cfr. Non. Marc. 4. 322. et Scaur. de Orthogr. p. 1378. Ed. Gothofr. *vivere copia* i. e. vivendi cfr. Jug. cap. 89. « majora aggredi tempus visum est.” Jug. 3. « nisi libido tenet potentiæ paucorum decus atque libertatem suam *gratificari.* « et l. l. cap. 102. « nobis necessitudinem ... demeres te et illum persequi.” sunt aliquot substantiva, ubi infinitivus sæpius subjective ponitur, ne-

que solum apud poetas, quibus hæc constructio usitatissima, sed apud ipsum Ciceronem. cfr. Ruddim. Institt. Gr. Lat. P. II. pag. 229. n. 9. et p. 245. n. 1. *tempestate* apud Salustium fere ubique pro tempore dictum. cfr. Varro de L. L. 6. 6. « in duodecim tabulis : solis occasu diei suprema tempestas esto, libri augurum pro tempore tempestatem dicunt etc. cfr. Cic. de Orat. 3. 28. « Raro habet etiam in oratione poeticum aliquod verbum dignitatem, neque enim fugerim illud dicere, ut Coelius, qua tempestate Poenus in Italiam venit. *M. Licinium Crassum.* vide infra c. 48. et 49. cfr. Plut. Vit. Cic. c. 15. et Vit. Crassi c. 13. *ductabat* vide supra cap. 12. *valuisset* i. e. vim, vires habere cfr. Cic. de Divin. 1. 16. illa obnuntiatio nihil valuit; aut si valuit, id valuit, ut etc. *facile apud illos.* intellige ex conjuratione conjuratos. cfr. c. seq. « Antea conjuravere pauci contra rem publicam — de qua" scil. conjuratione infra Jug. 14. *familia nostra cum populo Romano amicitiam instituit — quorum progeniem.* Liv. 38. 28. quatuor menses obsidionem Same sustinuit; quum ex paucis quotidie aliqui eorum caderent. ubi vide Gronovium et ad Liv. 9. 41. 21 39. hanc structuram grammatici Synesin appellant, innumera exempla congessit Ruddim. Inst. Gr. P. II. pag. 23. n. 53. et 54. sed perperam huc trahit Cortius locum ex cap. 5. *incitabant praeterea corrupti civitatis mores, quos* etc. ubi relativum ad *civitatis* pertinere statuit. adde Jug. 66. *Vaccenses quo.*

Cap. XVIII. *Item* alibi sæpius nominibus jungendis inservit, verbis non item. hoc loco pro *etiam* positum. cfr. Jug. 100. « ipse armatus intentusque item milites cogebat." *de qua* haud dubie verum. testis est Diomedes II. 440; cujus rei Langius ignarus aut parum eam curans *de quo* scripsit. cfr. Cic. pro Muraena. *deinde vestra responsa atque decreta et evertuntur saepe dicundo, et sine defensione oratoris esse non possunt; in qua (scil. eloquentia) si satis profecissem, parcius de ejus laude dicerem.* cfr. Cic. Ep. ad Div. 2. 4. 8. *quorum altera ratio* et quæ ad hunc locum Cortius congessit exempla. Cic. Ep. Div. 3. 5. 8. *ad eam partem, quo.* 1. 9. *nostrum consilium, qui — L. Tullo. M. Lepido.* i. e. L. Volcatius Tullus et M. Aemilius Lepidus, qui tribus annis ante consules fuerant. *interrogari legibus* est solemnis formula, cum quis de crimine aliquo suspectus, antequam constituatur judicium, a prætore interrogatur, num aliquo crimine teneatur. cfr. Cic. Or. pro Domo. c. 29. *quis me unquam ulla lege interrogavit?* quis postulavit? quis diem dixit?

infra cap. 31. *Catilina lege Plautia interrogatus erat a L. Paulo.* talis quæstio ut institueretur, accusatione non opus fuisse videtur, sed re aliqua vulgi sermonibus exagitata, prætori suspectos in jus vocare licuit. cfr. Liv. 8. 32. ubi similis interrogatio instituitur, sed ea magis ad disciplinam militarem quam ad rem judicialem posteriorum temporum pertinet. *leges ambitus.* Ejusmodi leges multæ latæ, gravesque pœnæ constitutæ fuerunt. Tullia ab ipso Cicerone lata. cfr. Or. in Vatin. 15. pro Sextio 64. et pro Muræna cap. 32. seq. Eodem spectavit lex Maria a C. Mario tribuno plebis lata. cfr. Cic. de Legg. 4. 17. et Plut. Vita Marii 4. Severissime scripta erat Calpurnia, auctore C. Calpurnio Pisone, de qua vide Or. pro Muræna cap. 23. et Dio Cass. 36, 21. 22. 23. *paulo* quod uno l scriptum omnes Codd. habent, recte ita scribitur. cfr Schneid. de Element. L. L. P. II. p. 412. et 391. *post paulo.* puta eodem anno; nam Kal. Januariis Coss. Cottam et Torquatum, qui in P. Sullæ et Autronii locum suffecti fuerunt, trucidare paravit. quibus consulibus causam de pecuniis repetundis dixit. sed jam superiore anno Afri legati, absente illo, questi sunt, multæque graves sententiæ de illo dictæ sunt. cfr. Ascon. Pedian. Comm. in Cic. Orat. in Tog. Cand. p. 149. confirmat Cicero in eadem oratione his verbis; « a quibus consulatum petis? principibus civitatis? qui tibi, cum L. Volcatius Cos. in consilio fuisset, ne petendi quidem potestatem esse voluerunt." *pecuniarum repetundarum.* dictio propria de pecuniis, quas magistratus Romani sociis seu provinciabus eripuerant, qua de re primum L. Piso tribunus plebis Cæsonino et Manilio Coss. legem tulit. cfr. Cic. Brut. 27. Sigon. de judic. 3. 27. De eodem crimine Sulla quæstionem perpetuam instituit. de Catilina accusato et absoluto cfr. Cic. de Harusp. Responsis cap. 21. Torquatus consul eum defenderat. cfr. Cic. Orat. pro Sulla cap. 29. hoc ab ipso Cicerone factum esse, auctor fuit Fenestella. quem quidem errorem Asconius refutavit. Comm. in Orat. Tog. Cand. pag. 145. Ed. Lugdun. Absolutus est Catilina quod Clodius accusator, pecunia ab eo corruptus, prævaricatus est. Sed postea iterum inter sicarios accusatus est. cfr Dio Cass. 37. 10. et Ascon. Comment. in Cic. Orat. in Toga Cand. pag. 151. Edit. Lugdun. «post effecta enim comitia consularia et Catilinæ repulsam fecit eum reum inter sicarios L. Lucullus;" quo quidem tempore Cicero eum defendere cogitavit. Ep. ad Attic. I. 2. sed postea hoc consilium abjecit. *prohibitus erat* scil. senatus consulto et legibus.

[1] *Intra legitimos.* trinundinum intelligit, de quo apud Macrob. Saturn. 1. 16. Rutilius scribit, Romanos instituisse nundinas, ut octo quidem diebus in agris rustici opus facerent, nono autem die intermisso, rure ad mercatum legesque accipiendas Romam venirent, et ut scita atque consulta frequentiore populo referrentur, quæ trinundino die proposita a singulis atque universis facile noscebantur; unde etiam mos tractus, ut leges trinundino die promulgarentur. Ea re etiam candidatis usus fuit, in comitium nundinis venire, et in colle consistere, unde coram possent ab universis videri. cfr. Cic. Ep. ad Div. 16. 12. ubi Cæsarem, candidatum consulatus, professum esse dicit, se trinundinum petiturum. Cic. Phil. 5. 3.: „*Ubi lex Caecilia et Didia? ubi promulgatio trinundinum?*" cfr. Drakenb. ad Liv. 3. 35. et Cic. pro Domo. 16.: „*Si, quod in ceteris legibus trinundinum esse oportet, id in adoptione satis est, trium esse horarum, nihil reprehendo*". Lex Cæcilia Didia etiam ad trinundinum pertinuisse videtur. Sed tota res non satis illustrata est. Nam neque Nic. Gruchius, quem Cortius laudavit, 3. 4. et 1. 4. hanc rem satis accurate excussit, neque qui nuperrime in eandem rem inquisiverunt, Schulzius et Creuzerus diligentius de hac re disputarunt. *profiteri:* oportebat candidatos ante Comitiorum diem sua nomina profiteri apud magistratum illum, qui comitia habiturus erat. cfr. Vellej. 2. 92.: „*nam et quaesturam petentes, quos indignos judicavit, profiteri vetuit*" — *nequiverat* multi Codd. Italici. si *nequiverat* auctor scripsit, Catilina serius ex Africa Romam rediisse putandus est; sed hoc aliter se habere jam supra monuimus; *nequiverit* autem hoc senatorum fuisse judicium demonstrat, quod Asconii testimonio firmatur. qui ita in Com. in Cic. Or. in Toga Cand. p. 149. Edit. Lugdunens. „Paulo ante diximus, Catilinam, cum de provincia Africa decederet, petiturus consulatum, et legati Afri questi de eo in senatu fuissent, graves multas sententias de eo dictas esse. Itaque cum professus deinde esset, petere se consulatum, L. Volcatius Tullus consul, consilium publicum habuit, an rationem Catilinæ habere deberet, si peteret consulatum. Nam quærebatur repetundarum. Catilina ob eam causam destitit a petitione." — *Cn. Piso.* ejusdem rei mentio fit apud Ciceronem pro Muræna cap. 38. pro Sulla 24. et Cic. Or. in Toga Candida pag. 151. „*Praetereo illum nefarium conatum tuum et paene acerbum et luctuosum populo Romano diem,*

cum Cn. Pisone socio, neque alio nemine, caedem optimatium, facere voluisti. cfr. Dio Cass. 36. 27. Sueton. Jul. cap. 9. et Val. Max. 6. 2. 4. et Ascon. Pedian. Comment. in Cic. Orat. pro C. Cornelio. p. 129. *Cneus quoque Piso, adolescens potens et turbulentus, familiaris erat Catilinae omniumque ejus consiliorum particeps et turbarum auctor — in Capitolio Kal. Jan.* quo die consules tum temporis magistratum ineuntes vota publica in Capitolio suscipiebant cfr. Cic. in Catil. 1. 6. (nemo est) *qui nesciat te* (scil. Catilina) *pridie Kal. Jan. Lepido et Tullo Coss. stetisse in comitio cum telo? manum consulum et principum civitatis interficiendorum causa, paravisse? — L. Aurel. Cotta.* cfr. Ascon. Pedian. Comm. in Cic. Orat. pro Cornelio p. 124. et 130. Cicero sæpe ejus facit mentionem. cfr. II. Phil. cap. 6. *L. Cotta vir summo ingenio summaque prudentia, rebus iis gestis, quas tu reprehendis, supplicationem decrevit verbis amplissimis,* scil. Ciceroni ob rempublicam bene gestam. cfr. Or. pro Domo c. 26. *L. Manlius Torquatus* cfr. Or. in Pis. 19. *Ex qua provincia* (Macedonia) *modo vir omni dignitate ornatissimus. L. Torquatus, magnis rebus gestis, me referente ab senatu imperator est appellatus.* cfr. cap. 31. ubi idem Pisonem adiisse narratur, rogatum, ne Ciceronis fortunas desereret. Brut. 68. *Elegans in dicendo, in existimando admodum prudens, toto genere perurbanus dicitur — fascibus correptis.* cfr. Sueton. Jul. cap. 9. « siquidem ante paucos dies, quam aedilitatem iniret, venit in suspicionem, conspirasse cum M. Crasso consulari, item P. Sulla et Autronio, post designationem consulatus ambitus condemnatis, ut principio anni senatum adorirentur, et trucidatis, quos placitum esset, dictaturam Crassus invaderet, ipse ab eo magister equitum diceretur; constitutaque ad arbitrium republica Sullæ et Autronio consulatus restitueretur.» Cæsarem et Crassum acerrimos et potentissimos Ciceronis refragatores, ipsiusque conjurationis a Catilina et Pisone factæ, Crassum auctorem fuisse, Asconius dicit pag. 144. Comm. in Or. Toga Cand. *obtinendas* i. e. occupandas. cfr. Cæs. B. G. 1. 3. *quod ipse civitatis suae imperium obtenturus esset.* Cic. Ep. ad Div. 8. 9. *relinquendus tibi erit, qui provinciam obtineat.* Liv. 24. 21. *cum ceteri ex conjuratis ad exercitum obtinendum remansissent.*

Duas Hispanias i. e. citeriorem et ulteriorem seu Tarroconensem et Bæticam. cfr. Strabo 3. p. 371. Ed. Tauchn. Pomp. Mela. 2. 6. 3. *sed* pro *sed etiam.* cfr. c. 39. *neque solum cives, sed cujusque modi genus hom*

num. Cic. Ep. Div. 1. 6: „*ut omnibus negotiis non interfuit solum sed praefuit.*" Corn. Nep. 54.: „Cimonem Athenienses non solum in bello sed in pace diu desideraverunt" cfr. Liv. 3. 17; 3. 38; 8. 4. *quod ni*: pron. relativum multis conjunctionibus præponitur, ut sententiæ arctius inter sese jungantur, inprimis cum *si* sæpissime coalescit. cfr. Horat. Tursell. p. 1099. Ed. Schwarz. cfr. Jugurtha 13. *quod utinam* Flor. 4. 2. *quod etsi nondum fugerat* — *quod ne.* Colum. V. 11: *quod ubi* Cic. de Orat. 2. 49. *quod ut* Plin. H. Nat. 18. 23. Pleonasmus, quem in hoc loquendi genere Cortius invenisse sibi visus est, nullus est. *maturasset dare* i. e. maturius dedisset: constructio apud Sal. frequens et Græcæ structuræ haud absimilis, ubi adverbii loco verbum finitum ponitur, et prædicatum infinitivo exprimitur. v. c. οἱ θεοὶ χαίρουσι τιμώμενοι, διατετέλεκα φεύγων κ. τ. λ. cfr. Cat. 36. *Catilinam persequi maturet.* cfr. Jug. 34. *ne festinaret abire.* Jugurth. cap. 79. maturavere iter pergere. Cæs. B. G. 1. 7. *maturat ab urbe proficisci.* Aliam diremti consilii causam affert Sueton. Vit. Jul. 9." Tanasius adjicit Crassum pœnitentia vel metu diem cædi destinatum non obiisse, et idcirco ne Cæsarem quidem signum, quod ab eo dari convenerat, dedisse. Convenisse autem Curio ait, ut togam de humero dejiceret." *tam pessimum* Min. 2. Med. 3. Vat. 4. m. sec. *tum* Vat. 1. 2. 5. Med. 5. 9. 12. omittit. Vat. 3. *Romanam* quod Cortius habet, nullus ex Codd. Italicis. *tum* glossa verborum *eo die* esse videtur, et ejus loco nonnulli librarii *tam* per incuriam scripserunt.

Patratum. hanc dictionem inepte esse impugnatam multis exemplis docuit C. cfr. infra cap. 56. *incepta patrare.* Jugurth. 21. *patratum bellum.* Justin. 2. 6. *patrata bella.* apud Liv. bellum, facinus, jusjurandum, pacem cfr. 44. 25; 2, 26.; 40, 52; 1. 24. *quia nondum.* — *sed* vel tale quid esse omissum bene animadvertit C; quod quidem et a Salustio, et a Thucydide sæpius factum, ut, conjunctionibus adversativis omissis, quæ sibi oppositæ sint sententiæ, evidentius intelligatur. cfr. infra cap. 58. *licuit nobis in exsilio aetatem agere; quia illa foeda atque intoleranda viris videbantur, haec sequi decrevistis.* et cap. 59. *non agitur de vectigalibus, non de sociorum injuriis. libertas et anima nostra in dubio est.* cfr. c. 17. fin. *quia Cic.* etc. præterea cfr. Cic. Ep. ad Div. 12. 14; nam quæ laudat C. exempla ad Cic. Epist. ad Div. 9. 26. non sunt hujus loci. Similia sunt, quæ Ramshorn laudavit. Gr. L. §. 181. B. n. a. Liv. 1. 25. „Infestis animis terni juvenes concurrunt: nec his nec illis, periculum „*suum*, *publicum* imperium servitiumque observatur animo." cfr. Tac.

3. 19; Liv. 28. 39. cfr. Gronov. ad Senec. Benef. 6. 15. Ep. 24. Liv. 28. 39; 26. 19; 39. 8. hæc particulæ omissio pertinet ad abruptum dicendi genus, quod Salustio proprium esse antiquiores critici notarunt. ceterum notanda insolentia orationis: *quia nondum — ea res.* pro: sed consilium irritum factum, quod etc. hinc colligas non ubique Salustium brevitatis fuisse studiosum. sed inest certa quædam elegantia; ita enim multo significantius dictum, quæ res potissimum fuerit impedimento. *dirimere* vox propria in haruspicina cfr. Cic. de Divin. 1. 29. *quid habet haruspex, cur pulmo incisus, etiam in bonis extis, dirimat tempus et proferat diem.* cfr. Plin. H. N. 8. 57. *soricum occentu dirimi auspicia.* sed etiam ad alia pertinet Cic. de Legg. 2. 12. *quid gravius quam rem susceptam dirimi, si unus augur alio die dixerit* cfr. Liv. 8. 23; 1. 26. ceterum Salustium rebus inanimis vim agentis tribuere jam supra est monitum. —

Cap. XIX. *pro Quaestore.* sæpius fiebat, ut inferioribus magistratibus potestas superiorum demandaretur; e. gr. prætores proconsulari potestate in provincias mittebantur. Cæsar Salustium prætorem pro Consule cum imperio in Numidia reliquit. cfr. hist. de bello Afric. cap. 96. Cic. I. de Legg. cap. 20. *Gellium familiarem tuum, cum proconsule ex praetura in Graeciam venisset* Etiam Pompejus, cum privatus esset, pro consule in provinciam missus est. cfr. Cic. pro Lege Manil. cap. 21. et Ep. ad Div. 5. 1. 2. ubi Q. Metellus Celer, qui Galliæ Cisalpinæ Proprætor erat, in titulo epistolæ proconsul dicitur. De honore extra ordinem Pisoni demandato vide Ascon. Comm. Cic. Or. Tog. Cand. p. 152. vide præterea inscriptionem apud Ursinum. *Cn. Calpurnius. Cn. F. Piso Quaestor. Propr. ex S. C. Provinciam Hispaniam citeriorem obtinuit.* — *adnitente.* i. e. auctore atque adjutore. rarius absolute dictum. vulgo enim *adniti ad,* seu de re aliqua dicitur vel sequitur verbum cum conjunctione *ne, ut* etc. similiter ut nostro loco Liv. 21. 8. *Poeno cepisse se jam urbem. si paululum adnitatur, credente — infestum inimicum.* cum Guelf. 11. *inimicum* omiserit et sequens dativus adjectivo facilius quam substantivo jungatur, aliquis putet, hanc vocem esse delendam, seu certe nonnullorum librorum (inc. 2. Rem. 1· Guelf. 1. 9.) lectionem *infestum inimicumque* probaverit. sed omnia bene se habent. nam primum infestum et inimicum sæpius junguntur cfr. Cic. pro Quint. 2. *cum ... ei omnia inimica atque in-*

festa fuerint. id. Phil. 10. 10. *Gallia, quam sibi armis animisque infestam inimicamque cognovit*. cfr. Verr. 3. 5. et 7. cap. 55. atque satis apta hæc junctura. nam *qui instat*, Nigidius inquit, *alicui eumque properans urget, opprimereque eum studet festinatque, infestus* dicitur. cfr. Gell. 9. 12. inimicus igitur infestus cupiditate inimici evertendi flagrat, jam *inimicum esse* cum dativo junctum, ut hostis. cfr. Cic. de Fin. 5. 10. *sibi inimicum atque hostem*. Terent. Hec. 5. 2. 23. *nupta meretrici hostis est* — *quam plures*. longe plurimi libri. *complures* ex Italicis Codd. solus Flor. 6. utrum verius sit, haud facile dijudicaveris, cum *complures* sæpius *quomplures* scribatur et facile *quam plures* inde oriri potuerit. Ac mihi quidem nondum persuasum est, *quam* ut superlativo et positivo ita comparativo posse præponi, ut ejus vim augeat. Quæ enim laudantur scriptorum loca: Plaut. Stich. 1. 3. 45. Petron. Satyr. 21. et ipsa dubiæ fidei sunt. Ex eo enim, quod *quam* sæpius *multum, valde* significat, cfr. Cic. Ep. 11. Div. 11. 13: „*Nam suos valde quampaucos habet*" et Verr. 5. 88. *fecerunt alii alia quam multa*, etiam cum comparativo conjungi posse vix efficias. Sed in tot Codd. consensu nihil mutare ausus sum. *in provinciam*. confirmant plures Codd. Italici. *in provincia*. Med. 2. 6. Vat. 1. 4. 5. Flor. 5. 9. sed superiorem lectionem esse præferendam facile putaveris. neque tamen in provinciam cum verbis *iter faciens* jungendum. Piso enim non, cum in provinciam proficisceretur, sed in ipsa provincia cæsus est. cfr. Dio Cass. 36. cap. 27. ἐπεὶ δ᾽ οὖν καὶ ὡς ὁ πίσων ἐθρασύνετο ἐφοβήθη τε ἡ γερουσία, μή τι συνταράξῃ καὶ εὐθὺς αὐτὸν ἐς Ἰβηρίαν, πρόφασιν, ὡς καὶ ἐπ᾽ ἀρχήν τινα, ἔπεμψε. Καὶ ὁ μὲν ἐνταῦθα ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων ἀδικήσας τι αὐτοὺς, ἐσφάγη. cfr. Ascon. Comm. Or. Cic. Tog. Cand. pag. 152. *Piso ... in Hispania perierat, .. ibique, dum injurias provincialibus facit, occisus erat, ut quidam credebant a Cn. Pompeji clientibus, Pompejo non invito*. Sed accusativum pro ablativo sæpius fuisse usurpatum jam A. Gellius docuit N. A. 1. 7. qui ipsius Ciceronis laudavit exemplum pro Lege Manil. 12. *in praedonum fuisse potestatem sciatis*. cfr. Jug. c. 112. *si talem virum in potestatem habuisset*. locorum quæ C. congessit, certiora transscribam, cum hæc res a Grammaticis nondum satis illustrata sit. cfr. Liv. 2. 14. *in potestatem esse*. ubi vide Gronov. et Drak. id. 22. 25. *Minucium magistrum equitum prope in custodiam habitum*. Cæs. B. Civ. 1. 25. *in potestatem haberet*. Auct. de bello Hisp. 26. Val. Max. 1. 6. 7. *in po-*

testatem futuros. et interpretes ad hunc locum. Plaut. Casina 2. 3. 26. *ubi in lustra jacuisti?* Epid. 2. 2. 7. ego illum *audivi in amorem haerere*, Terent. Eunuch. 2. 2. 29. *in tantum honorem esse.* Tac. Hist. 1. 87. *saevitia Galbae in custodiam habitos.* Curt. 3. 5. 10. *Darium in Ciliciam fore nunciabatur.* id 7. 3. 17. *nunc in medium, nunc in ultimo agmine ... aderat* et quos laudat Freinsheim. in indice s. v. *in.* Claud. Quadrigarius apud Gell. 17. 2. *nos in medium relinquemus.* et iterum 6. 14. 9. Just. 3. 1. 1. *bello in Graeciam infeliciter gesto.* et 2. 12. 6. *satis multos hostes in Graeciam manere dictitans.* Ramshorn Gr. Lat §. 206. 5. hanc verborum structuram inter archaismos refert. cfr. Voss. de constructione c. 65. Vechner. Hellenol. 1. 16. Popma de usu antiquæ locut. 2. 7. Schottus Nod. Cic. I. 5. Scaliger ad Manil. 1. 245. Burm. ad Quint. 6. 2. pag. 523. Broukhous. ad Propert. 2. 7. 50. Cellar. ad Curt. 3. 5. 10. huic constructioni contraria est, ubi ablativus pro accusativo positus est. e. gr. Plaut. Aul. 3. 6. 17. cfr. Ruddim. Institt. L. L. P. II. pag. 326. *qui intromisisti in aedibus quingentos coquos? — Sunt qui ita dicunt.* in his formulis non solum conjunctivum sed more Græcorum sæpius indicativum poni, jam inter omnes satis constat. Inprimis hoc fit, cum præsens præcedit. cfr. Prop. 3. 7. 17. *Est quibus Eleae concurrit palma quadrigae.* Virg. Georg. 2. 22. *sunt alii, quos ipse via sibi repperit usus.* Hor. Od. 1. 1. 2. *sunt, quos curriculo pulverem Olympicum conlegisse juvat.* sed etiam perfecto vel futuro præposito indicativum ponere licet. cfr. Ep. 2. 2. 128. *Fuit haud ignobilis Argis, qui se credebat audisse.* et A. P. 361. *erit quae si propius stes, te capiet magis.* Serm. 1. 6. 4. *avus tibi maternus fuit atque paternus, olim. qui magnis legionibus imperitarunt.* ubi Heindorf. parum acute *imperitarent* legendum esse judicat. Plaut. Trin. 1. 2. 54. *sunt, quos scio esse amicos, sunt, quos suspicor, sunt, quorum ingenia atque animos nequeo noscere* etc. alia exempla laudat Heindorf. ad Horat. Serm. 1. 4. 24. sed in eo falsus est, quod in oratione pedestri indicativum poni posse negat. Ramshorn §. 184. in hac verborum structura explicanda parum diligentem se præbuit. Sed non solum apud poetas sed etiam apud Ciceronem hanc structuram esse satis frequentem et inconsiderate ab Ernestio damnatam, qui Ciceronis orationem ad regulas a se inventas conformavit, docuit Heusinger P. XLIX. et 204; loca ubi Ern. contra Codd. auctoritatem conjunctivum pro indicativo posuit, sunt de Off. 1. 24. 30. de inv. 1. 40.

Ep. ad Att. 13. 17. Ep. ad Div. 1. 9. 3. 7; de Fin. 1. 20. aliter, sed parum recte, de his locis statuit Heindorf. l. l.

Cnei Pompei (ita enim scribit Flor. 1.) *veteres fidosque clientes.* Hexameter est, quod jam Muret. ad Cic. Orat. in Catil. 1. 1. animadvertit. quamvis enim Cicero dicit, versum orationis vitium esse. (Orat. c. 20.) tamen omnibus scriptoribus versus exciderunt, quorum multa exempla collegit Muret. l. l. et Barth. Advers. 11. 16. apud Tacitum inprimis sunt frequentes; cujus oratio non solum poeticum quendam colorem traxit, sed sæpius parum a poesi differt. cfr. German. 39. „coeunt in silvam, *auguriis patrum et prisca formidine sacram.* vide Joh. Bamban. Hamburg. in Fabricii Biblioth. Lat. T. 2. pag. 389; Græcis quoque scriptoribus poetica verborum compositio satis usitata est. cfr. Taylor ad Demosthen. in Neaer. pag. 1008. Reiske. quæ loca Passov. laudavit ad Tacit. Germ. cap. 39. *clientes* Cæs. B. C. I. 75. eosdem *beneficiarios* vocat. *Petrejus cum barbaris equitibus paucis, beneficiariis suis, quos suae custodiae causa, habere consueverat, improviso ad vallum advolat.* B. C. 2. 18. de eadem re. *quod magna esse Pompeji beneficia et magnas clientelas in citeriore provincia sciebat. voluntate ejus* alias dicitur *ex* vel *de voluntate.* cfr. Cic. in Pison. 20. Ep. ad Attic. 4. 2. præpositione omissa habet Plaut. Mil. Glor. 2. 5. 40. „nisi voluntate ibis, rapiam te domum" l. l. 4. 3. 31. et Stich. 1. 2. 2. ubi pro *sponte* dictum est. *in medium relinquemus* Med 12.

Cap. XX. *in* rem quod alibi dicitur *e* seu *ex re* vel *rei esse* et cum genitivo et absolute sæpius occurrit. Cic. pro Quint. 69. *summa est hominis in communem municipii rem diligentia.* Sal. Jug. 31. id *frustra an ob rem faciam in vestra manu situm est.* Terent. Phorm. 2. 2. 40. *non pudet vanitatis.* Dv. *non, dum ob rem.* Ter. Andr. 3. 3. 14. *si in rem est utrique ut fiant* (nuptiæ) *arcessi jube.* Cornel. Fronto. *in rem est pro utile est* ubi hunc Sal. locum laudat. *secedit — habuit* enallagen temporum nota; cfr. cap. 12. *coepere — sequebatur* cap. 10. *Carthago interiit, cuncta patebant.* 58; *ne terrerent eoque magis properet.* Liv. 38. 40. *Thracas praeda ad caedem praebet. Romanos iniquitas locorum prodebat.* sed ubi perfectum et imperfectum mutantur, causam hujus rei facile invenias; sed in præsentis et perfecti permutatione scriptores elegantiam quandam sequuntur. *satis spectata.* Vat. 1. 2. 4. 5. *foret* præter Cortianos. Rem. 1. Vin. 2. Eccard. Bas. 4. Guelf. 3. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. Vat. 1. 2. 3. 4. 5. quæ quidem lectio eo confirmari videtur, quod Sal.

sæpius pluribus nominibus verbum singulare subjungit. cfr. supra c. 12. *gloria, imperium, potentia sequebatur.* 25. *sed ei cariora semper omnia quam decus atque pudicitia fuit.* et eod. loco; *multae facetiae multusque lepos* inerat. cap. 52. *libertas et anima in dubio est.* Jug. 39. *quos licentia atque ignavia corruperat.* Corte ad Cicer. Ep. 3. 30; sed verbum plurale etiam in hujusmodi structuris a Salustio usurpari non est, quod doceamus. cfr. Jug. 38. „nox atque præda castrorum hostes .... remorata" sunt. quare, cum hoc loco meliores libri non consentiant, *forent* retinendum. *nequiquam* Vat. a. quæ scriptura id certe probat, *nequicquam* melius quam *nequidquam* scribi. sed ne *nequiquam* quidem damnandum, quippe quæ scriptura veræ pronuntiationi maxime consentanea sit. *opportuna res cecidisset* i. e. pro opportune. cfr. Cic. de Orat. 2. 4. hoc accidit mihi peropportune. cfr. infra Jugurtha 65: *cuncta prospera eventura.* — *Spes magnae dominationis.* Med. 5. *dominationis* multi ex Codd. Italicis. *per ignav. aut vana ing.* nota brevitatem orationis dictum pro: neque vanorum et ignavorum hominum studia me impulissent, ut etc. quod Cortius *ignava* pro *ignavia* legere voluit, fefellit eum Salustii consuetudo in oppositis et in epithetis orationem variandi ex. gr. pars — alii, pars — pauci. cfr. Jugurth. 1. *imbecilla atque aevi brevis* Jugurth. 63. *Nemo tam clarus neque tam egregiis factis erat.* abstractum autem pro concreto positum, neminem offendet, qui initium cap. 15. in Catilina legerit. *captarem* i. e. studiose quærerem, ut sæpius. *multis magnisque tempestatibus.* tempestas hoc loco non simpliciter pro tempore posita esse videtur; sed auctor etiam res intelligit, quæ illis temporibus acciderant. hanc ob rem *magnas* eas dicit i. e. duras, difficiles; quo sensu Cicero Ep. ad Div. 6. 7. *id magnum et arduum.* De N.D. 2. 66. *magna dii curant, parva negligunt* — *multis et magnis* sed alio sensu ita compositum habet Jugurth. 62. *multis magnisque praesidiis amissis* — *eo* i. e. ideo etiam apud Ciceronem. de Div. 2. 20; *frater es, eo vereor* et sæpius alibi. *ausus est*, verbum substantivum, quod Cortius delevit, hoc loco propter numerum utique necessarium. *incipere* non abundat, ut Grutero visum, sed insolitum est, quod ad animum refertur. Ceterum bene Donatus ad Terent. Eun. 5. 7. animadvertit, *incipere* esse magnorum factorum magnæque audaciæ. *eadem mihi* Vat. 4. ita etiam Naz. et Commel. teste Grutero. Est Græcismus apud poetas passim obvius. cfr.

Horat. A. P. 467. *invitum qui servat, idem facit occidenti* et Lucret. 4. 1167. *nempe eadem facit et scimus facere omnia turpi.* sed trium Codd. auctoritatem ut parvi ducam facit numeri elegantia, quæ mihi quidem perire videtur, pronomine relativo omisso. *idem velle atque nolle.* Med. 5. 11. Vat. 3. dubium est, utra lectio sit præferenda, *idem velle atque idem nolle*, majore cum vi dictum esse videtur, alterius lectionis numerum magis laudaveris. auctoritas Codd. hac in re nihil valet, quia optimi libri dissentiunt; nam Bas. 1. et Vat. a. pronomen retinent, Naz. Commel. et Guelf. 5. illud omittunt. Neque veterum scriptorum loca ubi hanc sententiam aut imitantur aut aliis verbis exprimunt, ad hujus loci lectionem constituendam aliquid faciunt. *quae mente agitavi.* conjunctivum potius exspectaveris, sed Salustius more Græcorum in oratione obliqua sæpius indicativo utitur. cfr. Jug. 63 et 54. hortatur ad cetera, quæ levia sunt, parem animum gerant. *proinde, quae animo agitabat, fretus diis ageret.* et Cat. 27. *docet se Manlium praemisisse ad eam multitudinem, quam ad capiunda arma paraverat.* adde Jug. c. 81.—*magis magisque.* Vat. a. *condicio* idem liber. quæ scribendi ratio emendatior. *nosmet ipsi* idem liber. quam lectionem a Cortio receptam improbaveram, quod Codd. auctoritate parum munita esse videbatur. quod jam quidem aliter se habet. *vendicemus* multi libri Italici. sed meliores libri indicativum tuentur. *potentium* Cortius suspectum habuit, quod aliis locis *paucorum* absolute est positum. cfr. infra cap. 30. *paucorum potentia crevit.* Jug. 31. *cum regna, provinciae, leges penes paucos erant.* et 41. *paucorum arbitrio belli domique respublica agitabatur.* sed hoc loco omnes Codd. *potentium* constanter retinent, neque quod uno loco Salustius omisit, ubique hoc delendum est. *jus* i. e. potestas. cfr. Jug. 3. *quibus per fraudem jus fuit.* Plin. H. N. 27. *nullum deus habet in praeterita jus, praeterquam oblivionis* jus imperiumque Liv. 39. 40. — *dicionem.* Vat. a. melior scribendi ratio. *concessit* verbum compositum pro simplici. cfr. Tac. Annal. 1. 1. *Lepidi atque Antonii arma in Augustum cessere — concedere in dicionem* etiam apud Livium legitur. Liv. 29, 31. *in matrimonium.* Justin. 24. 2. *tetrarchae* proprie dicuntur gentium parum numerosarum reges. inprimis hoc nomen ad Galogræciæ et Judææ regulos pertinet. sed hoc loco additum, ut magnificentior oratio sit; sæpius enim nesclo quæ dignitas ex-

ternis nominibus inesse putatur. in eandem sententiam Horat. Serm. 1. 3. 12. *Omnia magna loquens modo reges atque tetrarchus.* Lucan. 7. 226. *sicci sed plurima campi Tetrarchaeregesque tenent magnique tyranni — populi nationes:* de propria *nationis* significatione cfr. Tacit. German. 38. scil. pars gentis est. *populum* Cic. de rep. *non omnem coetum multitudinis sed coetum juris consensu et utilitatis communione sociatum dicit.* cfr. Augustin. de Civ. Dei. 19. 21. et Cic. de Rep. Edit. Schuetz. pag. 100. sed hæc definitio a Scipione seu Cicerone excogitata esse videtur; vocis certe originem non explicat. *boni atque strenui, nobiles et ignobiles* Vat. a. *atque. ignobiles* om. Med. 12. haud ineruditi librarii emendatio, quippe qui hoc dubitari non posse statuit, ignobiles inter vulgus fuisse relatos, ideoque omisit. sed hæc verba ab auctore addita sunt, ut plenius atque copiosius diceret omnesque sine discrimine eandem fortunam perpessos doceret. *volgus fuimus.* quid hoc significet sequentia explicant, pari modo Justin. 41. 1; *veluti volgus sine nomine praeda victorum fuere — his obnox. iis.* Vat. a. falso. Sal. enim sæpius pronomine *hic, haec, hoc* pro *is, ea, id* utitur, quo legentium animos magis ad id, quod dicturus est, advertat. *obnoxii — formidini,* nota formas mutatas in oppositis. *apud* vide Fest. „*apud* et *penes* in hoc differunt, quod alterum personam cum loco significat: alterum personam et dominium ac potestatem." sed hoc discrimen hoc loco non servatum. cfr. Justin. 9. 8. *apud eum nulla ratio vincendi turpis*, et 21. 6. *apud eum cupiditas non terminatur ullo modo. — illi* om. Med. 12. quod nescio an verius sit. *pericula repulsas.* quem mutaveram verborum ordinem, plurimi ex Codd. Italicis retinent. etiam Vat. a. sed quamvis vulgatæ lectionis numerum elegantiorem dicas, tamen ordo, quem meliores libri exhibent, verbis quæ antecedunt, magis respondere videtur. *o fortissimi viri.* Vat. a. 1. 2. 4. *victoria in manu est.* Barb. 3. Vatic. 6. brevissima quidem sed non optima lectio; personæ enim commemoratio propter sequentia necessaria. sed nescio an verborum positus, qui apud Priscianum est, *victoria nobis in manu* præferendus sit. *illis — omnia consenuerunt i. e.* deficere, languescere, vigorem amittere. cfr. Flor. 3. 3. *donec invicta illa rabies et impetus consenesceret.* Cic. de Orat. 1. 38. *veteres leges aut ipsas sua vetustate consenuisse*; etiam dativus verbo junctus a vulgari sermone alienus est, sed apud Historicos satis frequens. *expediet* i. e.

perficere, effectum dare, absolvere. cfr. Cic. Ep. Div. 13. 26. *explicare et expedire negotia.* — *ingenium est.* Barb. 2. 3. 4. 5. Med. 5. Vat. a. Flor. 9. *ing. sit.* Min. 2. quæ diversitas facit, ut credam verbum substantivum ab auctore fuisse omissum et a librariis vario modo suppletum.

Superare i. e. superesse, abundare, superfluere. cfr. Jug. 64. *exstruendo* vide supra cap. 13. *continuare* i. e. sine intermissione aliquid facere; sed hoc loco primaria significatione, binas aut amplius domos contiguas habere. quod Cicero conjungere dicit pro domo 44. *habitare laxe et magnifice voluit, duasque et magnas et nobiles domos conjungere.* cfr. Liv. 34. 4. *ingens cupido agros continuandi*, et 9. 34. *nec ante abstitit continuando magistratu.* Cic. de Nat. D. 1. 20. *Atomi cohaerescunt inter se et aliae alias apprehendentes continuantur.* II de Leg. Agrar. contra Rullum. *Syllanus ager a certis hominibus latissime continuatus habet invidiam.* Horat. Od. 3. 16. 41. 27. *si Mygdoniis regnum Alyattei campis continuem.* — *Larem* pro ædibus positus. cfr. Horat. Od. 1. 12. 43. *avitus apto cum lare fundus.* Senec. Med. 20. *per urbes erret ignotas egens, exsul, pavens, invisus, incerti Laris.* cfr. Plauti Aulul. Prolog. *quom.* Ven. 2. quæ forma ubique restituenda esse videtur; nam optimus quisque liber passim eam habet. *toreumata* dicuntur vasa cælata, inprimis pocula cfr. Cic. Or. in Pison. 27. *Nihil apud hunc lautum, nihil elegans, toreuma nullum, maximi calices.* in 6. 18. *habere eum perbona toreumata in his pocula duo Mentoris manu, summo artificio facta* — *trahunt, vexant,* vide supra cap. 11. figurate dictum. ut enim homines trahuntur i. e. male habentur, nimis aspere tractantur, ita etiam pecunia, cum profunditur quasi ludibrio habetur, ut Salustii verbis utar; quo sensu apud Plautum *tractare* non uno loco. cfr. Mil. Glor. 2. 6. 10. *tractant et ludificant ingenuam et liberam* cfr. l. l. vs. 30. de vi verbi *vexare*, vide Aul. Gell. 2. 6. „*nam qui fertur et raptatur atque huc atque illuc distrahitur, is vexari proprie dicitur.*" et paulo infra *vexatam Italiam dixit Cato ab Hannibale quando nullum calamitatis aut saevitiae aut immanitatis genus reperiri queat, quod in eo tempore Italia non perpessa sit.* Servius ad Virg. Eclog. 6. 76. „*vexare est vis quaedam alieni arbitri.*" Præterea Ciceronis locum laudat: *fana vexata, direptae urbes.* Plaut. Pers. 5. 2. 4. *ita meam rem divexavit.* cfr. supra cap. 14. *lacerare* et Martial.

Epigr. 9. 40. *In septis Mamurra diu multumque vagatus, hic ubi Roma suas aurea vexat opes.* Seneca Ep. 101. *agitare pecuniam* Stat. Silv. 2. 2. 150. *strangulare* opes et Martial. Epigr. 2. 30. *flagellare.* — Salustius igitur his figuratis dictionibus usus est, ut insanam luxuriam summamque profundendi libidinem significet. *divitias suas.* Vatic. a. et Rostoch. etiam plures Editt. antiquæ. *vincere* i. e. perdere, effundere. *foris* hoc loco propria significatione; non enim externos populos sed locum extra domum significat. cfr. Cic. Ep. ad Div. 7. 16. *ego si foris coenitarem* — *res* i. e. conditio status in plurali numero satis frequens cfr. Plaut. Rud. 3. 3. 12. *neque enim est melius morte in malis rebus miseris* oppos. bonis rebus Plaut. Trinum. 2. 4. 45. *bonis tuis rebus meas res irrides malas*; singularis numerus servatur in execrationis formula: *abi in malam rem.* præterea notanda paronomasia cfr. cap. 21. *neque res neque spes bona ulla.* et Cic. apud Quinctil. 9. 3. *non enim tam spes laudanda quam res est.* — *spes* ut sæpius Græcum ἐλπὶς vocabulum μέσον. nam exspectatio tam boni quam mali spes dicitur. cfr. Lucan. 5. 454. *caelo languente fretoque, naufragii spes omnis abit* Stat. Theb. 9. 129; *dum spes nulla necis.* Liv. 2. 3. *cum haud cuiquam in dubio esset, bellum ab Tarquiniis imminere, id quidem spe omnium serius fuit.* — *quid reliqui.* cfr. supra cap 11. tamen *aliquid reliqui habere* minus insolitum quam *aliquid reliqui facere.* — *animam* pro vita cum emphasi dictum. cfr. infra c. 54. *libertas et anima nostra in dubio est.* Cic. Catil. 4. 9; *de vita vestra de conjugum vestrarum ac liberorum anima* etc. — *quin* hujus particulæ vis proprie negativa; sed hæc negatio ad antecedentia pertinet; ex qua re oritur affirmatio propositi, cui est juncta. Inde factum est ut sæpius particulæ *imo* et *potius* illam sequantur. Etiam iis locis, ubi nihil antecedit, quod negatur tale quid cogitatione fingendum et tacite supplendum est. cfr. Liv. 35. 26; *nihil ea res animum militaris viri imminuit, quin contra plus spei nactus*, et Terent. Andr. 1. 1. 18; quin tu uno verbo dic, quid est, quod me velis. cfr. Horat. Tursellin. Edit. Schwarz. 1709. pag. 1129. Plaut. Casin. 3. 4. 10. *expergiscimini.* ut *dormire* dicitur inertiæ deditum esse, ita *expergisci* promptum et alacrem habere animum. Terent. Adelph. 5. 1. 21. *cessatum usque adhuc est; nunc porro Aeschine expergiscere. in oculis sita sunt.* ita alias dicuntur quæ manifesta, aperta, omnibus nota sunt. cfr. Cicer. Acad. Quæst. 1. 2. de

Orat. 1. 43. sed h. l. sunt quæ haud remota sunt, quæ facile assequaris. *En, illa, illa,* hanc lectionem confirmat Med. 11. et Vat. a. *decus* i. e. laus, dignitas. Cic. Offic. 1. 34; *civitatis decus et honestatem festinare, de* Nat. Deor. 1. 4. *magni interest ad decus et ad laudem civitatis.* cfr. Jugurtha 4. *potentiae paucorum decus atque libertatem suam gratificari.*

Omnia ea. pronomen omiserunt ex Italicis libris Ven. 1. Vat. 1. 2. Barb. 4. Flor. 8. *ea omnia* Flor. 1. sed quamvis in aliquot Cortii libris eandem varietatem invenias, tamen pronomen retinendum puto. quodsi enim ea scriptoris mens esset, quam Cortius statuit, (qui Livium 5. 24. laudat: *omnia fortium, virorum esse,* et Curtium 3. 10. 5; *omnia victoria parari*) alia esse debebat verborum compositio. e. gr. *victoribus omnia praemia fortunae posuit.* sed ex eo, qui nunc est, verborum ordine facile perspicias hæc verba potissimum ad antecedentia *in oculis sita sunt,* pertinere. pronomen igitur retinendum et *praemium* ejus appositum putandum est. *utemini* Med. 12. Vat. a. 1. Flor. 9. *mea — vos* in his verbis delendis temere et inconsiderate egit Cortius: ut sæpius ita hoc loco Salustium statuit orationem omni oratorio numero neglecto, ad brevitatem solum conformasse. quo posito, *verba* quam *oratio* multo convenientius erat, *una* quod pauci C. Codd. delent, ceterorum auctoritate satis defenditur. poterat quidem omitti; sed additum ut apud Terentium Adelph. 43. 7; *quaeso ut una mecum ad matrem virginis eas.* cfr. Plaut. Mostell. 2. 3. 43. *i mecum obsecro. una simul — ni animus forte fallit.* Med. 2. *nisi forte animus fallit.* Med. 6. Flor. 8. cum præterea optimus ex Cortianis accedat. Guelf. 5. in aliis vero pronomen sedem mutat, recte a Cortio omissum esse videtur, nam sequenti *vos* non est oppositum, ut nonnullis visum est. sed idem *magis* contra omnium Codd. auctoritatem delevit. Ceterum totius orationis compositionem quod attinet, facile est intellectu, quanta cum arte ingenium et mores Catilinæ auctor expresserit. bene Quinctil 3. 8. « Catilina apud Salustium loquitur, ut rem sceleratissimam, non malitia sed indignatione videatur audere. »

Cap. XXI. *mala abunde omnia.* cfr. Jug. cap. 64. *cui virtus gloria atque alia optanda bonis superabunt. — mala quibus omnia erant.* Flor. 8. *abunde* omisso scilicet copiosius et abundantius Salustius librario loqui visus est, sed consilio auctor *abunde* apposuit, ut

egestatem sociorum Catilinæ expressius describeret. Cic. Orat. Catil 1. 10. « nactus es ex perditis atque ab omni non modo fortuna, verum etiam spe derelictis improborum manum." *quietam r. p.* Med. 9. Flor. 1. 8. lectio a librariis conficta, quibus *quieta movere* insolentius dictum esse videbatur. neque facile apud alium scriptorem hujus locutionis exemplum inveneris. *movere* pro *turbare* apud Tacitum aliosque Historicos passim occurrit. cfr. Annal. 3. 32. *mota Africa.* Liv. 35. 13, *quieta* dictum ut supra cap. 20. *incerta* Jug. 32. *parata*, *multa*, *omnia*, *impudica*, *vana* etc. quæ passim substantive usurpantur. *composita turbare.* Amm. Marcell. 15. 5. et paulo infra *quieta perturbare.* cfr. Charis. 1. p. 27. *merces* i. e. præmium. cfr. Jug. 85. *accepta mercede* Horat. Od. III. 2. 25. *est et fideli tuta silentio merces.* Sil. Italic. 13. 663. *ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces.* — *postulare.* hanc lectionem non solum optimi, sed etiam plurimi Codd. confirmant. plane eodem modo supra cap. 12. infinitivus historicus positus est. quam constructionem ibi insolitam esse monueram, ea hoc loco explicatur atque defenditur; *tabulas novas* i. e. τὴν τῶν χρεῶν ἀποκοπήν. intelliguntur enim tabulæ, ubi æra perscribuntur usuraria ut Plautus dicit Truc. 1. 1. 53. in his enim tabulis rationes accepti et expensi et pecuniæ creditæ atque debitæ perscriptæ erant. quare tabulas novas conficere seu proferre, id est debitorum nomina exstinguere. cfr. Cic. Or. in Cat. 2. 8; et Heusing. ad Cic. Off. 2. 23. *locupletum.* Med. 5. *quae fert.* Cicer. Ep. ad Div. 1. 7. *in hanc ratione quid res, quid causa, quid tempus ferat; tu perspicies* Ovid. Met. 1. 1. *fert animus.* Terent. Adelph. 1. 1. 28. *quae fert adolescentia* i. e. quæ fere fieri solent. *Mauritania.* quam scripturam habet Bas. 1. m. pr. *Mauretanea* probat. Pier. ad Virg. Aen. 2. 206. et Tzschuke ad Eutrop. 6. 23. cujus quidem provinciae fines a mari usque ad flumen Mulucham pertinuerunt; ubi et Mauri et Gætuli sedes habuerunt; Juba rege devicto in provinciæ formam erat redacta et postea in Mauretaniam Cæsariensem et Tingitanam divisa est. cfr. Auct. de Bell. Afric. 97. *P. Sittium Nucerrinum.* ejus mentio fit apud Appianum B. C. 4. 54. Σίττιος ἐν Ῥώμῃ δίκην ἰδίαν οὐχ ὑποστὰς ἔφυγε: καὶ στρατὸν ἀγείρας ἔκ τε αὐτῆς Ἰταλίας καὶ Ἰβηρίας ἐς Λιβύην διέπλευσε καὶ τοῖς Λιβύων βασιλεῦσι πολεμοῦσιν ἀλλήλοις ἀνὰ μέρος συνεμάχει; αἰεὶ δὲ οἷς προςθοῖτο νικώντων ὁ Σίττιος ἐπὶ ὀνόματος ἐγίγνετο, καὶ ὁ στρατὸς αὐτῷ γεγύμναστο λαμπρῶς. Vide cetera. quam bene idem de Cæsare meruerit, narrat etiam Dio Cass. 43. 3

cfr. Auctor. Bell. Afric. cap 36; et 95. sed ibi *Sitius* uno t scriptum quæ scriptura etiam Salustianæ orthographiæ consentanea esse videtur. eundem Cicer. Or. pro Sulla cap. 20. a suspicione tanti sceleris defendere studet. sed ibi falso *Cincius* scribitur. cfr. præterea Ep. ad Attic. 15. 17, ubi uno t scriptum, ut apud Pseudo-Hirtium. *hominem et familiarem.* copulam omittunt. Vat. 1. 2. 5, Min. 2. *de C. Antonio.* de eo Plutarchus Vita. Cic. cap. 11. *ἀνδρὶ καθ᾽ αὐτὸν μὲν οὔτε πρὸς τὸ βέλτιον, οὔτε πρὸς τὸ χεῖρον ἡγεμονικῷ, προσθήκῃ δ᾽ ἄγοντος ἑτέρου δυναμέως ἐσομένῳ.* et paulo infra cap. 12. *ἐδόκει δὲ καὶ τὸν Κατιλίνα νεωτερισμὸν, εἰδὼς οὐ δυσχεραίνειν ὑπὸ πλήθους δανείων.* cfr. Cic. pro Mur. 24. pro Flacco 38. pro Sextio. 3. in Pison 2. cfr. Ascon. Pedian. Comm. in Cic. Orat. in Tog. Cand. pag. 148. Cicero eum *in exercitu Sullano praedonem, in interritu gladiatorem, in victoria quadrigarium dixit,* cfr. præterea l. l. pag. 143. et 153, et pag. 245. « hunc Antonium Gellius et Lentulus censores sexennio, quo hæc dicerentur, senatu moverunt, causas subscripserunt, quod socios deripuerit, quod judicium recusarit, quod propter aeris alieni magnitudinem prædia manciparit bonaque sua in potestate non haberet. Ejus pater fuit celeberrimus orator. *circumventum.* vox a re militari translata. Cic. de Fin. 4. 23; *circumventus morbo exsilio atque inopia — consule.* Med. 12. Ven. 2. Flor. 1. *se* om. Ven. 1. quam ex hac lectionis varietate concinnavit lectionem Cortius. *eo consulem,* ea ab optimorum Codd. testimonio tam longe recedit, ut incorrupto judici vix eam probaverit. *eum* enim in uno solo libro omissum, etiam se in paucissimis libris exulat; quin quas lectionis causas affert, quam optimi libri tuentur, in iis excogitandis plane hariolari videtur. Denique verborum sensum quod attinet, is quoque ab instituto Catilinæ abhorret. primum enim *eo consulem agendi initium facturum* significare non potest Antonium tum demum, cum consul factus esset, aperte socium conjurationis futurum. Antonium enim primum seditionem moturum, idque Catilinam esse professum quis est, qui existimet. Multo potiorem alteram lectionem habuerim, si quidem plura verba ejicienda sunt. *eo consule init. ag. futurum.* quam Cortius silentio prætermisit. Sed omnia bene se habent; Catilina ut suorum animos magis etiam firmaret, non solum Antonium sibi socium esse dicit, sed etiam pro certo ponit, se et consulatum adepturum et collegam conjunctissimum habiturum; quod quidem tempus consilii patrandi opportunissimum esse.

increpat. quod pauci libri habent, præstantior lectio, formas enim verborum variare amat Salustius: quod supra est monitum. *quam plures* pro *complures* etiam hoc loco Med. 5. sed idem paulo infra *cum pluribus* quod eorum firmat opinionem qui *quam plures* errorem librariorum esse statuunt. *praeda.* cfr. infra cap. 48. *nam alia belli facinora praedae magis quam detrimento fore.* Justin. 31. 1. *in spem regni relictus, praedae etiam domesticis fuerat — cohortatus.* supple eos quod sæpius a nostro omissum.

Cap. XXII. *adiceret* vel *addiceret.* omnes libri Italici, quos vidi: quæ scriptura cum etiam ceterorum librorum consensu defendatur, retinenda est. poterat quidem confundi cum altero verbo *adjicere* quod et ipsum *adicere* scribebatur. Sed hoc nihil ad rem. contra in omnibus libris pro Cajo et Cnejo. G. et Gn. scriptum, quamvis Quinctil. hæc nomina litera C. scribi, sed G. pronuntiari docet. *popularis* proprie δημοτικός hoc nomine omnia dicuntur quæ ad populum pertinent, quæ ei grata et usitata sunt. Salustius, qui ejusdem factionis sunt, populares dixit, quæ significatio inde orta, quod qui ejusdem gentis nationis linguæ societate juncti sunt, proprie populares dicuntur. cfr. Don. in Ter. Adelph. 2. 1. *popularitas in omnis rei consortium sumitur.* quare Plaut. Poen. 5. 2. 81. popularitatem pro conjunctione dixit. sed huc non pertinet Ciceronianum illud pro Coelio 19. *tua domus popularis*, ministra illud enim acerbe in Clodiam dictum, quod ejus ædes omnium libidinibus patefiebant. vide infra cap. 24. *quod factum primum populares conjurationis concusserat.* Senec. de vita 13. 12. stoicos suos *populares* dicit, quia et ipse stoicam disciplinam professns est. *pateram* et *circumferre* in sacrificiis propria vocabula esse notarunt interpretes. cfr. Non. Marc. 4. 70. et Varro L. L. 4. 26. *inde — degustavissent. inde* pro ex quo, de quo etiam aliis scriptoribus usitatum. cfr. Cic. pr. Rosc. Am. 27. „ex avaritia erumpat audacia necesse est; *inde* omnia scelera gignuntur." *degustare* alias cum accusativo construitur. Salustius Græcam constructionem prætulit. cfr. ἀπογεύεσθαι. ceterum etiam apud alios populos moris fuisse, sanguine hausto foedera firmare satis constat. Pompon. Mela. 2. 1. Tacit. Ann. 12. 87. *exsecrationem* i. e. eorum, qui conjurationem prodidissent. Nam in foedere sanciendo, societateque jungenda hoc usitatum fuisse plura antiquorum scriptorum loca docent. vide Cic. pro Sextio. 7. *hunc Pompejus omni cautione, foedere exsecratione divinxerat* etc. Tac. Hist. 4. 15.

barbaro ritu et patriis exsecrationibus omnes adegit, et Liv. 26. 25. 28. 22; ceterum cfr. Dio. Cass. 37. 30. qui ita hanc rem narrat: *παῖδα γάρ τινα καταθύσας, καὶ ἐπὶ τῶν σπλάγχνων αὐτοῦ τὰ ὅρκια ποιήσας, ἔπειτα ἐσπλάγχνευσεν αὐτὰ μετὰ τῶν ἄλλων.* Plut. Vita Cicer. 10. *καὶ καταθύσαντες ἄνθρωπον, ἐγεύσαντο τῶν σαρκῶν.* Salustio consentit Flor. 4. 1. *consuevit* impersonaliter, *ut solet*, quod rarius animadvertas. *alius alii* simile Virgilianum Aen. 1. 604. *mens sibi conscia recti*; Cæs. B. G. 1. 14. *injuriae sibi conscius*, et Curt. 6. 10. 20. quem interpretes laudant: „si conscius Dymno tanti sceleris fuissem." Græce: *ἄλλος ἄλλῳ οὕτως ἀνόσιον ἔργον συνειδώς.* Ceterum *dictitare*, quod meliores libri confirmant, ad æquales Catilinæ referendum, de quibus supra *fuere, qui dicerent* auctor dixerat; modum et tempus mutatum multa scriptoris loca confirmant. cfr. Jug. 32, *fuere, qui auro corrupti elephantos Jugurthae traderent*, alii *perfugas vendere; pars ex pacatis praedas agebant.* Vide doctum Cortii hoc de loco Excursum. *Ficta haec* Ven. 2. Vat. 1. 5. Flor. Barb. 3. *ficta et haec multa praeterea* Med. 1. Bas. 3. *ficta et haec praet.* Med. 4. quæ lectionis varietas nescio an Cortii conjecturam confirmet, copulam utroque loco esse delendam, maxime cum *praeterea* sæpius apud Sal. copulæ loco positum sit. cfr. supra cap. 17. Jug. cap. 4. 84. 109. *invidiam* passiva significatione, ut sæpius.

Cap. XXIII. *in ea conjuratione.* — *conventione*, quam leclionem liber præstantissimus Guelf. 5. habet, nonnullis, credo, satis probata esse videbitur, cum et antiquioribus scriptoribus hæc vox usitata fuerit, ejusque sensus ab hoc loco non sit alienus. cfr. Fest. in conventione i. e. in concione; etiam Varro de L. L. 5. 9, docet, conventionem pro concione dictum fuisse. Sed etiam privatum hominum conventum ita dictum fuisse, auctores illi non dicunt; et quamvis hoc analogiam docere dixeris, tamen in antiquorum Grammaticorum silentio, (Non. Marcell. legit *conjuratione*) atque tot Codd. refragantibus, insolitum verbum pro usitatiore recipere audacius quam doctius visum est. Quare *conventionem* a librario satis acuto scriptum fuisse statuo, qui cum antea in superioribus hanc vocem sæpius invenisset, etiam hoc loco legendam esse putaret. cfr. cap. 17. *eo convenere* 21. *ubi eos convenisse videt* 22. *conventum dimisit*; accessit, quod in verborum structura *esse in conjuratione* offendere poterat. sed hoc dictum ut esse *in aere alieno*, *in ser-*

vitute, in luctu et squalore, in odio, in summa infamia etc. — *coopertus* Jug. 14. *coopertum miseriis me effecit* Cic. Verr. 3. 4. *tot, tantis, tam nefariis sceleribus coopertus. Liv.* 39. 15. *coop. stupris suis et alienis*, Horat. Serm. 2. 1. 68. *Lupus famosis coopertus versibus.* Tac. Annal. 3. 63. *opertus infamia.* Cato apud Gell. 2. 17. *co. fenoribus.* sed quod Gellius eo loco et 4. 17 testatur etiam Salustium ita dixisse, inde non sequitur, hoc loco scribendum esse *fenoribus*, quippe quæ structura, etiam aliis scriptoribus usitata, nihil habeat insoliti; sed *fenoribus coop.* Sal. ad exemplum Catonis in Histor. libris dixisse videtur. flagitia et facinora qua re differant, in vulgus notum est. quare errant, qui *facinoribus* abundare putant. *amovere* antiquis scriptoribus fuisse frequentatum Cortius docuit. cfr. in Legg. XII. Tabb. *feriis jurgia amovento;* Cic. de Harusp. Resp. 20. *quaestorem a sua frumentaria procuratione senatus amovit.* Plaut. Truc. 1. 1. 64. me exinde amovit loco. Bacch. 4. 8. 64. Pseud. 1. 2. 11; 5. 1. 35. Terent. Phorm. 3. 3. 34. *Te hinc amove.* apud ceteros quidem scriptores *movere senatu* vulgatius (*moverant* etiam Rostoch.), sed Salustianum antiquius. *vanitas quam audacia inerat.* hoc ordine Barb. 5. sed quamvis verbum in multis libris sedem mutat, tamen id expellere mihi durius videtur. *vanos* Apollinaris apud Gell. 13. 4. docuit proprie dici, non ut vulgus diceret, desipientes aut hebetes aut ineptos, sed, ut veterum doctissimi dixissent, mendaces et infidos et levia inaniaque pro gravibus et veris acutissime componentes. *quicquam pensi habere.* cfr. supra cap. 12. ad exempla ibi laudata hæc adde: Aul. Gell. 12. 5. *ut nihil quicquam esset carius pensiusque nobis, quam nosmet ipsi.* Liv. 26. 15. *queis neque quid facerent, neque quid dicerent, quicquam unquam pensi fuisset.* eisdem fere verbis Liv. 34. 49. *minus pensi esse* id. 34. 31. Tac. Annal. 13. 15. *fidem pensi habere.* Hist. 1. 46. *neque modum oneris quisquam, neque genus quaestus pensi habebat.* cfr. Auct. de Caus. Corr. Eloq. 29. *pensi habet.* ex quibus locis intelligitur, *pensi, moderati* ceterosque id genus genitivos ut *magni, parvi* ab antiquis scriptoribus et qui idem dicendi genus affectarent, fuisse constructos, quod facilius fieri potuit, quia et ipsi modi certam quantitatem significant: *quicquam* igitur ad *facere* pertinet, et in hac verborum junctura id solum Salustio proprium, quod infinitivum post *pensi habere* posuit; vulgari sermone hoc ita dicendum erat: nihil non facere et dicere dubitat. *facere et dicere.* hæc

formula varia hominum studia complectitur. cfr. Vellej. 2. 45. qui neque dicendi neque faciendi, nisi quem vellet, nosset modum. Lutat. ad Stat. 1. 102. „ facere et dicere omnia complecti solet scelera et audaciæ argumenta." Sueton. Cæs. 76. Terent. Eunuch. 5. 4. et Liv. 26. 15. et Jug. c. 64. *Fulvia.* de ejus vita et moribus nihil præterea constat. cave ne propter nominis similitudinem eam cum Clodii uxore confundas, quæ postea Antonio nupta fuit. *consuetudo* et *consuescere.* verbum hac in re frequens. cfr. Terent. Andr. 2. 6. 8. Liv. 39. 9. Just. 8. 6. Curt. 4. 10. sed plerumque absolute est positum. *inopia* i. e. propter inopiam. cfr. Cic. de Fin. 2. 26. „*si fructibus et emolumentis* amicos colemus, dubium est, quin fundos et insulas amicis anteponamus." — *coepit minari.* Med. 6. Vat. 6. Flor. 8. *coepit; interdum ferro minari.* Med. 5. quæ lectiones me movent, ut copulam a Cortio recte omissam putem. *nisi obnoxia* i. e. morem sibi gereret, honestius dictum ad rem turpem significandam. *maria montesque* figurate, i. e. maxima munera. cfr. Terent. Phorm 1. 2. 18; *modo non montes auri pollicens.* Aul. Pers. Satir. 3, 65. *et quid opus Cratero magnos promittere montes.* Plaut. Mil. 4. 2. 73. *argenti montes, non massas habet.* etiam Græce πόντος χρυσῶν dicitur; unde traxerit originem proverbium, incertum. Ad montes et flumina hoc referre, in quibus aurum invenitur, nescio an subtilius quam verius sit. mihi quidem nihil aliud quam magnam molem significare videtur. *Agitare*, i. e. agere, se gerere; *occultum habere* i. e. occultavit. cfr. Plaut. Epid. 3. 4. 87. *invisum habere.* Mostell. 4. 3. 67 *acceptum habere.* Merc. 2. 3. 64. *habere certum. sublato*, i. e. omisso. cfr. Cic. Ep. Att. 13. 44. *ut id nomen ex omnibus libris tollatur*, et l. I. 2. 24. *Caepionem de oratione sua sustulit. sublatum* qui celatum atque dissimulatum explicant, Salustium accuratius, quam ipse voluit, loquentem faciunt. *studia hom. accendit.* accendere ad vel in aliquid apud Tacitum et Vellejum frequens; *studia* opponuntur odiis; et non modo voluntatem et benevolentiam significat, sed idem quod ἐπιτηδεύματα i. e. laborem et operam in alicujus gratiam susceptam. *aestuare.* i. e. flagrabat, angebatur. cfr. Jug. 93. dies noctesque æstuans agitare. Ep. de Rep. Ord. 7. primo æstuat multaque in pectore volvit. Cic. Verr. 4. 30. *aestuabat dubitatione*, et absolute Cic. Verr. 4. 23. Sueton. Claud. 4. *pollui consulatum.* cfr. Jug. cap. 41. 63. sub fin. *homo novus* novi opponuntur nobilibus; inde nomen trahunt, quod novi ad rem pu-

blicam capessendam accedunt, et nemo ex eorum majoribus summos honores gessit. cfr. Cic. pro Muraena. cap. 8. cfr. App. B. Civ. II. 2. *καλοῦντ ούτω τοὺς ἀφ' ἑαυτῶν ἀλλ' οὐ τῶν προγόνων γνωρίμους.* Cic. Orat. Cat. 1. 11. se ipsum, *hominem per se cognitum, nulla commendatione majorum* dicit. Or. Pison. 1. *postfuere.* i. e. cesserunt, posthabitæ sunt. Senec. Ep. 104. nemo tibi post te videatur. Horat. Od. 3. 9. 6. *neque erat Lydia post Chloen.* melius etiam hoc loco sejunctim scribitur. Aegre hoc obtinuerunt optimates; nam Asconio teste « C. Cæsar et M. Crassus acerrimi Ciceronis fuerunt refragatores, quod ejus in dies civilem crescere animadvertebant dignitatem. ceterum huic dictioni oppositum: *esse ante* cfr. Cat. 53. *facundia Graecos ante Romanos fuisse.*

Cap. XXIV. *declarare* i. e. renuntiare, proprie præconis est. *quod factum* quæ res; *concusserat.* ne quis in plusquamperfecto offendat; consilio enim hoc tempus auctor posuit, ut declararet, alia postea accessisse, quæ mentes eorum perturbarent. *minuebat* quod legi jussit Acidalius ad Vellej. Tom. II. pag. 584. Ed. Ruhnk. habet quidem, quo defendatur. cfr. Gell. 18. 12. sed de Codd. quos laudat, nihil certi constat. *arma parare.* alibi poetice dicitur pro bellum parare. sed hoc loco est comparare. Cic. Ep. Att. 12. 19. *hortos parare.* Cæs. 6. 9. 4. 2. jumenta pretio. Jug. 32. servos aere. Justin. 16. 3. *brevi tempore magnus opes paraverunt.* — *sumptam mutuo.* Flor. 4. m. sec. Med. 12. et Cod. Eichhoffianus, quem V. D. Eichhoff. Gymnasii Weilburgensis Professor cum editione mea contulit atque variantes lectiones notavit. Wisb. MDCCCXXV. *mutuo sumptam.* Med. 5. sed mutuum dare et accipere recte Latine dicitur. cfr. Non. Marcell. 5. 70. « mutuum a fœnore hoc distat, quod mutuum sine usuris. fœnus cum usuris sumitur, et est accepti foetus. . . . unde honestius mutuum est, quod sub affectu amico fiat, tamen usu temporis necessarii fœnore sumere decet. cfr. Plaut. Asin. 1. 3. 95. Si *viginti minas mutuas non potero, certum est, sumere foenore.* cfr. etiam Paul. Digest. 12. 1. 2. mutuum damus recepturi non eandem speciem — creditum a mutuo differt, quo genus a specie — mutuum non potest esse, nisi proficiscatur pecunia." *Faesulas.* urbs in Etruscorum finibus in colle arduo sita, cujus ruinae non procul a Florentia absunt. Eo Colonia Veteranorum a Sulla deducta est. Antiquum nomen recentior urbs *Fiesole* servat. *Manlius.* cfr. Plut. Vit. Cic. cap. 14. *ἄνδρα* (scil. *ἡγέμονα ἔχοντες Μάλλιον*) *τῶν ἐπιφανῶς ὑπὸ Σύλλα στρατευσαμέ-*

ναν. cfr. Appian. B. Civ. 2. 3. et Dio Cass. 27. 20. Γάϊός τις Μάλλιος, τῶν τε πολεμικῶν ἐμπειρότατος (μετὰ γὰρ τῶν τοῦ Σύλλου λοχαγῶν ἐστρατεύετο καὶ πολυδαπανώτατος ὤν. Cic. in Catil. 1. 3. fore in armis certo die C. Manlium audaciæ satellitem atque administrum tuæ." Ceterum qui *Mallium* scribunt, quod in Græcis exemplaribus et inscriptionibus ita exaratum est, eos fugisse videtur, sæpius aliter scriptum, aliter pronuntiatum fuisse; *Manlium* quidem haud dubie multo antiquius, et Salustianæ orthographiæ convenientius. *dicitur asciviose.* Barb. 5. *sumptus — toleraverant.* i. e. sufficere sumptibus. cfr. Ter. Heaut. 3. 2. 33. *cum tolerare hujus sumptus non queat.* similiter dicitur *tol. egestatem*, *inopiam*, *famem.* et tolerare absolute. Tac. Ann. 4. 10. cfr. etiam Hecyr. Terent. 2. 1. 28. *sumptus pati.* *conflare* i. e. contrahere; sæpius figurate a Cicerone usurpatur. v. c. conflare accusationem, judicium, bellum et alicui negotium, periculum, invidiam. cfr. supra cap. 14 *credebat posse servitia — posse* omisit liber Eichhoff.

Cap. XXV. *Sempronia* D. Bruti uxor. cfr. infra c. 40. Macrob. Saturn. 3. 14. *virilis.* cfr. Tacit. Ann. 6. 25. *Agrippina — virilibus curis foeminarum vitia exuerat.* h. 1. 72. *virilia scelera.* Justin. 27. 2. *sceleratam virilemque sumit audaciam.* id. 2. 12. *in muliere virilem audaciam cerneres.* Vellej. 1. 1. *virilis animi foemina.* Flor. 4. 5. *virilis militiae uxor. genere atque forma* etc. hunc locum et priores editores et Cortius maxime corruperunt; is enim *praeterea* et *fuit* contra omnium librorum testimonia delevit; Aldus Manutius autem *atque* ante *liberos* expulit, Frontonis auctoritatem prætexens. is autem s. v. *fortunatus* hæc habet: *liberis satis fortunata fuit.* quæ in nostra editione expressa sunt, et Codd. et Priscianus confirmat Lib. 18. cap. 21. p. 182. Ed. Kr. *vir* i. e. maritus, apud Plautum innumeris locis, intellige Decimum Junium Brutum, vide infra cap. 40. patrem Dec. Jun. Bruti Albini, qui Mutinam fortissime defendit. *fuit.* quod expulerunt interpretes, et eleganter hoc loco positum et necessarium mihi esse videtur. — orationis numerus enim plane solvitur, nisi verbum tempore finito interpositum sit. verbo enim addito incisum plenius fit. *docta* Cic. Brut. 46. Doctus et Græcis literis et Latinis, sed accusativum etiam, præterea infinitivum, cum *doctus* jungi posse, satis constat. de mutata constructione cfr. ad Jug. 74. *psallere*, *saltare*, ita Macrob. 3. 14. Vat. 6. Med. 3. ubi insulse librarius *cantare* addidit. conjunctionem recte omissam esse

statuo. ceterum *psallere* vario modo explicant. proprie est fidibus canere, cfr. Gell. 19. 9. *qui canerent voce, et qui psallerent.* Cic: Catil. 2. 10. *cantare* et *psallere.* propriam significationem etiam hoc loco obtinere putaverim, confirmat Horat. Od. 3. 6. 26. *Motus doceri gaudet Jonicos, matura virgo — decus i. e.* existimatio. cfr. Jug. 4. *decus atque libertatem gratificari.* Cic. de Off. 1. 5. de Fin. 2. 14. *decerneres.* ex tot Codd. Italicis unus. Ven. 4. habet, et is quidem ex emendatione. *cerneres* Med. 1. *dicerneres.* Med. 3. sed mihi quidem in antiquo sermone *de* et *di* eandem fere vim habuisse videntur. cfr. infra *delectus* et *dilectus, defluo* et *diffluo*; obloquuntur quidem antiqui Grammatici, qui passim de discrimine verborum cum *de* et *di* compositorum disputant. Serv. ad Aen. 1. 2. 28. Agræt. p. 1352. seq. Isidor. 2. 14. Origg. pag. 1073. Ed. Gothofred. Non. Mar. 4. 135. sed a meis partibus stat Norisius Cenotaph. Pis. pag. 134—160. Ed. Harles 1758. *discernere* certe etiam apud alios scriptores ita positum est, ut etiam *decernere* poni potuerit. cfr. Tac. Annal. 5. 6. *haud discreverim.* Cæs. B. Civ. 1. 23. *neque sui judicii esse discernere. fuit,* confirmat Eichhoff. *lubido* hanc lectionem pauci quidem libri tuentur (etiam Cod. Rost.); sed haud dubie præstantior; altera a librariis conficta, qua insolentiam constructionis mollirent. *petere.* cfr. Propert. 2. 16. 27. *quum te tam multi peterent, tu me una petisti.* Cic. Pison. 28. *non fugit ejus amicitiam, cum esset praesertim appetitus.* Senec. Medea v. 218. *Petebant tunc meos thalamos proci, qui nunc petuntur. — fidem prodere* i. e. violare, fallere. oppos. fidem servare, exsolvere. fidem perdere Plautus sæpius dixit. sed *fidem prodere* bene se habet. prodere enim est perfide agere, fallere. *praecipitem abire — praecipitem repellere et propellere* habes apud Plautum Rud. 3. 3. 8. *praecipitem trahi.* Pseud. 1. 5. 79. in his locutionibus fere vim et festinationem exprimit. cfr. Liv. 41. 10. *praeceps in provinciam abiit.* sed quia *praeceps* proprie dicitur is, qui in caput deorsum et celeriter fertur, figurate ii *praecipites ire* dicuntur, qui ex meliore statu in deteriorem perveniunt. Liv. 1. 40. *si—regnum — praeceps inde porro ad servitia caderet.* 24. 7. *omnia in ea praecipitia ad exitum fuerunt.* 27. 27. *in praeceps dare rempublicam.* præfat. *tum ire coeperint praecipites* (mores) cfr. infra 31. *praecipitem agi.* Jug. 63. *ambitione praecipitem dari. haud absurdum* i. e. non ineptum, facetum. cfr. Tac. Ann. 13. 45. *sermo comis nec absurdum*

ingenium. hist. 3, 62. *procax moribus Valens nec absurdus ingenio. mollis.* opponitur gravis, continens, severus. cfr. Cic. de Fin. 1. 11. *voluptaria, delicata, mollis disciplina.* et 5. 6. *haec mihi videtur delicatior, ut ita dicam, molliorque ratio, quam virtutis vis gravitasque postulat."* hinc verba dicuntur mollia i. e. blanda, amatoria. Tib. 3. 4. 76. *vincuntur molli pectora dura prece.* Horat. Epod. 5. 83. *mollibus lenire verbis impios.* Od. 2. 9. 17. *desine mollium tandem querelarum.* — *procax.* proprie est epitheton meretricum; ab antiquo verbo *proco.* cfr. Non. Marc. 1. 89. Cic. Ep. Div. 7. 13. *scio te non esse procacem in lacessendo.* Cic. pro Coel. 20. *si ita sese geret, ut non solum meretrix sed etiam procax videatur.* Catull. Carm. 60. 126. *procax Fescennina locutio. prorsus* et *prorsum* apud antiquos scriptores non differunt. *prorsum* pro *recto* dicebant. vide Festum s. v. dein pro *omnino* est positum. Cato apud Charis. 2. 189. *prorsum quodcunque videbat fecisse neque quemquam observavisse.* ita etiam Sal. Cat. 16. *prorsus opportuna.* aliis in locis *ne multa significare* videtur. cfr. supra cap. 15. 23. Jug. 36 et 25. similitudinem utriusque significationis demonstrat locus Ciceronis Ep. Div. 6. 10. *venies* exspectatus non solum nobis, sed prorsus omnibus. *lepos.* venustas, festivitas, urbanitas et concinnitas sermonis. Cic. Ac. Quæst. 4. 6. *floruit acumine ingenii, tum admirabili quodam lepore dicendi.* de Clar. orat. 38. *erat cum gravitate junctus facetiarum et urbanitatis oratorius, non scurrilis lepos.* — *facetiae.* Cicerone auctore de Orat. 2. 54. aut æquabiliter in omni sermone fusæ aut peracutæ et breves sunt; illa a veteribus superior cavillatio, hæc altera dicacitas nominata est. *inerat.* cfr. supra 23 et 15. ceterum cfr. cum toto hoc capite Tacit. Annal. 13. 45; ubi simillimos Poppææ Sabinæ mores auctor describit.

Cap. XXVI. *nihilominus.* quamvis omnia Catilinæ consilia ad vim apertam spectare videbantur, tamen et consulatum petiit, ut magistratus potestate gauderet. *ex volunt. Antonio usurum.* i. e. Antonium omnia quæ Catilinæ placerent, facturum. cfr. Terent. Heaut. 2. 1. 5. *mihi si unquam filius erit, nae ille facili me utetur patre.* Cic. Verr. 7. 59 *hic vide quam me sis usurus aequo; astutiae.* Festo teste ab *astu* derivandum; quod qui in urbe assidue commorantur, cautiores et astutiores esse putantur. ceterum *dolus* et *astutiae* non multum differunt, nam *aut* aliquoties non disjungit, sed singula orationis membra copu-

lat. cfr. Prisc. Ed. Krehl 2. pag. 182. Virg. Georg. 1. 410. « *Tum* liquidas corvi presso ter gutture voces *aut* quater ingeminant. » Dolum et astutias jungit etiam Plautus Ep. 3. 2. *eum permeditatum meis dolis astutiisque onustum mittam.* — *dolus* Fest. « vocabulo nunc tantum in malis utimur, antiqui autem etiam in bonis rebus utebantur; unde adhuc dicimus : *sine dolo malo.*" consentit Ulpian. Digest. 4. Tit. 3. « veteres etiam dolum bonum dicebant, et pro solertia hoc nomen accipiebant." *Catilinae proderet.* Vat. 2. pronomine omisso. *pactione provinciae.* in Pis. cap. 2. provinciam scilicet Macedoniam ei decernendam curavit. cfr. Plut. Vita Cic. c. 12. *dissentiret.* Vat. 1. 2. 3. 4. 5. *clientum.* Vat. 2. de re confer Dion. Cass. 37. 29. Plut. Vita Cic. 14. *quas consuli.* Arond. *Ciceroni consuli fec.* Mart. *C. in campo fec.* Reg. *Coss.* Ball Magd. omittunt verba *in campo* multi ex libris Italicis. Flor. 4. Ven. Barb. 1. 2. 3. 4. 5. omnes Med. *consuli* an *consulibus* scribendum sit haud facile discernas. nam meliores libri non consentiunt et facilis erat error librariorum in voce per notas et compendia scripta. *consulibus* ex melioribus plurimi, et facile putaveris, Antonium quoque, cum in optimatium partes transiisset, Catilinæ infestum fuisse. *Consuli* propter sequentia cap. 27. *consuli insidias tendere* videtur esse præferendum, præsertim cum Cicerone trucidato omnia Catilinæ opportuna fore viderentur. *consulibus* Flor. 1. 4. 10. Med. 9. Eichh. *consuli paraverat* Med 5. verba *in campo* poterant quidem omitti, nam propter antecedentia videntur posse intelligi. sed Cicero ea apposuit. Or. in Cat. 1. 5. *Cum proximis comitiis consularibus me consulem in campo et competitores tuos interficere voluisti, compressi tuos nefarios conatus amicorum praesidio et copiis, nullo tumultu publice concitato.* id. pro Muræna. cap. 26. « et quod homines jam tum conjuratos cum gladiis *in campum* deduci a Catilina sciebam, descendi *in campum* etc. Plut. Vit. Cic. 14. τεθωρακισμένον — πολλοὶ κατήγαγον εἰς τὸ πεδίον. *in campo* igitur a Salustio additum puta, ut accuratius rem exponeret; *bellum facere* ex Græco expressum. πόλεμον ποιεῖσθαι. cfr. supra c. 26. Jug. 57. *proelium in manibus facere.* 55. 56. etiam apud alios scriptores passim. *extrema omnia.* Jug. 23. *fortunas in extremo sitas.* Fragm. Hist. I. 19. Vol. 1. p. 217. *extremam necessitatem* et lib. 3. 15. *ut solet extremis in rebus.* res extremæ sunt desperatæ. in eandem sententiam Cæsar B. G. 3. 5. dicit : *extremum auxilium experiri*, et 7. 40. *extrema fortuna.* — *omnia experiri.* fere idem significat. cfr. Terent. Andr.

2. 1. 11. *omnia experiri certum est.* Cic. Ep. Div. 1. 9. *scribis te omnia facturum, ut rem conficias.* Etiam Græce ἅπαντα ποιῶν. Unde aliquis colligat duas constructiones in unam coaluisse. Sed aliter hic locus explicandus est. *Omnia* enim cum superlativo junctum esse videtur, ut *quisque;* sensus igitur est hic: Catilina omnia expertus est, quæcunque extrema essent. *Aspera* supra cap. 20. et 10; *res asperae* i. e. dubiae, difficiles, calamitosæ. *foedaque* αἰσχρὸς, infamiam afferens. Cic. Ep. ad Attic. 15. 10. *ludos vero non facere, quid foedius*, et 8. 11. *nihil fieri potest miserius, nihil perditius, nihil foedius.* — sensus: omnes, quos adhuc Catilina fecerat, conatus, irriti eique dedecori fuerant.

Cap. XXVII. *Camertem* i. e. Camerino oriundum; hæc urbs in Umbria sita, non procul a finibus agri Piceni. eodem nomine antiquitus Clusium, Etruscorum urbs appellata fuit. cfr. Polyb. 2. 19. Liv. 9. 36; 28. 45. Strabo 5. c. 2. p. 367. et 368. Ed. Tauchn. eam Καμάρινον et Καμέρτην dicit ἐν αὐτοῖς τοῖς ὁρίζουσι τὴν Πικεντίνην ὄρεσι. *Picenum*, regio Italiæ in ora maris Adriatici, ab Aterno amne usque ad Apenninum montem, quo a Sabinis sejungitur, hodie *parte della marca d'Ancona et dell' Abruzzo.* cfr. Fest. et Strabo 5. 4. 389 seq. Ed. Tauchn. «ἔστι δ' ἡ Πικεντίνη μετὰ τὰς τῶν Ὀμβρικῶν πόλεις τὰς μεταξὺ Ἀριμίνου καὶ Ἀγκῶνος. cum hac regione cave ne confundas agrum *Picentivum* in Campania situm. μικρὸν ἀπόσπασμα τῶν ἐν τῷ Ἀδρίᾳ Πικεντίνων. cfr. Strabo 5. 4. 12. pag. 406. hunc in errorem Langius incidit. Mannert. Italia. P. I. pag. 449 seq. *Apulia* vide Mannert l. l. P. II. p. 1. seq. *opportuna loca.* puta loca urbi vicina — *obsidere* i. e. occupare. cfr. Cic. de lege Agrar. 2. 28. *totam Italiam suis praesidiis obsidere atque occupare cogitat.* Philipp. 2. 35. *aditus armati obsident.* — *armati homines* abundantius dictum, alii enim scriptores *homines* non adjungunt. cfr. Cic. loco supra laudato et Cæs. B. C. 3. 81. Liv. 9. 41; 26. 3; 28. 22. sed *armatum hominem* dixit Cato apud Gell. 2. 22. Plaut. Mil. Glor. 4. 6. 60. et ipse Cicero pro Sext. 15. 25. aliisque locis; *viri quoque armati idem istuc faciunt.* vide infra c. 45. *homines militares.* — cum *telo esse.* Cic. Cat. 1. 6. «*omnes sciunt te stetisse in comitio cum telo.*" Cajus Dig. Lib. 47. 2. 56; *teli appellatione et fustis et ferrum et lapis et denique omne quod nocendi causa habetur, significatur.* ceterum *cum telo esse* solemnis legum formula esse videtur. cfr. Cic. pro Milone 4. 24. in Vatin. apposite comparantur formulæ *cum im-*

perio, cum toga; cui addi potest *cum potestate esse,* — *festinare* vide Caton. apud Gell. 16. 14. « aliud est properare, aliud festinare. qui unum quid mature transigit, is properat; qui multa simul incipit neque perficit, is festinat." — *insomniis.* Grammatici diversas significationes insomniæ et insomnii esse statuunt. cfr. Vett. Gramm. apud Gothofr. p. 1361. pluralem *insomnia* somnia significare volunt, vide doctam illustrationem Macrobii Com. in somn. Scip. I. 3. *insomniam* singulari numero vigilias interpretantur. Sed Sal. etiam *insomniis* neutro plurali pro vigiliis usus est. cfr. Ep. Mithridat. Fragm. Hist. L. 4. 12. *Persen* — *insomniis occidere.* — *intempesta* Fest. « intempestam noctem dicimus pro incertiore tempore, quia non tam facile noctis horæ, quam diei possunt intelligi." rectius Varro apud Macrob. Saturn. 1. 3. *intempesta, quae non habet idoneum tempus rebus gerendis.* eodem loco has noctis partes esse statuit. *prima fax, concubia, intempesta, mediae noctis inclinatio, gallicinium, conticinium.* unde colligas intempestam noctem fere eandem dici, quam noctem mediam dicunt. idem fere statuit Serv. ad Aen. 3. 587. *paraverat.* Indicat. pro conjunctivo. Salustius enim more scriptorum Græcorum sæpius orationi obliquæ indicativum modum interposuit. cfr. Matthiæ Gr. Gr. §. 507. 3. Sed multæ sunt verborum structuræ, ubi hæc modorum permutatio minus est insolita, in periphrasi maxime, qualis hoc loco est. cfr. supra cap. 14. *juventutem, quae Catilinae domum frequentabat.* et 22. *ficta esse ab iis qui credebant.* imo indicativus sæpissime jungitur interrogativis indefinite positis. cfr. Cic. de Off. 1. 7. *exquirunt unde verba sunt ducta.* vide Ruhnk. ad Rutil. Lup. de fig. sentent. II. 6. 98; idem sæpius fit in oratione obliqua et constructione accusativi cum infinitivo. cfr. Cic. de Fin. 2. 22. *putat.* 3. 7. *dicunt.* 3. 15. *contineri potest.* 4. 11. *quae sunt in corpore.* 4. 21. *perficiunt et absolvunt* 5. 7. *quae secundum naturam sunt* 5. 13. *quae plurimum habent auctoritatis* 5. 26. *multa faciunt.* de Off. 1. 9. *expetunt* — *solent* 2. 5. *quanto plures deleti sunt.* 1. 26. *quanto superiores sumus* 2. 7. *quantum valet* 3. 7. *quae volunt.* quibus omnibus locis Ernest. suo more conjunctivum posuit. Sed hoc satis constat, iis quæ ab aliis dicta, facta aut cogitata narrantur, sæpius interponi ipsius auctoris judicium idque indicativo modo exprimi. sed alia sunt loca, ubi vix fieri posse videtur, ut ad ipsum auctorem talia referantur. Cujusmodi est locus supra laudatus de

Fin. 3. 15. et infra Jug. 65. *proinde, quae animo agitabat. fretos diis ageret* 54. *hortatur ad cetera, quae levia sunt, parem animum gerant.* in his quidem locis scriptores ad Græcorum orationem se conformasse videntur. cfr. Ruddim. Inst. Gr. Lat. II. p. 347. seq. ubi multa loca congesta; sed tota res difficilior quam quæ paucis ad liquidum perduci possit. primum id agendum, ut antiqui scriptores ad fidem optimorum Codd. accurate edantur. tum demum statui potest, quænam leges sermonis Latini naturæ maxime conveniant, et quam normam singuli scriptores secuti sint.

Cap. XXVIII. *C. Cornelius.* cfr. supra cap. 17. de eo Cic. pro Sulla cap. 18. « Tum tuus pater, Corneli, id quod tandem aliquando fatetur, illam sibi officiosam provinciam depoposcit, ut, cum prima luce consulem salutatum venisset, intromissus meo more et jure amicitiæ, me in meo lectulo trucidaret. » c. 6. eundem ab Autronio immissum esse dicit. *operam suam poll.* Cic. Ep. Div. 5. 8. « ego vero tibi profiteor atque polliceor meum studium in omni genere officii. » idem Ep. Q. F. 1. 2. « profitentur, offerunt se, pollicentur. » *Varguntejus.* dissentit Cic. Cat. 1. 4. *reperti sunt duo equites Romani.* Plutarch. Vit. Cic. Marcium et Cethejum cum telis ad Ciceronem obtruncandum missos esse narrat. Appian. B. Civ. 2. 3. omnia turbat et Ciceronis occidendi consilium in id tempus dilatum esse credit, ubi Romæ compertum esset, Catilinam Manliana castra, quæ Fæsulis posita erant, venisse. diversa scilicet et varia miscet, et quæ hoc loco et infra c. 43. narrantur confundit. *Cethegus Ciceronis januam obsideret.* hunc enim locum ab eo expressum fuisse ex ipsius verbis colligas. Λέντλον μὲν αὐτὸν καὶ Κέθηγον ἐφεδρεῦσαι ταῖς Κικέρωνος θύραις περὶ ἕω. sed in eo erravit, quod Cethego Lentulum socium adjunxit. Nam haud dubie his in rebus Salustio maxima fides. *ea nocte* dicit auctor, quia prima luce clientes patronos, et amici magistratus salutare solebant. cfr. Sym. Ep. 8. *nondum ante januam eminentium potestatum vigilem noctem salutator expertus es.* cfr. etiam Juvenal. Sat. V. 21. et Senec. de Benef. 5. 34; Virg. Georg. 2. 461. *ingentem foribus domus alta superbis, mane salutantum totis vomit aedibus undam.* de loco quo stabant salutatores vide Aul. Gell. 16. 5. Cic. Ep. Div. 9. 20. 7. 28. *domi suae.* pron. omisit Eichh. sed quamvis Naz. et Com. Gruteri consentiunt, tamen hanc lectionem potius doctam librarii emen-

dationem quam ab ipso auctore relictam putaverim. immemor enim, credo, librarius fuerat *domi* pronomina possessiva adjungi. cfr. Ruddim. Inst. L. L. P. II. p. 277. Cic. Ep. Div. 4. 7. *nonne mavis sine periculo domi tuae esse, quam cum periculo alienae. intellexit* Ven. 2. Med. 5. *impendebat* Med. 5. 8. præter multos alios libros quos supra laudavimus vide Salust. Vol. 1. p. 31. quæ quidem lectio nescio an præferenda sit, cum indicativum sæpius pro conjunctivo poni paulo ante demonstratum sit. Ex locis Ciceronis quæ supra congessimus, nostro simillimus est. de Offic. 2. 7; *interitus* (scil. tyranni) *declarat*, *quantum odium hominum valet ad* pestem. *quantum periculum.* Eichh. *a janua* idem. *egestate ac dolore.* ablativum a Salustio sæpius poni, ubi accusativus cum præp. apud alios scriptores est usitatior, jam supra vidimus. *Sullae dominatione.* i. e. Sulla dominante. Florentiæ agros sub hasta veniisse Flor. tradit 3. 21. fin. Appian. B. C. 1. 96; Etruscarum urbium nominatim mentionem non facit. de Volaterranis paucis agit Cic. pro Domo 30. *latrones.* cfr. Cic. Cat. 2. 10. « quintum genus est.” etc. *nonnullos* scil. sollicitabat. nota asyndeton. horum mores describit. Cic. Cat. 2. 9. « *qui se insperatis repentinisque pecuniis sumptuosius insolentiusque jactarunt*” — *lubido* non ad voluptates corporis retulerim, sed pro licentia positum esse videtur. Liv. 2. 3; *quum in regno libido solutior fuerat.* et postea *eam licentiam quaerentes.* et 42. 23. *ipsum nullum praeterquam suae libidinis arbitrio, finem facturum.* cfr. infra 51. *lubidini et usui paruit.* Ep. de Rep. Ord. 2. 3. *libidine ac licentia sua pro legibus utuntur. reliqui fecerunt.* cfr. supra c. 11. aliquoties etiam apud ipsum Ciceronem et Cæsarem hæc locutio occurrit. Cic. Verr. 1. 1. 26 Cæs. B. G. 2. 26.

Cap. XXIX. *malo ancipiti.* i. e. quod utrinque urget. cfr. Cic. pro leg. Manil. 3. « cum duobus in locis disjunctissimis, a binis hostium copiis, bellum terra marique gereretur, *vos ancipiti contentione* distracti. Curt. 3. 7. *ancipiti acie.* Cæs. B. Civ. 3. 73. *anceps terror.* Liv. 37. 11. *ancipitia tela.* id. 5. 1. *ancipitia munimenta.* eodem sensu. Jug. c. 67. *anceps malum* dictum. *exagitatam* i. e. tractatam, excussam Cic. pro Sulla 21. « Colonorum dissensio delata ad patronos, cum jam inveterasset ac multos annos esset *exagitata.*” pro Cluent. 36. « *exagitabantur* omnes ejus fraudes atque fallaciæ. Orat. 3. *exagitatus* orator. Cic. post Redit. ad Quir. *causam senatus improborum concionibus exagitatam.* Sed est, qui

malit *exagitatum* quod ipsius auctoris oratione satis comprobatur. cfr. Jug. 72. *formidine quasi vecordia exagitari.* supra cap. 14. *quos conscius animus exagitabat.* Jug. 34. *quos quaestio exagitabat.* Sed omnibus his locis *exagitare* significat cruciare, vexare; quæ significatio a nostro loco aliena est. *negotium.* Sal. negotium sæpius posuit, ubi alii scriptores *res*, *factum* dicunt. id quod etiam apud Plautum occurrit. *in atroci negotio* i. e. rebus asperis. Liv. 3. 4. quæ forma senatus consulti ultimæ semper necessitatis habita est. Plut. V. Cic. cap. 15. τοῦτο οὐ πολλάκις, ἀλλ' ὅταν τι μέγα δείσῃ, ποιεῖν εἴωθεν ὁ σύγκλητος. Ceterum Plutarchus narrat, hoc senatus consultum tum demum factum esse, cum ex litteris a Crasso Ciceroni media nocte redditis conjuratorum consilia accuratius cognita fuissent. consentit Dio Cass. 37. 31; *magistratui* i. e. consulibus, sed nonnunquam consulibus, prætores, tribuni plebis et consulares adjungebantur. cfr. Cæs. B. C. 1. 5. Cic. Ep. Div. 11. 16. *solet*: absolute ut Jug. 66. Cic. Ep. 9. 16. *ut olim solebat.* et sæpius alibi. *aliter* i. e. alioquin. vide infra 44. Cic. Offic. 1. 34. *ea potestas* etc. i. e. hæc potestas est maxima, quæ permittitur etc. *exercitumparare.* infinitivus pro gerundio, ut supra cap. 17. *coercere* proprie est cohibere, refrenare, reprimere. Cæs. B. Civ. 1. 57. *coercere milites et in officio continere.* sed sæpius idem quod punire; *coercere morte, exsilio, vinculis.* Cic. Off. 5. 3. *judicium summum* i. e. sine provocatione. *nulli.* formam antiquam genitivi pro nullius positam esse putant. Nam Prisciano teste VI. 1. pag. 220. Ed. Krehl: « hoc quoque habet rarior usus et vetustior. eodem loco genitivi in *ae* desinentis *unae totae* etc. multa enumerat exempla. et l. l. pag. 143. « quamvis vetustissimi soleant omnium in *ius* terminantium genitivum et in i dativum, etiam in i genitivum et in o dativum in genere masculino et neutro, in fœminino vero secundum primam declinationem in æ diphthongum proferre." eodem loco exemplis probat *alii*, *soli*, *illi* et *ipsi* pro genitivo in ius a Catone dictum esse. *tum nulli consilii* est apud Terentium Andr. 3. 5. 2. *coloris ulli.* Plaut. Truc. 2. 2. 38. Sed ex his omnibus id solum patet in masculino et neutro genere antiquam genitivi terminationem in *i* locum habere posse, sed in fœminino genere non item. quare etiam nunc dubito, *nulli* genitivum an dativum habeam; genitivo certe, salvis Prisciani regulis, locus non est. Quod enim Cortius statuit, adjectiva et pronomina neutra etiam in genitivo aliud substantivum regere posse, hoc vix putave-

rim. Nam quæ laudavit exempla, ab hoc loco alienissima sunt. dativum si esse statuis, *nulli* pro *non* positum esse: quod apud Plautum Terentiumque ipsumque Ciceronem satis frequens est. Ep. Attic. 15. 23. *Sextus ab armis nullus discedit.* — *jus* i. e. potestas. Jug. 2. *quibus per fraudem jus fuit.* cfr. supra cap. 20.

Cap. XXX. *L. Saenius.* hæc melior scriptura. Codd. ceteri *Senius* vel *Sennius* habent. *a. d. VI.* consentit Cicero Or. Cat. 1. 3. *portenta atque prodigia.* cfr. Thuc. II. 8. *portenta.* Paul. apud Fest. „portenta rerum fieri dicuntur, cum solita corpora raro se ostendunt, ut cometæ, turbines, barathra, sereno cœlo facta tonitrua." *prodigium.* Fest. „Prodigia, quod prodicunt futura, permutatione G literæ; nam quæ nunc g appellatur, ab antiquis C. vocabatur. cfr. Cicer. N. D. 2. 3. perperam Non. Marcell. 1. 212. quænam prodigia fuerint. vide apud Cic. in Catil. 3. 8; De Div. 1. 11; 12. Plut. Cic. cap. 14. *ἐδόκει δὲ καὶ τὸ δαιμόνιον προσημαίνειν τὰ πρασσόμενα σεισμοῖς καὶ κεραυνοῖς καὶ φάσμασιν.* cfr. DioCass. 37. 25. Plin. H. N. 2. 52. *In Catilinariis prodigiis Pompejano ex municipio M. Herennius decurio sereno die fulmine ictus est. Senati*, hanc terminationem a Salustio usitatam fuisse, testatur Charis. pag. 10. „*Senatus.* quanquam et veteres secundæ declinationis extulerunt, sicut Salustius: *Nam duobus senati decretis.* consentit Priscian. VI. 14. pag. 268. Ed. Krehl. „Salust. in Catilinario. *Senati decretum fit, sicut ille censuerat.* imo Quintilianus Institutt. Rhetor. 1. 6. incertum esse inquit *senatus* an *senati* dicendum sit? et Charis. p. 116. ipsius Ciceronis locum laudat, ubi *senati* scriptum est. — *Q. Marcius Rex.* cfr. Cic. Orat. in Pis. 4. L. Metelli collega in consulatu. a U. C. 685. censor fuisse dicitur. Or. pr. Domo. cap. 50. Cic. in Pis. cap. 22. virum fortem inprimis, belli ac rei militaris peritum et familiarem suum dicit. *Q. Metellus Creticus.* cfr. Or. Verr. 1. 19. pro Flacco c. 13. Ep. ad Attic. 1. 19. Dio Cass. 36. 28. Eutrop. 6. 9. et 13. Flor. 3. 7. Liv. Epit. 98. Plutarch. Vit. Pompej. cap. 29. Vellej. Paterc. 2. 34. *missi*: *Nam utrique.* Med. 6. Ven. 2. *Nam hi utrique.* Med. 8. 11. *missi*: *utique.* Ven. 1. Min. 2. *circum ea loca.* Barb. 3. *paucorum potentium.* Med. 11. *imperatores ad urb.* Ascon. Act. in Verr. 1. 15. *sic dici solet de iis, qui cum potestate provinciali aut nuper e provincia revertissent aut nondum in provinciam profecti essent.* Senec. de Benef. 5. 15. *qui ne triumphaturi quidem intrare urbem injussu senatus deberetis, quibusque*

exercitum victorem reducentibus curia extra muros praeberetur. cfr. Cæs. B. Gall. 6. 1. *quibus omnia* etc. eadem verba leguntur in Jug. c. 80. *Q. Pompejus Rufus.* vide Ern. Clav. Cic. *Q. Metellus Celer.* qui postea Galliam provinciam, quam Cicero deposuerat, proconsule administravit. Ernest. Clav. Cic. et Ep. ad Div. V. 1. 2. *compararet.* Cod. Eichh. *pararent.* sed comparare copias etiam Cicero Orat. c. 66. *et sestertia centum.* omisit Eichh. *facta erat.* indicativus pro conjunctivo in oratione indirecta positus. vide supra cap. 27. *sestertia.* cfr. Wurmii librum *de Ponderum, Nummorum et mensurarum rationibus* satis accurate scriptum. *decrevere* quod Cortio suspectum, omnium Codd. auctoritate confirmatur. jam omitti quidem poterat, id quod locus ap. Frontinum de Aquæductt. §. 101. luculenter comprobat, sed in tot Codd. consensu nihil mutandum. *familiae gladiatoriae.* vocabulum in hac re proprium; Sueton. Aug. 42. Cic. pro Sulla 19. Cæs. B. Civ. 3. 21. ceterum per Italiam distribuebantur gladiatores, ne homines feroces atque ad pugnandum habiles Catilinæ sociis auxilio essent. cfr. Cic. in Cat. 2. 12. *gladiatores quam sibi ille maximam manum et certissimam fore putavit. . . . . potestate tamen nostra continebuntur.* idem et aliis temporibus factum. cfr. Cic. Ep. Attic. 7. 14. *minores magistratus.* Aediles, Quæstores Triumviri et Tribuni. cfr. Aul. Gell. 13. 15. majores magistratus sunt Consules, prætores et censores, quorum maxima sunt auspicia. Liv. 39. 14. 16. ædiles et plebejos, atque triumviros capitales minores magistratus dixit.

Cap. XXXI. *quibus rebus.* cum Sal. aliis locis antiquiore forma *quis* usus sit, putaverit aliquis etiam hoc loco eam esse per emendationem restituendam, sed libri Mss. vulgatum constanter retinent; *permota* i. e. commota, turbata. cfr. Lucret. 6. 726. *cum mare permotum ventis ruit intus arenam.* Cæs. B. G. 7. 53. *confirmatis militibus ne ob hanc causam animo permoverentur. facies erat.* verbum substantivum, hoc loco maxime incommodum, delere non ausus sum, quod ne unius quidem codicis lectio emendationis audaciam excusabat. jam cum in Med. sexto verbum omissum sit, hujus libri auctoritatem sequi nullus dubito. *facies.* cfr. Cic. pro Flacco. 22. *fateantur, in Maeandrii persona esse expressam faciem civitatis.* Tac. Hist. 4. 22. *mixta belli civilis externique facie — credere.* cfr. Jug. 72. *neque loco neque mortali cuiquam aut tempori satis credere.—reipublicae magnitudine*

ablativus pro accusativo cum præpositione *propter*, quod apud Salustium non adeo rarum est. *incesserat.* accesserat. Vat. 5. sed ex hac varietate scripturæ non sequitur, *incesserat* esse delendum. imo potius hæc structura tam insolita, ut a librario ficta esse non possit. cfr. Tac. Ann. 3. 36. *incedebat enim deterrimo cuique licentia* Liv. 4. 57. *graviorque cura patribus incessit.* sæpius sequitur accusativus, rarius abl. c. præp. in. cfr. Liv. 29. 24. *afflictare se* i. e. angi, cruciari. Cic. Tusc. 3. 32. Cum se Alcibiades afflictaret, et l. l. cap. 27. *afflictari et lamentari.* sunt qui *afflictare* pro *plangere* dictum esse volunt, sed loca quibus hunc usum loquendi confirment, non afferunt. Ceterum in rem cfr. Liv. 3, 7. 26. 9; — *superbia.* vide Ovid. Fast. 1. 419. *fastus inest pulcris sequiturque superbia formam.* — *movebat* i. e. agitabat, volvebat. cfr. Liv. 1. 17. *cum sensisset ea moveri.* id. 2. 58. omnes sua *sponte motam remittere industriam* — *lege Plautia.* quæ lata est a M. Plautio Silvano, Strabone et Catone Coss. A. U. DCLXIV. de *vi*, *armatis hominibus*, ut de ejus capite quæreretur, qui vim fecisset. cfr. Anton. Augustini Lib. de Legg. s. v. Sigon. de iudiciis II. 33. cum alia tum hæc ejus legis capita fuisse putat: *is*, *cujus haec quaestio erit*, *de ejus capite quaerito*, *qui adversus rempublicam conjurarit*, *insidias senatui fecerit*, *magistratibus vim attulerit*, *qui cum telo in publico fuerit*, *aut seditionis causa loca superiora occuparit alienasve aedes saxis ignibus aut ferro oppugnarit.* cfr. Declamatio Sal. in Cic. 2. Cic. Ep. ad Div. 8. 8. Cic. pro Milone 13. in Or. pro Sextio idem dicit, hanc legem fumantes reliquias conjurationis Catilinæ exstinxisse. Hanc legem, Lepido in Sardinia interfecto, Catulus consul confirmandam multaque adjicienda curaverat; ad eandem referenda, quæ Cicero in Or. pro Cœlio dicit: *Lex est*, *quae de seditiosis consceleratisque civibus*, *qui armati senatum obsederint*, *magistratibus vim attulerint*, *rempublicam oppugnarint*, *quotidie quaeri jubet.* Aliæ fuerunt leges de vi duæ Juliæ, Cæsaris et Augusti, de quibus vide Sigon. l. l. *L. Pauli.* vid. Cic. in Vatin. 10. Epp. ad Div. 15. 12 et 13; consul fuit Anno U. C. 704. simul cum C. Claudio Marcello. cfr. App. de B. Civ. II. 26. Παῦλον δὲ χιλίων καὶ πεντακοσίων ταλάντων ἐπρίατο, μῆδεν αὐτῷ μήτε συμπράττειν, μήτε ἐνοχλεῖν. . . . Παῦλος μὲν δὴ τὴν Παύλου λεγομένην βασιλικὴν ἀπὸ τῶνδε τῶν χρημάτων ἀνέθηκε Ῥωμαίοις, οἰκοδόμημα περικαλλές. *interrogatus.* i. e. postulatus. v. supra c. 18. et Vellej. 2. 13. ceterum hoc notandum, omis-

sum esse a Salustio, quod Cic. Or. 1. in Cat. c. 8. memorat, Catilinam vitandæ suspicionis causa apud M. Lepidum se habitare velle dixisse, a quo non receptum, cum alios, tum ipsum Ciceronem adiise, ut in ejus domo asservaretur. *et sui expurgandi.* Eichh. *et ut sui* alius liber nescio quis; sed neutra lectio probanda. *jurgio.* jurgium dicit interrogationem L. Pauli. qua scilicet voce Catilina usus fuisse putandus est, hanc pro propria scriptor posuit. Eadem fere ratione Cicero publicam quæstionem *jurgio* opposuit. pro Cœlio c. 13. *omnia sunt alia non crimina, sed maledicta jurgii petulantis magis quam publicae quaestionis.* pro *lite* jurgium dixit Asconius Comm. in Cic. Or. in Verr. 3. 45; *nihil se deterius in possessione facturum, de qua jurgium esset. sicuti.* i. e. tanquam, ac si. cfr. infra 38. *alii, sicuti populi jura defenderent.* similia sed non eadem sunt loca apud Ciceronem, quæ Horat. Tursell. p. 1232. laudavit, apud quem hæc particula tantum nominibus, non verbis et sensibus comparandis inservire dicitur. *in Senatum.* Cicero senatum in Jovis statoris templum convocaverat. cfr. Or. in Cat. 1. 5. 13. a. d. VI. Id. Novembris. cfr. Or. in Cat. 2. cap. 6. pro Sulla cap. 18. *sive praesentiam etc.* scite Salustium causas significasse, quibus impulsus Cicero orationem in Catilinam habuerit, facile est ad intelligendum, si ipsam orationem accuratius examinaveris. quantumvis enim illam orationem laudaveris, tamen ira et timore, pessimis consultoribus usum esse Ciceronem neminem fugiet. *luculentam* i. e. luminibus verborum et sententiarum ornatam; perperam Isidor. X. L. *luculentus ab eo quod sit lingua clarus et sermone splendidus."* — *ut erat paratus.* v. supra cap. 5. *quam postea scriptam edidit.* qui hæc damnant, Cortius et Gruterus, quod et aliis hoc usitatum fuerit (Cic. Læl. 25. De Senect. 11.) parum intellexerunt, hæc a Salustio addita fuisse, quod exemplum orationis non transscripsit. *bona omnia* i. e. optima quæque. cfr. supra cap. 26. *extrema omnia.* Horat. Satir. 1. 3. 13. *omnia magna loquens.* nota in his simplicitatem orationis. *in plebem Romanam.* hæc suspecta habuit Cortius, quippe quæ ex compendio scripturæ R. P. nata essent; sed sanam esse omnium librorum lectionem cum ea ostendunt, quæ antecesserunt; *homini patricio,* tum quod in sequentibus *opus esse* absolute poni non potuit. *inquilinus.* figurate hoc loco dictum: proprie enim alienæ domus habitatores hoc nomine dicebantur, qui cum sæpius peregrini et advenæ essent, duarum vocum significatio mutata est.

cfr. Appian. de Bell. civ. II. 2. Καῖιλίνας δ' αὐῖὸν ἐς ὕβριν ἑλομένων ἐπέσκωπῖεν, ἐς μὲν ἀγνωσίαν γένους, καινὸν ὀνομάζων. (καλοῦσι δὲ οὕῖω ῖοὺς ἀφ' ἑαυῖῶν ἀλλ' οὐ ῖῶν προγόνων γνωρίμους) ἐς δὲ ξενίαν τῆς πόλεως Ἰγκουιλῖνον, ᾧ ῥήμαῖι καλοῦσιν τοὺς ἐνοικοῦνῖας ἐν ἀλλοῖρίαις οἰκίαις. hanc ob rem verba *civis urbis Romae*; quæ Cortius et ipsa parum certa putavit, omnino necessaria. *cum adderet.* de conjunctione transposita. cfr. c. 1. *hostem atque parricidam* i. e. perduellem; sed hostes dicebantur proditores patriæ, quoniam plerumque senatus eos bello persequendos esse censuit; parricidæ ob læsam pietatem. cfr. Appian. de B. C. 1. 60. et Tac. Hist. 1. 85. *hostem et parricidam Vitellium vocantis — circumventus.* cfr. cap. 34. *se falsis criminibus circumventum* Cic. Offic. 2. 14. *ut ei subveniatur, qui potentis alicujus opibus circumveniri urgerique videatur.* C. Tac. Ann. i. 13. omnes variis criminibus, struente Tiberio, circumventi sunt. *praeceps agor* cfr. supra cap. 25. *praeceps abire* et Liv. 27. 27. *in praeceps dare.* etiam *praecipitare* Liv. dixit 22. 12. *ad praecipitandam rempublicam*, et 27. 40. *cum ad Cannas praecipitasset res Romana. — incendium* i. e. periculum quod sibi intendatur. cfr. Flor. 4. 1. perperam hanc dictionem explicat Val. Max. 9. 11. 3. cfr. Cic. pro Muræna cap. 25. *si quod esset in fortunas suas incendium excitatum, id se non aqua sed ruina exstincturum.* ex eodem loco colligas, aut sæpius Catilinam hac voce usum esse,) hæc enim Catoni illum respondisse Cicero dicit) aut Salustium alieno loco hæc dicta laudasse. locutio hac in re frequens. cfr. Liv. 7. 30. 21. 10. 22. 40; 39. 6. Vellej. 2. 125. Cic. pro Sextio 56. Justin. 1. 7.

Cap. XXXII. *Curia*, Jovis Statoris templum erat, quod supra memoratum est, sed templa quoque curiæ sunt appellatæ. Varro de L. L. 4. 32. *curia ubi senatus rempublicam curat.* Non. Marcel. 1. 278. *proripuit* proprie ad locum refertur, unde aliquis egreditur; hoc loco ad furorem hominis designandum appositum. cfr. Terent. Hecyr. 4. 1. 3. *corripuit derepente tacitus sese ad filiam.* Liv. 8. 30. *se ex curia corripuit. se in publicum* id. 8. 28. *secum ipse* Vat. 6. Barb. 1. 2. 4. *ipse multa secum* Vat. 1. *ipse* om. Vat. 3. *secum multa.* Flor. 1. 4. Med. 8. eadem lectionis varietas infra cap. 52. Jug. 62. 112. et 113. in ordine verborum mutato *secum ipse* nonnulli euphoniam quandam sibi deprehendisse visi sunt. *insidiae consuli* scil. structæ. cfr. Cato R. R. *semen satui* Seneca de Clem. 1. 6. *tribus theatris viae postulantur.*

Cæs. B. G. 1. 20. *ut locum domicilio ex magna copia deligerent.* de hoc loquendi usu cfr. Ruddim. Inst. L. L. II. pag. 88. et pag. 239. substantiva verbalia inprimis hoc modo construuntur. *optumum factum.* factum et hoc loco et infra c. 35. 57. Jug. 107. cfr. Plaut. Pseud. 1. 2. 52. Ter. Andria 1. 5. 1. *hoccinest humanum factum aut inceptum?* ubi Donatus: « *in aliis facta aut incepta fuit.*" et Bentlejus: « hoc interest, si *factum* legis, ad singulare quid respicis, si facta ad omnia circa nuptias et præterita et futura." sed hoc discrimen a nostro loco alienum; *factum* antiquius dictum esse statues. *legiones scribere.* i. e. conscribere. cfr. Jug. 39. 43. Cic. Ep. ad Div. 3. 3. *antecapere.* varius hujus verbi sensus apud Salustium. cfr. supra 13. *luxu antecapere.* i. e. præcipere; tempus. cfr. infra c. 55. et Jug. 21. i. e. *praevenire.* sed hoc loco haud dubie significat *antea parare. multa,* quod Cortius exterminavit, omnium librorum auctoritate confirmatur. *belli facinora* insolite dictum. *cum paucis.* falsus est Plutarchus Vit. Cic. cap. 16. qui trecentos armatos Catilinæ comites fuisse dixit; erant enim illi antea via Aurelia præmissi. cfr. Or. I. in Cat. 1. 5. 2. 4. inconsiderate et hoc a Plutarcho dictum, viginti millia hominum in castra Manliana convenisse. *ad urbem.* præpos. *ad* Cod. Eichh. omisit. *legatos ad Marcium Regem.* legatos G. omisit, quod *mittere* absolute dictum esse putavit; quod quidem haud raro invenitur. cfr. Cort. ad Cic. Ep. 2. 8. et 11. 8. et Gronov. ad Liv. 8. 23. et 24. 19. et interpp. ad 34. 29; sed a nostro loco alienum; quæ enim sequuntur *cum mandatis hujuscemodi* poni non poterant, nisi nomen, ad quod referrentur, præcesserit, et ex tanto librorum numero unus Fabricius 1. *legatos* omisit. *Marcium Regem* qui a senatu Fæsulas missus fuerat. vide cap. 30.

Cap. XXXIII. *homini faceremus.* quam lectionem Cortius unius libri auctoritate permotus finxit (Guelf. 3.) ea a concinnitate, quam ille jactat, longe abest, imo ne exemplis quidem satis eam firmavit. Poterat laudare Cic. Ep. Div. 4. 4. *Dixit se senatui roganti de Marcello ne hominis quidem causa negaturum*; sed quæ apud alios scriptores occurrunt, Salustio non obtrudenda sunt. *faeneratorum.* Vatic. a *patria* idem liber; sed genitivus ut magis insolitus, ita Salustii orationi magis consentaneus. Constructionem enim variare quam maxime solet. vide supra cap. 25. *docta literis, multa alia.* Jug. 84. *plerosque militiae, paucos fama cognitos acoire.* — *patria, omnes.* Cod. Eichh. quod nescio

an elegantius sit. *nostrum cuiquam.* Vat. a. perperam. *lege uti.* i. e legis præsidio, qua cautum erat, ne nexi in vincula conjicerentur. *majores vestri.* Vatic. a. *majores nostri miserti* Cod. Eichh. Sed lectionis receptæ elegantiam cum Apollinaris apud Gellium 20. 6. tum nuper V. Cl. Orellius defendit. cfr. Cic. Or. pro Flacco. p. 40. et Perizon. Animadv. Hist. cap. 10. pag. 447. Ed. Amstelod. *tanta saevitia.* cfr. Tac. Ann. 6. 16. *vetus urbi foenebre malum et seditionum discordiorumque creberrima causa* de Legg. XII. Tabb. quæ de hac re sancitæ fuerant, vide Aul. Gell. 20. 1. Postea de ære alieno levando multæ leges latæ sunt, Licinia, Duillia, Mænia, Genutia, Sempronia, Valeria, Manut. de Legg. cap. 16; cfr. Liv. 7. 16 ubi de lege Duilia de unciano fœnore sita mentio fit. cfr. 7. 21. primum anno 429. U. C. lex a Coss. C. Poetelio et L. Papirio ad populum lata; *ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec poenam lueret, in compedibus aut in nervo tenerentur. Pecuniae creditae, bona debitoris, non corpus obnoxium esset.* Liv. 8. 28. Sed cum fœneratorum avaritia neque pœnis, neque atrocitate facti satis coerceretur, aliæ atque aliæ deinceps leges scriptæ sunt. cfr. Sigon. de antiquo jure civ. R. II. 11. Heinecc. Antiqq. Jurisp. R. 3. 15. 7. *saepe majores vestrum.* Liv. 7. 21. 6. 15. 27. 31. 34. 35. *memoria nostra. vol. omnibus bonis. boni* Ciceronis ætate ii potissimum dicuntur, qui a senatus partibus stant et optimatium factioni student; quæ res satis nota; sed etiam divites et locupletes hoc nomine appellati sunt. cfr. Plaut. Curcul. 4. 1. 14. *in foro infimo boni homines atque dites ambulant.* cfr. Capt. 3. 4. 51. Trin. 2. 4. 45. Cic. Ep. Att. 8. 1. *Etsi propediem video bonorum, id est lautorum et locupletum, urbem refertam fore.* Sed hoc loco Manlius cives honestos, integris probatisque moribus significare videtur. ita infra: *nemo bonus. — argentum aere.* cfr. Vellej. Paterc. 2. 23. *Valerius Flaccus* (in Marii septimum consulis locum suffectus) *turpissimae legis auctor, qua creditoribus quadrantem solvi jusserat.* pro sestertio igitur assem solvebant, qui eo tempore pars quarta sestertii fuit. cfr. Plin. H. N. 33. 3. *secessit.* quatuor secessiones a plebe factas esse Ampelius cap. 28. tradit. De quibus novissimus Ampelii editor V. D. Beck accuratius egit. quæ primæ et secundæ seditionis causa fuerit, satis notum. de tertia inter scriptores non convenit. Florus enim et Ampelius ob jus connubii cum plebe communicandum seditionem ortam esse tradunt. cfr. Amp. l. l. et Flor. 1. 13. sed rectius hoc ad tem-

pus retuleris, quo leges Liciniæ de altero consule plebejo latæ sunt. cfr. Ovid. Fast. 1. 643. et Plut. Camill. 39. qui μεγάλην στάσιν eo tempore fuisse dicit. quartum, auctore Livio, plebs a patribus secessit ob æs alienum. cfr. Epit. L. XI. *neque imperium.* Cod. Eichh. *neve urbis eam.* Vat. a. Eichh.

Cap. XXXIV. Pro *respondit*, quod Cortius ejecit et duorum librorum testimonio, et similibus locis quæ Jug. 102. 109. 111. Liv. 2. 8. 37. 52, leguntur, permotus, in Florentino 6. est *R.* per compendium scriptum. Unde aliquis conjiciat, primitus a librario hanc literam appictam fuisse, ut cognomen Marcii significaret; quæ postea, ab aliis male intellecta, effecerit, ut verbum interponatur. potest addi etiam hoc, præsentia, quæ sequantur, satis probare, perfectum non antecessisse. quæ si cui satis firma videntur, vel ex hoc loco colligere licet, ipsos optimos Salustii libros varie esse interpolatos. *velint.* Barb. 1. 4. 5. sed in meliorum librorum consensu nihil muto. similis est Ciceronis locus de Off. 1. 11. *scripsit, ut si eum pateretur in exercitu remanere, secundo eum obliget militiae sacramento."* ubi novissimus editor *obligaret* scripsit. *Massiliam in exilium.* hunc rumorem ab amicis Catilinæ sparsum fuisse auctor est Cicero. Or. in Cat. 2. 6. pro *Massiliam* Cod. Rost. *in Asiam* habet. *conscius fuit.* Med. 6. m. pr. *esset* m. sec. adpinxit. in Flor. 6. verbum substantivum sedem mutat. quam ob rem et quia ex sequentibus facile suppleri potest, Cortio assentior, qui *esset* omisit. Nam non solum *est*, *sunt*, *erant*, sed etiam modi conjunctivi tempora omitti, ex aliis Sal. locis intelligitur. cfr. Jug. c. 71. *sed quum hae literae adlatae, forte Nabdalsa* etc. l. l. c. 53. *et paene imprudentia admissum facinus miserabile. Q. Lutatius Catulus.* clarissimi patris filius haud ignobilis, quem Cicero Off. 1. 22. Cn. Pompejo parem judicat. ejusdem insignes laudes lege in Or. Manil. cap. 20. *talis est vir, ut nulla res tanta sit ac tam difficilis, quam ille non et consilio regere et integritate tueri, et virtute conficere possit.* Aemilii Lepidi in consulatu collega acta Sullana contra eum defendit. cfr. Cic. Or. in Cat. 3. 10. Salust. Hist. Fragm. 1. 19. Vellej. Paterc. 2. 32. *redditas.* dat litteras qui scribit, reddit nuncius, cui traditæ sunt. *nomine.* cfr. Cic. pro Murena. cap. 33. *praesertim talis viri nomine rogatos* et saepius alibi.

Cap. XXXV. *L. Catilina salutem dicit Q. Catulo.* ita Vat. a. Q. Catulo Salutem. Barb. 2. 3. 4. 5. *grata mihi.* hæc verba durissime antecedentibus adjecta esse, nemo est, quin intelligat. Sed ne unus quidem liber hoc in loco a vulgata lectione discedit, nisi quod Vat. a. *in magnis* habet. qua quidem lectione facilius fieri potuit, ut auctoris verba, quæ Cortius restituisse sibi visus est, corrumperentur. Ursinus verba *re cognita* expunxit, et pro *grata*, *gnara* substituit; cujus vocis insolitæ explicandæ gratia librarios *re cognita* adscripsisse statuit. Ingeniosior etiam est Cortii conjectura; sed ne tum quidem omnis difficultas tollitur; vix enim satis explices, cur *grata* fiducia dicta sit, *injucundam* enim fuisse nemo est, qui existimet. quare tale quid addere etiam apud alium scriptorem insolitum, sed apud Salustium plane inportunum est. Neque solum propter pericula hanc fiduciam ei jucundam fuisse putaveris. Commodius hoc ad fidem refertur, quæ in periculis jucundissima esse solet; quare si retinetur omnium librorum lectio, post *periculis* interpungendum. Aut abrupta aut contorta erit oratio, quamcunque lectionem defenderis. Hujus rei causa mihi esse videtur, quod haud dubie ipsius Catilinæ verba immutata auctor expressit; totius enim epistolæ oratio a Salustiana dicendi ratione abhorret, et turbatam auctoris mentem ostendit. *novum consilium* dicit conjurationem, ut verbi lenitate rem atrocissimam levaret. *defensionem — parare.* i. e. non tanquam in judicio causam agam, ad te scribam. *satisfactio* i. e. excusatio. cfr. Cæs. B. G. 6. 8. Cic. Ep. Div. 7. 13. *ex nulla* etc. i. e. quod nullius culpæ mihi conscius. cfr. Jug. 39. *consul Albinus ex delicto — invidiam timens*; et 32. *ex conscientia diffidenti rebus suis persuadet — conscientia de.* Cic. Ep. ad Att. 2. 24. *his de rebus conscium esse Pisonem* etc. sed præpositiones loco genitivi ponere Tacito maxime usitatum est. *Dius Fidius.* quem Græci Δία πίστιον dicunt. cfr. Dion. Halic. 2. 49; et 9. 60. Latini Grammatici perperam Jovis filium interpretantur, eundemque cum Hercule, Sanco et Semone esse putant. cfr. Varro L. L. 4. 10; Fest. s. v. Ovid. Fast. 6. 213 quam opinio nem eos concepisse putaveris, quod mehercules, mecastor, dixerunt, et non nisi per Jovis filios jurari posse statuerunt. Sed recte Græcos scriptores illum jurandi formulam interpretatos esse dubium non est. Fieri autem potest, ut Sabinus ille deus Sancus potissimum fidei servandæ auctor esse putaretur. *agnoscas.* Barb. 1. *injuriis* etc. repulsas, quas tulerit, intelligit; sed miror Cortium pronomen possessivum *meae* non in

dubium vocasse, quippe qui ubique ab aliena manu id adjectum esse statuat. *statum dignitatis.* Cic. Ep. Div. 4. 9. *fortuna tua laudatur, quod honesto otio tenueris et statum et famam dignitatis tuae.* sed is dignitatem intelligit, gestis honoribus paratum, Catilina contra ita locutus est, quod eo honore se dignum esse judicavit. *non quin. quin* est quo non, quod non. cfr. Cic. Ep. Div. 4. 7. *Non quin ab eo dissentiam. meis nominibus.* scil. contractum. cum enim eorum, qui pecuniam mutuam sumebant, nomina in tabulas referrentur, et debitores et debita *nomina* dicebantur (Schuldtitel.) cfr. Brisson. de Formulis VI. pag. 600. *possim.* Vat. a. quod aliquis defendat loco supra examinato. (cap. 34. *vellent*) sed propter perfectum, quod præcedit, imperfectum utique necessarium est. *cum alienis.* Ven. 1. 3. Med. 2. 3. 6. Barb. 1. 5. Vat. 1. 2. 6. *etiam alienis.* Med. 8. 11. Barb. 3. *cum et ex alienis.* Min. 2. *et alienis* retinet. Vat. a. et ex ipsa varietate lectionis intelligitur, in antiquis libris ita scriptum fuisse. *non dignos. dignus, indignus, peritus,* etiam absolute poni, contra ac Grammatici præcipiunt, satis constat. *honore honestatos* nota paranomasiam. Plaut. Capt. 2. 2. 106. *quum me tanto honore honestas.* simile illud Catonis dictum: *laudant me maximis laudibus*; *alienatus* scil. ab honore. *hoc nomine.* nomen et veram et fictam causam exprimit, quod satis notum. *pro meo casu.* i. e. conditione. cfr. Cic. Ep. ad Div. 10. 8. *cum in eum casum me fortuna demisisset. commendo* absolute positum ut sæpius cfr. Cæs. B. C. 2. 41. et 3. 57. *trado,* vox in hac re propria, alibi *de manu in manum tradere* dicitur. Cic. Ep. ad Div. 7. 6.

Cap. XXXVI. *C. Flamminium Flammam.* Cicero Flammæ cujusdam aliquoties mentionem fecit. Ep. ad Div. 15. 24; ad Att. 12. 52; 14. 16. ex quibus locis id tantum cognoscitur, pecuniam eum Ciceroni debuisse. male Ernestius in Clavi Cic. Titum ejus prænomen scribit. *Aretino* ex Italicis libris soli Med. 9. Ven. 4. Cum autem Catilina, ut supra memoratum est, via Aurelia perfectus sit, fieri non potuit, ut Reate perveniret. Neque verisimile est, istis in regionibus multos conjurationis socios fuisse; sed Arretium in media Etruria situm, et propter colonos Sullanos, et propter plebem inopem novarum rerum cupidam, Catilinæ consiliis opportunissimum fuit. *armis exornare.* i. e. instruere. *classem.* Justin. 5. 6. *aciem.* Jugurtha 52. *cum fascibus.* cfr. Appian. B. Civ. II. 3. ὁ μὲν δὴ ῥάβδους τε καὶ πελέκεας ὥς τις ἀνθύπατος, κόν-

φως μάλα ἀπέσχε περὶ ἑαυτοῦ. consentit Plut. Vita Cic. cap. 16. *comperta sunt.* verb. subst. om. Vat. 6. probo. *sine fraude.* i. e. sine periculo. locutio ex foro repetita. *praeter* adverbii loco positum. Cic. Ep. ad Q. Fr. 1. 1. §. 5. „E Græcis ipsis diligenter sunt cavendæ amicitiæ præter hominum perpaucorum." *dilectum.* Vat. 1. cfr. quæ supra de hac re disputavi. *multo.* superlativis ut longe additur. cfr. infra c. 52. *multo pulcherrimum.* Liv. 1. 9. *multoque id maximum* fuit Cic. de Harusp. Resp. 6. *vestrae domus — multo maxima ex parte sunt liberae. — parerent* quod Cortius in *paterent* corrupit, haud dubie verum. quæ armis domita sunt, non *patent* sed *parent.* pravo quodam emendandi studio se induci passus est vir doctissimus. cfr. supra cap. 10. *prima mortales putant.* cfr. Jug. cap. 41. 84. Terent. Heaut. 5. 2. 9. *perditum irent.* hæc circumscriptio futuri in antiquo sermone satis usitata. cfr. Terent. Andr. 1. 1. 107. *Cur te is perditum?* infra cap. 32. *ut bonos omnes perditum irent.* cap. 58. *ultum ire injurias festinat.* Plaut. Cist. 1. 1. 4. *qui magis potueris mihi honorem ire habitum.* Liv. 26. 27. *ne se ad ultimum perditum irent.* Cato apud Gell. 10. 14. *in illa contumelia, quae mihi per hujusce petulantiam factum itur.* Virgil. Aen. 2. 786. *ibo servitum.* Curt. 10. 8. 5. *temeritatem armis ultum ivit.* Justin. 38. 5. *quin ultum ierit se.* cfr. Ruddim. Inst. Gr. L. II. p. 258. n. 80. *duobus senati decretis* i. e. propositis. etiam simplici ablativo auctor pro ablativo absoluto utitur. cfr. Cic. Ep. Div. 4. 6. *Nunc autem hoc tam gravi vulnere, etiam illa, quae consenuisse videbantur, recrudescunt.* id. pro Archia 3. *hac tanta celebritate famae, cum esset jam absentibus notus, venit Romam.* cfr. Tac. Ann. 3. 17. cfr. Salust. Hist. Fragm. *At discordia et avaritia atque ambitio et cetera secundis rebus oriri sueta mala.* cetera quæ laudavit Cortius exempla ad Cic. Ep. ad Div. 4. 1; 4. 6; 5. 1. aliena sunt. *ac veluti tabes.* Med. 12. *morbi uti tabes.* Ven. 4. Barb. 4. quibus cum duo Gruteri tres Wassii libri accedant, copulam delendam esse puto. cfr. hist. Frag. 4. 9. *qui quidem mos, uti tabes, in urbem conjectus.*

Cap. XXXVII. *aliena mens* scil. a republica. Cic. Ep. 15. 4. *ex alienissimis amicissimos reddere.* pro Dejotaro. 9. *alieno animo esse in aliquem. — plebes* de qua forma parum accurate disputavit Cortius cfr. Schneider de Formis L. L. pag. 359. *id adeo.* Donat. ad Ter. Eunuch. 1. 2. extr. expletivam particulam *adeo* dicit. etiam Serv. ad Virg.

Georg. 1. 24. quidam *adeo* abundare putant; sed hoc nihili est. sæpius pro quidem positum esse videtur. Plaut. Pseud. 4. 7. 3. *suum qui officium facere immemor est, nisi adeo monitus.* Cic. Verr. 4. 69. *id adeo ex ipso C. cognoscite.* pro Archia 6. *atque hic adeo mihi concedendum est magis.* Ep. ad Att. 9. 19. *hanc adeo habeo gratiam illi.* Liv. 2. 29, *id adeo malum ex provocatione natum.* nostro inprimis usitatum. cfr. Jug. 65. 90. 91. *more suo.* cfr. Herodian. 6. 7. *odio suarum* etc. Tac. Ann. 3. 44. Thucyd. 3. 84. *mutari omnia stud.* de accus. c. Inf. cfr. supra c. 1. *habetur.* vide eod. l. *urbana plebes.* cfr. Liv. 9. 46. *ubi forensis factio* dicitur. cfr. Cic. Ep. ad Att. 1. 16. *ea vero.* pronomen magna cum vi repetitur, ut animus legentium ad substantivum, quod antecesserat, magis adverteretur. Liv. 1. 58. *cultrum, quem sub veste abditum habuerat, eum in corpore defigit.* Plaut. Poen. 5. 2. 109. *Pater tuus, is erat frater patruelis meus.* Cic. Ep. ad Div. 13. 28. *illud, quod supra scripsi, id tibi confirmo.* cfr. Ruddim. Inst. L. L. II. 370. particulæ *vero* eadem fere vis est. cfr. infra cap. 58. *arma enim ab hostibus avertere, ea vero dementia est. ierat* ex Italicis Cod. solus Vatic. 2. ceteri omnes ad unum *erat* — *multis de causis.* præpositiones transponere, Tacito inprimis usitatum; sed ne a Ciceronis quidem sermone alienum. cfr. Cic. Ep. ad Div. 17. 13. *multis et magnis de causis,* præterea cfr. Cæs. B. G. 6. init. Lucret. 5. 703. Cicer. de Sen. 7. Ep. ad Div. 4. 10. Liv. 25. 1. infra Jugurth. cap. 79. *probrum.* stuprum, flagitium Festus explicat. infra in Jug. 44. *ignaviae luxuriaeque probra dicuntur. petulantia.* procacitas, protervitas; non satis accurate Fest. *petulantes et petulci etiam dicuntur, qui protervo impetu et crebro petunt, laedendi alterius gratia.* Cic. Or. in Cat. 2. 11. *ex hac parte pugnat pudor, illic petulantia* pro Fontejo. 12. *nulla turpitudo, quae a libidine, aut a petulantia, aut ab audacia nata esset. praestare* fere in bonam partem dicitur; vix præter hunc, alium locum inveneris, ubi aliter usurpatum sit. sed *excellere* etiam apud Ciceronem de Legg. 1. 19. *qui singulis vitiis excellunt.* — *in sentinam.* i. e. in interiorem navis partem, quæ cloacæ similis erat. reliqui scriptores fere ipsam aquam intelligunt. cfr. Cic. Or. in Cat. 1. c. 5. Ep. ad Att. 1. 19. Liv. 24. 29. unus Ciceronis locus nostro similis. Ep. ad Div. 9. 15. *Sedebamus enim in puppi et clavum tenebamus, nunc autem vix est in sentina locus.*

Ceterum notanda orationis varietas, quæ et in verborum structura, et in similium vocum compositione cernitur. *ex gregariis mil. alios senatores.* cfr. Appian. de bell. Civ. 1. 60. Sulla quingentos ignobiles in Senatum legerat. *victu atque cultu.* hæc abundanter expressit auctor, ut rem augeret atque amplificaret. *foret — sperabat.* constans omnium fere librorum lectio. quæ cur rejiciatur, non intelligo. mihi enim Cortius non persuasit, utique necessarium esse, ut pronomen *quisque* pluralis numerus sequatur, si subjectum, cui pron. additum, plurali numero expressum sit. Aliorum enim scriptorum parum firma est auctoritas; et Salustianæ orationi hoc ἀνακολουθίας genus quam maxime consentaneum esse videtur. *privatae et publicae largitiones.* pessimum morem, largitionibus plebeculæ gratiam captandi, ea ætate maxime viguisse, non est, quod fusius doceamus. cfr. Plut. Vit. Cat. min. c. 21. Cic. Verr. 3. 30. Plut. Crass. c. 12. Sueton. V. Jul. c. 9. *maxima spe.* i. e. quibus perturbata republica plurimum spei erat. *alios omnis* i. e. aliosque, qui quacunque de causa in urbem migraverant. similis esse videtur solemnis formula, in senatorum suffragiis ferendis sæpius usurpata, *qui hoc, qui alia omnia.* cfr. cap. seq. *aliaque omnia tenere. victoria Sullae.* vide supra cap. 28. et 36. *duobus senati decretis — jus libertatis.* pertinent hæc ad legem Corneliam de proscriptorum liberis, quibus jus honores petendi a Sulla ereptum et a Julio Cæsare restitutum est. cfr. Augustin. de Legg. Græv. Antt. Romm. Thesaur. Tom. II. pag. 1292. Plutarch. Vit. Sull. cap. 31. et Cic. in Pisonem 2. Cicero enim initio consulatus legem hac de re promulgatam dissuaserat. *conturbari R. P.* cfr. Vellej. 2. 91. *ita se mores habent, ut publica quisque ruina malit occidere quam sua proteri et idem passurus minus conspici.*

Cap. XXXVIII. *Cn. Pomp. et C. Crasso Coss.* cfr. Vellej. Paterc. II. 48. Cic. de Legg. 3. 7. in Verr. 3. 15. Cæs. B. C. I. 5. *adulescentes* quæ sit consuetudo scriptorum Latinorum in vocum usu, quæ ad ætatem pertinent, jam supra cap. 4. 28. docuimus. Cicero Antonium, cum tribunus plebis esset, et ipse adolescentem dixit. II. Phil. 21. cfr. præterea, infra cap. 49. Ovid. A. A. I. 182. Plin. Ep. 1. 18. Sueton. Aug. 20. Nepos Vita Att. cap. 8. et 16. Gell. N. A. 18. 4. Manut. ad Cic. Ep. II. 1. Bernegger ad Justin. 42. 2. *summam potest. nacti.* frustra hæc Cortius suspecta habuit; omnia bene se habent; hæc enim aptissime antecedentibus opponuntur. juvenes enim, ad altius dignitatis fastigium evecti,

facile ad prava consilia abripiuntur. *verum* quod Cortius delevit, omnes Italici libri constanter retinent; atque res ipsa satis hanc vocem defendit; non enim hoc auctoris est consilium, ut haec aliena de tribunicia potestate paucis absolveret; commodius enim omitti poterant; sed breviter dicturus erat, quod res haberet; cum plurimorum is esset animus, ut honestis nominibus prava animi consilia tegerent. *post illa tempora.* haud dubie vera lectio. non enim illis temporibus, quæ non admodum remota erant a Catilinaria conjuratione (quindecim enim anni intercesserant); sed inde ab eo tempore, quo potestas tribunicia restituta fuerat, is mos invaluit. Gabinium, Metellum Nepotem, Clodium, aliosque significat. *agitavere.* cfr. Jug. 41. et 37. *sicuti.* cfr. supra 28. *armati sicuti salutatum — bonum publ. simulantes* i. e. prætexentes, cfr. Vellej. 2. 62. *ubicunque ipsi essent, praetexentes esse rempublicam.* de re cfr. Tacit. Ann. 11. 17. Hist. 4. 73. Thucyd. 3. 72. Polyb. 3. 6. *certabant.* ne quis inde, quod hoc loco verbum post *quisque* plurali numero sequatur, colligat, etiam supra ita esse scribendum. diversa enim utriusque loci est ratio. illo loco nomen plurale a verbo longius remotum est, nostro pauca verba intercedunt. *exercere.* cfr. Jugurtha 16. *inimicitias ex.* Vellej. 2. 45. et infra cap. 49. *libertatem.* Liv. 23. 3; 2. 54; 3. 54. Cic. de Legg. 3. 8. *imperium* Curt. 10. 8. apud Tacitum hæc constructio frequentissima.

Cap. XXXIX. *missus est.* quod et hoc loco et initio superioris capitis Cortius delevit, verbum substantivum, omitti non potest; nisi quis putat, consilio Salustium obscure locutum esse; utroque enim loco, orationis membra verbo substantivo addito sejunguntur, quo omisso facile confundi poterant. de re cfr. Cic. Or. pro Leg. Manil. Plut. vita Pomp. c. 24. Appian. de bello Mithrid. cap. 92. seq. Dio. Cass. l. 37. Vellej. Pat. 2. 31. 32. *innoxii.* i. e. sine periculo. cfr. Lucan. 9. 892. *gens a saevo serpentum innoxia morsu. florentes* scil. opibus; rarius absolute dictum. cfr. Tac. Ann. 16. 33. *ceterosque judic. que.* om. Vatic. 3. quod probo, quia, hoc omisso, vis oppositionis in pronomine *ipsi* augetur. etiam *alia omnia* quod in Tur. 2. legitur, veram lectionem haberem, dummodo melioris libri auctoritate firmata esset. *quo — tractarent.* hic locus ad explicandum difficillimus; primum enim maxime dubium est, ad quem hæc referenda sint. Cortius ad eos pertinere statuit, qui a no-

bilibus territi sint, plebejos puta privatosque, quibus tribunatum petere animus fuit, *et placidius tractare*, antecedenti *exagitare* oppositum esse statuit. hoc scilicet egisse nobiles, ut tribuni metu subacti potius animis plebis leniendis quam irritandis operam darent. At hæc verbi tractare significatio rarissima, forsitan nulla. cfr. Liv. 3. 14. *paulatim permulcendo tractandoque mansuefecerant plebem.* Cic. Or. 28. *hujus eloquentiae est tractare animos.* Sin autem nobiles ipsos intelligis, placidius tractare, quid significet, incertum est. *Conjiciat aliquis* tractare significationem verbi simplicis *trahere*, habere. de quo v. supra cap. 21. *et* Hist. Fragm. 4. 12. fin. *inopes potentesque trahant excidant.* A qua conjectura non abhorret *placidius.* quod si passiva significatione ab auctore dictum esse statuis, ut Virg. Aen. 7. 46. *loca placidiora* dixit et Ovid. Fast. 3. 185. *urbs placida*, omnia bene se habent. is igitur sensus erit: nobiles ceteros maximeque plebis defensores, judiciis terruisse, ut ipsis securis (*placidius*) plebem vexare liceret. quam quidem explicationem, quamvis non satis expeditam, ideo vulgari præferendam esse duco, quod mihi quidem durissimum esse videtur, *placidius tractarent* ad tribunos plebis referre, quorum apud auctorem nulla fit mentio. *novandis.* — *novandi.* quod in aliquot Codd. est, ut facili conjectura potest restitui et nonnullorum librorum firmatur testimonio, ita Salustianæ orationi parum est consentaneum: primum enim *novare* absolute quidem dicitur, sed res *novare* non minus usitatum. tum, ut bene Cortius, quam maxime Salustianum est, plures sensus una comprehensione complecti. hoc igitur vult: dubiæ res plebis erant, eique spes hujus conditionis mutandæ oblata est. *arrexit.* — *erexit* Med. 5. 8. 9. Ven. 2. his in rebus, cum sensus parum diversus sit, meliorum librorum auctoritas prævalet. cfr. Jug. 68. 84. 86. 93. ceterum de hac figura, Salustio usitatissima, qua scilicet inanimis rebus agendi vim tribuat, jam sæpius disputavimus. *forent.* nimis audacem se præbuit Cortius, quod verbum ejecit; quod nonnullis locis fieri posse, ipse supra monui; sed hoc non ubique auctori obtrudendum. quodsi enim hoc statuis, omnibus locis promiscue hanc breviloquentiam sectatum esse auctorem, elegantia illa, quam laudas, nulla est. id potissimum examinandum, ubi totius orationis colori talia convenire videantur. Cortius ipse paulo infra ad verba: *qui ad Catilinam profecti sunt* multa exempla congessit, ubi verbum substantivum omnes libri tuentur, et ipse

defendit. hoc igitur ubique damnare, ubi deterior liber variat, vereor ne audacius quam acutius sit. *defessis et exsanguibus.* post opes eorum fractas atque labefactatas. idem fere judicat Cicero Or. in Cat. 2. 9. pari modo auctor Ep. 1. de Rep. Ord. 5. *defessos et exsangues* regi aut nationi prædæ futuros. cfr. Cic. Or. pr. Sextio cap. 10. *hominibus enervatis et exsanguibus consulatus datur. orator exsanguis* dicitur apud Tac. De Caus. corruptæ Eloq. 18 Cæs. B. C. 2. 22. defessi *omnibus malis. Catull.* 5. defessus omnibus medullis. Stat. Theb. 11. 323. *exsangues crudescunt luctibus anni* et 5. 325. *exsangue imperium. Fulvius.* cfr. Val. Max. 5. 5.

Cap. XL. *Umbreno.* Cic. in Catil. 3. 6. libertinum hominem eum dicit. *per se* i. e. ipse. cfr. Cic. pro Archia 10. *requirat.* Non. c. 5. 46. quærere et requirere hoc differunt, quod requirere est diu quærere. Afran. Fratriis, *proin tu, cum quaeram ne requiram te vide. bellicosa.* cfr. Strabo IV. 4. Tom. I. pag. 315. Ed. Tauchn. τὸ δὲ σύμπαν φῦλον ὃ νῦν Γαλλικόν τε καὶ Γαλατικὸν καλοῦσι, ἀρειμάνιόν τε καὶ θυμικόν ἐστι καὶ ταχὺ πρὸς μάχην. Gic. Or. in Cat. 3. 9. Jug. extr. et infra cap. 52. Cæs. VI. 24. Justin. 24. 4. 25. 3. Tacit. Agric. 11. ceterum hæc virtutis laus magna ex parte ad Germanos pertinet, quos multos scriptores ipsumque Salustium cum Gallis confundere satis constat. Allobrogum sedes inter Taram fluvium, Alpes Grajas, Lacum Lemanum et Rhodanum fuere. Opulentissimæ eorum urbes Geneua et Vienna. Vellej. 2. 10. Flor. 3. 2. cfr. Strabo IV. 1. pag. 299. Ed. Tauchn. *notus erat — noverat.* nota paronomasiam. cfr. Jug. 70. *suspectus regi et ipse eum suspiciens.* Liv. 39. 30. *simultates exercuerunt eum et ipse eas exercuit. negociatus esset.* Med. 5. Ven. 1. 2. Vat. 2. 6. quæ lectionis diversitas facit, ut verbum substantivum hoc loco omittendum esse putem. *civitatium* Cortius ejecit, quod, cur plurium civitatium hoc loco mentio facta sit, non comprehendit; quasi necesse esset, civitatium ubique *nationes populosque* significare. Et fac, hanc esse vocis significationem, nostrum non est quærere, quomodo hoc factum sit, sed in eo acquiescendum, quæ a scriptore memoriæ tradita sunt. Certo fieri potuisse nemo inficias ibit. Ceterum *negotiari* quid proprie significet, et qua re negotiatores a mercatoribus differant, varie disputatum est. videntur fere eadem re differre, ut apud Græcos ἔμποροι καὶ κάπηλοι scilicet *negotiari* ditiorum est, publicanorum et fœneratorum, qui aut fructus prædiorum locant, aut

magnam mercium copiam coëmunt, quas mercatoribus vendant, sed omnia fere per procuratotes agunt. mercatores contra ipsi quæstus causa mercaturam faciunt. cfr. Ern. Clav. Cic. et in Opusc. Phil. Critic. *percontatur pauca.* Med. 5. scilicet fugit librarium. *esse* omissum esse. *tantis malis.* cfr. sup. cap. 11, 22. et Jug. 7. ad exempla ibi laudata adde Ovid. Heroid. 2. fin. *ille neci causam praebuit, ipsa manum.* Cornel. Nep. Pausan. cap. 5. *causae quid sit tam repentino consilio.* et paulo infra: *remediis suis mortem exspectare.* — *uti sui.* Ven. 2. Vat. 4. *quin* quod pro *quod non* recepit Cortius, auctoritate Venet. libri motus, in nullo est eorum, qui nunc ibi in Bibliotheca St. Marci asservantur, quare prisca lectio revocanda. *D. Bruti.* i. e. D. Jun. Brutus Albinus. idem est, qui postea inter Cæsaris interfectores virtute excelluit, et Mutina urbe contra Antonium fortissime defendenda magnam sibi gloriam paravit. alii Decimum Junium ejus patrem intelligunt, sed parum firmis argumentis nituntur. *alienus consilii*, genitivus etiam ap. Ciceronem, sæpius apud Lucretium occurrit. Ovid. Fast. 1. 396. *non alienus joci.* Colum. 3. c. ult. *alienus vitae rusticae. amplior.* i. e. ut Gallis animos adderet. Lucret. 11, 573. *amplae vires.* Terent. Hecyr. 3. 1. 9. *ampliores irae.* Prop. Eleg. 3. 21. fin. *spes ampla nepotum.* — *pollicitos op.* Cicerone auctore (Or. in Cat. 3. c. 2. et 4.) Allobroges promiserant, se equitatum in Italiam missuros et bellum Transalpinum atque tumultum Gallicum excitaturos.

Cap. XLI. *in incerto habere* dictum ut *in dubio*, *in proclivi*, *in tranquillo*, *in integro*, *in difficili*, *aequo*, *ambiguo*, *angusto esse* vel. *habere.* cfr. Tac. Ann. 15. 17. Jug. 46. Thuc. 1. 25. ἐν ἀπόρῳ εἴχοντο *Q. Fabio Sangae.* senator, cujus Cicero aliquoties meminit, v. c. in Pison. 31. sed ad mores ejus describendos nihil lucis hæc loca afferunt. *patrocinio* de hoc Romanorum instituto, ut coloniæ, ut socii, provinciæ et amici populi Romani patrocinio claræ cujusdam familiæ uterentur, optime Cortius egit. cfr. Cic. Offic. 1. 11. *tantopere apud nostros justitia culta est, ut ii qui civitates aut nationes devictas bello in fidem recepissent, eorum patroni essent, more majorum.* Sic Bononienses in Antoniorum clientela erant. Suet. Aug. 17. Lacedæmonii in Claudiorum id. Tiber. c. 6. Puteolani in Cassiorum, Cic. Phil. 2. 41. Siculi in Marcellorum, dein Scipionum, Metellorum, demum Ciceronis tutela fuerunt. Cic. Divin. c. 1. et Ascon. ad h. l. in Verr. 2. 42. et 46. cfr. App. B. Civ. 2. 4. *οἱ*

δ' Ἀλλόβριγες ἐνδοιάσαντες, ἐκοινώσαντο Φαβίῳ Σάγγᾳ, ὃς ἦν τῶν Ἀλλοβρίγων προστάτης. ὥσπερ ἁπάσαις πόλεσιν ἔστι τις ἐν Ῥώμῃ προστάτης — *consilio* quod in nonnullis libris loco alieno positum est, Cortius ejecit, *cognito* absolute positum esse ratus; quod quidem fieri posse haud negaverim, sed hoc loco particulam omittere mihi durius videtur. quale sit hoc consilium facile ex antecedentibus intelligitur; scilicet ad Allobroges sollicitandos hoc pertinet. *uti studium.* Vat. 6. *ut* om. Vat. 4. cfr. supra 32. *mandat, confirment.* 31. *obtestamur, consulatis.* Utram lectionem præferam, dubito. Altera enim, ut videtur esse elegantior, ita duorum tantum librorum, quantum scio, auctoritate firmatur. Alteram plurimorum librorum testimonia confirmant. *vehementer simulent* i. e. maxime. v. c. *haec res vehementer ad me pertinet*; *simulare* absolute, ap. antiquos scriptores sæpius. *bene* i. e. multum. cfr. Donat. ad Terent. Adelph. 2. 1. 47. oppositum male. hæc etiam apud Comicos et in sermone vulgari sæpissime occurrunt. *manifestos.* criminum convictos. hac circumscriptione verbi *habere* optimus quisque scriptor maxime utitur.

Cap. XLII. *motus erat.* motus etiam ap. Ciceronem et Livium singulari numero pro *seditiones tumultus*, positum quare; nihil mutandum. *cuncta simul.* in verbis offendit Cortius, cum luce clarius sit, idem esse quod supra *multa simul moliri. consiliis*: i. e. conventibus, ut sæpus. *ex Senat. consultu.* Flor. 1. quod ut antiquius C. recepit. cfr. Liv. 3. 62. Isid. 9. 4. Just. 20. 5. accedit quod Salustius et Cic. *fretu* pro freto dixisse dicuntur; sed paucorum librorum testimonia me non impulerunt, ut dubiam vocem Salustio obtruderem. *C. Muraena* frater ejus, qui Cicerone consule, designatus consul, sed ambitus a Serv. Sulpicio et Catone accusatus, a Cicerone defensus est. ille C. Muræna, Galliæ Transalpinæ legatus fuisse videtur, sed Lucius etiam in eadem provincia summo cum imperio fuisse dicitur a Cicerone Or. pro L. Mar. cap. 47. quam ob rem pro *citeriore*, quod in omnibus fere libris est, *ulteriore* cum Tur. 1. scribendum. accedit quod citeriori Galliæ Metellus præsidebat. cfr. Cic. in Cat. 2. 3. et 12. ubi in agrum Gallicanum Picenumque præmissus esse dicitur. Legati præsidibus provinciarum addebantur, ut eorum opera consilioque uterentur. Varro L. L. 4. 16. sed præside absente omnibus illius officiis fungebantur, ipsamque jurisdictionem exercebant. Cæs. B. Civ. 3. 51. Pompejus absens per legatos duas Hispanias administravit. Cæs. B. Civ. 1. 85. mittebantur etiam a Senatu, qui provincias regerent, Cicer. in Vatin. 15

Cic. de Prov. Cons. 3. *Atque hanc Macedoniam pacatam ipsam per se etquietam, tenui praesidio atque exigua manu, etiam sine imperio per legatos nomine ipso populi Romani tuebamur.* hæc Cort.

Cap. XLIII. *ut videbantur.* quod optimi libri Nazar. et Commel. habent. (consentit Cod. Rostoch.) confirmat Cornel. Nep. Eum. 1. *nam apud nos revera, sicut sunt, mercenarii scribae existimantur. uti cum Catilina. cum* omittunt. Ven. 1. Vat. 3. 6. (2. manus sec. *quando* addidit) Barb. 3. 4. 5. Flor. 1. *cum exercitu* om. Med. 2. «uti Catilina in agrum Fesularum cum venisset, Lib. Bononiensis optimus; *exercitu* in margine m. sec. addidit. quam Cortii conjecturam, quamvis acutissimam, invitis libris recipere nolui, eam in tot librorum consensu recipere non dubito, et ingenue profiteor, sæpius illum virum doctissimum acutius vidisse sine libris, quam alios optimorum librorum copia instructos. *L. Bestia.* vide supra cap. 17. cujus Cicero sæpius mentionem fecit Bestiæ, alius esse videtur. cfr. Phil. 13. 12. Cœl. 12. Ep. Q. Fr. 2. 3. Phil. 12. 8. 11. 5. *actionibus.* actiones magistratuum dicuntur omnes res ab iis gestæ, quæ ad rem publicam pertinent. cfr. Liv. 5. 11. et 24. *optimo consuli.* qui ex Cic. Ep. ad Att. 12. 21. « hic autem se etiam tribuere multum mihi putat, quod scripserit optimum consulem. quis enim jejunius dixit inimicus." id efficere posse sibi videntur; parum Ciceronis laudes his verbis celebrari, et inde inimicitias nescio quas suspicantur, immemores fuerunt, Ciceronem laudis avidissimum, arrogantius de rebus a se gestis existimare. Sed Cicero (pro Sulla 19. Or. Cat. 3. 6.) incendia Cassio demandata dicit, et Plutarchus (Vita Ciceronis c. 18.) auctor est, urbem in centum partes fuisse descriptam, quæ a centum viris sorte electis eodem tempore incenderentur; præterea aliis imperatum, ut aquæductus obstruerent, et qui aquas peterent, trucidarent. *exsequeretur.* hoc loco omnes fere libri tuentur; quare retinendum. *Statilius et Gabinius. et* omitt. Med. 3. 6. 8. 9. 11. Vat. 4. 1. Min. 1. 2. Bon. Flor. 1. per incuriam typographi factum, ut in contextu retineretur. *ceterosque. que*, quod duo libri parum concinne omittunt, meliorum librorum fides satis defendit. *percussis omnibus.* Flor. 5. Med. 11. perperam. *Cethejus.* cfr. Cic. Catil. 3. 4. *languent. aliis.* i. e. ceteris, reliquis. Liv. 7. 19. 2. 23. «primo se agro paterno exuisse deinde fortunis aliis." *promptus erat.* verbum quod omnes libri retinent, ejicere dubito, quamvis elegantiorem esse structuram haud negaverim.

Cap. XLIV. *et accepta.* Vat. 4. *scriptum est.* sane commodius verbum subst. h. loco omittitur. *quis sim.* Ven. 2. 4. Eich. sed *qui* retinendum, quod antiquius est. cfr. Plaut. Amph. 1. 1. 1. Apud Ciceronem, qui et ipse de hac epistola exponit, his verbis scripta esse dicitur: « qui sim, ex eo, quem ad te misi, cognosces; cura, ut vir sis, et quem in locum sis progressus cogita, et vide, quid jam tibi sit necesse. Cura, ut omnium tibi auxilia adjungas, etiam infimorum." Dubitatum est, utri major fides sit habenda; sed Cicero haud dubie hæc non ex scripto, sed ex memoria recitavit; satis habuit sensum docere, verba exprimere noluit. — Catilinam, cum in eo esset, ut rem inciperet, indignitas facinoris perculisse videtur. cfr. Plut. Cato Min. cap. 22.

Cap. XLV. *L. Val. Flacco et C. Pomptino.* Illum Cicero de repetundis accusatum luculentissima oratione defendit, quæ etiamnum exstat; quam vide et præterea pro Planco 11. in Cat. 3. 2. Epp. ad Att. 1. 19. Etiam Pomptini Cicero sæpe cum laude meminit. Ejus enim legatus in Cilicia fuit, (cfr. Ep. ad Div. 3. 3.) postea Allobroges perdomuit et triumphavit. de Prov. Cons. c. 13. et Ep. Div. 2. 15; 15. 4; 3. 10. in Catil. 3. 2. Dio Cass. 39. extr. *Pons Mulvius.* hodie *Ponte Molle*, quem ad tertium lapidem, ad initium viæ Flaminiæ (Plin. H. N. 3. 5.) Aemilius Scaurus in Tiberi flumine faciendum curaverat. cfr. Aurel. Vict. c. 82. *permittit illi.* Cum omnes libri aut *illis* aut *illi* habeant, Cortius pronomen ejecit. Eichoff *illis* retinendum esse censet. Neque ego hoc dico, necessarium esse, ut pronomen *illi* verbis *homines militares* præponatur; sed fieri posse, id judico. (Liv. 42. 33.) Confirmat præter Codd. jam laudatos, Cod. Rostoch. et quem laudavit Cortius locum, Jug. 103. ubi etiam oratio ab *illi* incipit. Quem laudavit Eichoff. locum, ut doceret absolute dictum esse *hom. mil.* hoc tantummodo probat, Livio quoque hanc dictionem fuisse usurpatam. Neque hoc contrarium est, quod sequitur *homines militares*; pronomen enim præpositum est, ut significantius loqueretur. Sane vellem et ipse, in melioribus libris pronomen omissum esse, sed non tanta mihi est confidentia, ut vocem, quæ ferri certe potest, omnibus libris Mss. invitis ejicerem. si *permittit illis* auctor scripsit, cum vi quadam pronomen in fine orationis posuit. *praesidiis collocatis.* Cic. Or. in Cat. 3. 2, *obsidunt.* antique pro *obsident*, verbum apud Lucretium et Virgilium sæpius occurrit. Alia ejus-

modi verba, quæ apud antiquos scriptores secundum tertiam conjugationem flectuntur, laudat Priscian. IX. pag. 459 et 460. Ed. Krehl. *connivo, fervo, strido, fulgo, olo*. Diomed. 37. Ed. Putsch. *Etiam ipsa verborum conjugatio prima sit an tertia, item secunda sit an tertia, novitas a vetustate dissentit. Galli, cognito cons.* (cito om.) Eich. *deinde. dein*. Vat. 1. quod antiquius. *velut hospitibus*. Cod. Eich. Chartac.

Cap. XLVI. *declarare* i. e. demonstrare, manifestare; plus est quam significare, et id declarat, hæc non solum nuntiata fuisse, sed nuntios omnia accurate exposuisse. *intelligens — dubitans*. manifestæ glossæ, sed in omnibus libris Mss. leguntur, nisi quod in duobus Hispanicis Codd. Escur. et principis et in editione 1475. *intelligens* omissum esse dicitur, Gabriele de Borbone, interprete Hispanico, notante. Unde colligitur, multas corruptelas jam antiquissimis temporibus libros Salustianos invasisse: id, quod in hoc scriptore facilius fieri potuit, qui a vulgari usu loquendi longius recedebat et in quo illustrando tot rhetorum studia elaborabant. *anxius erat*. cfr. Jug. 6. *ne qua seditio aut bellum oriretur, anxius erat*. Tac. Ann. 14. 13. *anxius, an obsequium senatus, an studia plebis reperiret. opus sit*. Ven. 1. Cortius et hoc loco verbum, et paulo infra *fore* expunxit. *perdundae reipubl.* genitivus, de quo vide supra cap 6. variare enim Salustium orationem in oppositis jam sæpius est monitum. *confirmato animo* i. e. timore animi victo. *Coepar Terr.* quendam om. Eich. 1. 2. *Terracinensem*, Terracinae seu Anxure oriundum, quæ urbs in ora maris Tyrrheni, apud ostia Ufentis fluminis, ad radices montis sita; arx autem in summo monte condita erat; unde Horat. Serm. 1. 5. 26. *Impositum saxis late candentibus Anxur*. Prænomen Quintum quod Cortius Cœpario affingit, in ea re cognosce audaciam hominis, qui cum Marcum Cœparium eundem Cicero dixerit, tamen a consueta conjectandi cupidine abstrahi non potuit. *indicio*. ne ita hoc intelligas, Cœparium rem ab Allobrogibus Ciceroni delatam cognovisse, sed de conjuratione patefacta cognoverat; indicium et delationem et manifestationem exprimit. *ex urbe*. hæc suspecta habuit Cortius, quia in Bas. 1. inter lineas sunt. Jam *profugere* sæpius absolute dici, satis notum. cfr. Jug. 67. 54. Vellej. 2. 53. Terent. Heaut. 3. 2. 17. Curt. 7. 1. 10. Sed inde non sequitur, ubique casum omittendum esse; nam etiam Jug. cap. 13. *ex praelio victus profugit* dixit; neque omnia inter lineas scripta pro glossis habenda sunt.

in senatum perducit. Etiam hæc Cortius suspecta habuit, *in senatum, in aedem Concordiae, eo,* abundantius dicta esse ratus. Sed miror, eum non in eo offendisse, quod primum *perducit* et paulo infra *introducit* dictum est. Neque quæ congessit exempla, quibus *perducere* sine casu construi doceret, ad hunc locum explicandum faciunt. Curt. 3. 3. 4. Justin. 2. 13; 12. 5. cfr. Gronov. ad Liv. 30. 13. Quare si modo hæc verba *in senatum* in libris Mss. omissa sunt, (me enim judice neque Wassio neque Rivio in laudandis variis lectionibus satis fidei est) perducere ad sequentia (*in aed. Conc.*) referendum est. De hac æde, quæ in Clivo Capitolino supra arcum triumphalem Septimii Severi sita erat, vide Val. Max. 9. 7. 4. Festum s. v. *Senacula.* Plutarch. Camil. 42. Cic. Or. in Cat. 3. 9. cfr. Plut. vita Cic. cap. 19. *scrinium* h. l. est arcula seu capsa, in qua scripta asservantur. cfr. Horat. Sermon. 1. 1. fin. Ep. 2. 1. 112. cfr. Senec. de ira 2. 23.

Cap. XLVII. *alia* i. e. alia omnia. *dissimulare de.* similiter *abnuere de* Jug. 84. supra cap. 30. *indicare de.* cfr. cap. 48. *exponere, cognoscere, docere de* alia. de hac quæstione in senatu habita cfr. Cicer. Or. in Cat. 3. c. 4. et 5. *fide publica* scil. data, quod omissum, ut sæpius apud Salustium nomina in ablativo, nullo participio addito, ponuntur. cfr. supra 43. *eo signo* et 36. *duobus senati decretis,* et modo *magnaque frequentia.* Sed fide publica impunitas ejus rei, quam quis declaraturus erat, ei promissa est. *docetque.* hoc verbum, quod Cortius expulit, abesse non potest: nam contraria sunt, *omnia uti gesta erant* — et quæ sequuntur: *nihil amplius scire.* Superiora illa ad societatem cum Allobrogibus junctam pertinent, quæ postquam exposuerat, hoc adjecit. Ne pronomen *se* quidem omitti potest; oppositum enim est sequentibus *quam legatos.* Sed Cortius furore quodam conjectandi occæcatus, hæc non curavit. Quid quod in sequentibus etiam *fatentur* expellere cupit? idem *ille* et *erat* citra omnem probabilitatem ejecit. Salustius enim maxime amat orationem obliquam in rectam flectere; et quod sæpius monuimus, deteriores libri non minus in verbis omittendis quam in apponendis peccant. *cui fatum foret.* verbum omis. Ven. 1. liber optimus, *cui fatatum erat.* Ven. 2. *cui fatatum fuit. foret,* Min. 2. quorum librorum auctoritati obsecutus verbum hoc loco omittendum esse censeo. *Cinnam et Sullam antea.* cfr. Cic. Or. in Cat. 3. 4. *Cinnam ante se et*

Sullam fuisse. incenso Capitolio. cfr. Lactant 3. 17. Hoc incendium factum Scipione et Norbano Coss. A. V. 670. cfr. Plin. H. N. 3. 13. Tacit. Histor. 3. 73. Restauratum dedicavit Catulus A. U. 675. Plin. 19. 1. Lactant. de ira D. cap. 22. *prodigiis.* cfr. Cic. Orat. in Cat. 3. 8. *cruentum.* Vellej. 2. 52. *acies Pharsalica et ille cruentissimus Romano nomini dies. abdicato magistratu.* — *abdicatus* Eich. 1. 2. Flor. 6. Barb. 2. 3. 5. Vatic. 3. 1. 6. Min. 2. Ven. 3. 4. Med. 2. 3. 5. 6. 9. *abdicatus a.* Med. 12. Ven. 1. 2. Barb. 1. Bon. Vat. 5. 4. 2. Accedit, quod Cortius negavit Latinum esse *abdicare magistratum* sed Livius certe ita locutus est. cfr. 2. 28; 6. 18; 5. 49; 6. 39. nisi quis etiam hæc loca emendabit. Neque hoc casu factum putaverim, quod optimi libri hanc lectionem retinent; sed ceterorum varietas in constructione insolita me quidem mirum non habet. — « Coactus autem est Lentulus magistratu se abdicare, ut senatum religione liberaret, cfr. Cic. in Catil. 3. 6. quia nefas erat magistratum majorem violare. » C. *in liberis custodiis.* cfr. Tac. Annal. 6. 3. insigniores viri, cum criminis suspecti erant, in domibus magistratuum seu senatorum custodiebantur, quam bene Dio Cass. 58. 3. ἄδεσμον φυλακὴν appellat. cfr. Brisson. de Form. 5. 529. Ed. Paris. 1583. et Lips. ad Tacit. Annal. 17. 3. *P. Lentulo Spintheri.* eo anno ædilis curulis erat, Plin. 9. 39. cfr. Cic. de Off. 2. 16. consul cum Q. Metello Nepote A. U. 697. de Cicerone revocando ad senatum refert. cfr. Orat. ad Quir. post. red. 5. 6. et in sen. post redit. 3. 49. pro Sextio 69. Brut. 77. Proconsul Ciliciæ Ptolemæum, regem Aegypti expulsum, in regnum reducere cupivit. cfr. Cic. Ep. ad Div. 5. 1—9. *Q. Cornificio.* is Ciceronis in consulatu competitor. Ascon. Arg. Orat. in Toga Cand. p. 143. Cic. Ep. ad Att. 1. 1. 12. Asconius eum sobrium sanctumque virum, Cic. Act. 1. in Verr. 10. judicem justissimum dicit. ab eo diversus proprætor Africæ, ad quem plures epistolas Cicero misit. cfr. Ep. ad Div. 22. 17—24. *Cn. Terentio.* ejus, quantum scio, alibi nulla fit mentio. Fuit, quem mirum haberet, quod Salustius non ea narraverit, quæ in honorem Ciceronis decreta sunt, scilicet de supplicatione Ciceronis nomine diis decreta. cfr. Cic. Or. in Catil. 2. 6; sed hæc minoris momenti Salustio, rerum scriptori, videbantur; accedebat, quod plurimis Ciceronis oratt. satis superque illustrata erant. Etiam quæ Plut. vita Cic. cap. 19. narrat, fabulosa magis quam credibilia, ad solum Ciceronem pertinuerunt.

Cap. XLVIII. *erepta.* cfr. Jug. 24. Cic. 1. de Or. 52. *eripite nos ex miseriis, eripite nos ex faucibus eorum. agitabant.* Ven. 3. *gaudium atque laetitiam.* qua re differant vide apud Cic. Quæst. Tuscul. 4. 6. Lactant. de Civ. Dei 6. 15. Gell. 2. 27. Cic. de Fin. 3. 10. Senec. Ep. 59. Verbum *agitare* apud nostrum frequens. cfr. supra 2. *vitam* 9. *imperium* Jug. 96. *joca atque seria, praesidia*; agitare *fugam* apud Virgilium; Pl. H. N. 2. 7. *agere curam, odia* Senec. Herc. fur. 362. *judicium* Plin. H. N. 9. 35. *domesticas curas agitare.* Liv. 21. 41. *immoderatum* cfr. Cic. N. D. 3. 25. «vides sublime, fusum immoderatum æthera." Ovid. Epp. ex Ponto 4. 15. 31, *res immoderata cupido est.* incendium Sal. *immoderatum* dicit, quia omnia promiscue vastat, neque pauperum tabernis neque divitum turribus parcit. *usu quotidiano et cultu corporis.* i. e. quæ quotidie ad victum opus sunt et ad cultum corporis pertinent. cfr. Liv. 4. 12. ubi *usus menstruus* idem significat. Tac. Annal. 4. 30. *dandos vitae usus, cui vita concederetur.* cfr. Cic. Or. in Cat. 4. 8. *adductus erat.* verbum subst. quod Cortius, ut fere ubique, ita hoc loco suspectum habuit, eo defenditur, quod hæc, tanquam leviora, Sal. rerum gestarum narrationi interposuit. *de itinere hostium.* intellige Catilinam et Manlium, qui exercitum ad urbem adducere constituerunt. *edocet.* Min. 2. Vat. 1. Med. 2. 5. 8. 11. Ven. 4. placet. *ne Lentulus eum.* Ven. 4. *ne Lentulus.* Vat. 3. (4. et Barb. 3. m. pr.), quibus testimoniis Cortii conjectura, qui pronomen omittendum dixerat, confirmatur. *ceterique de conjuratione.* Barb. 2. *et Cethejus aliique. et, que,* quod Cortius nonnullorum librorum varietate permotus delevit, elegantius abessent, quod deletis particulis nomina aptius et concinnius cum participio junguntur, quod ad omnes referendum est. In sequentibus jam et ipse Cortio assentior, qui *magis* delendum esse censuit. cfr. supra cap. 9. *indicem falsum esse.* infinitivus in Med. 5. Min. 2. locum mutat, quo omisso hoc dictum, ut apud Cæsarem B. G. 4. 38. *conclamant victoriam falsam.* — *videri.* «est et hoc inter solemnia censentium et judicantium. Cic. Ac. Quæst. 2. 47. a majoribus institutum refert, *quae jurati judices cognovissent ut ea non esse facta, sed videri pronunciarent.* Liv. 25. cap. 4. *plebes ita scivit, videri eum in exsilio esse.*" C. Adde Brisson. de formulis 5. pag. 538. Ed. Paris. 1583. et Sigon. de Judd. L. I. cap. 29. *potestatem faciundam.* scil. indicii vel indicandi. cfr. Jug. 102. Tac. Ann. 6. 5. *mentitus esset.* Vatic. 6. cfr. Dio Cass. 37. 35. *οἱ δὲ καὶ ἐκ τῶν ὑπατείων ὑπέλοιπουν*

μυτό, ὅπως βοηθείας τινὸς διὰ τοῦτο παρ' αὐτοῦ (ὅτι πλεῖστον ἐδύνατο) τύχωσι, λογοποιεῖσθαι. cfr. Plut. V. Crass. cap. 13. qui auctor est, Crassum Cæsaremque a Cicerone suspectos habitos, idque in oratione post eorum mortem edita significasse. cfr. Plut. vita Cic. 15. Cic. Ep. ad Att. 1. 14. *immissum* i. e. subornatum. cfr. Cic. pro Sext. cap. 36. Justin. 32. 2. *ad cujus rei probationem immittit indices, testes subornat.* — *suscepto malorum patrocinio.* cfr. Cic. Parad. VI. 2. *praedicare* « est sæpe et palam dicere. cfr. Jug. 24. Plin. Ep. 1. 12." C. *impostum* Flor. 4. quæ antiqua scriptura fuisse videtur. cfr. Liv. 4. 32.

Cap. XLIX. *Q. Catulus* vide supra cap. 35. *C. Piso.* C. *Calpurnius Piso.* U. C. 686. consul cum M. Acilio Glabrione, Proconsul Galliæ, Ep. ad Att. 1. 1. 13. 14. pacificator Allobrogum. pr. Flacco 38. 39. « statarius et sermonis plenus orator, minime ille quidem tardus in excogitando, verum tamen vultu et simulatione; multo etiam acutior, quam erat, videbatur. Brut. 68. in illo judicio Cicero eum defenderat, pro Flacco. 39. Is et Catulus Ciceronem accusasse dicuntur, quod Cæsarem de conjuratione suspectum inviolatum dimiserit. cfr. Plut. vit. Cæs. c. 7. *C. Caesar.* Cæsarem, si minus Catilinæ socium, at ab ejus consiliis non alienum fuisse satis constat. cfr. Plut. vita Cic. cap. 20. sub fin. vit. Cæs. c. 7. Sueton. Jul. Cæs. 14. *pretio* vox solemnis in hac re. cfr. Auct. ad Herenn. 3. 3. *nec prece, nec pretio, nec gratia, nec periculo, nec simultate a recta via deduci.* Virg. Aen. 6. 20. *fixit leges pretio.* sed non pecunia intelligenda. *exercebant.* Med. 2. 6. 8. Ven. 3. 4. Vat. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Barb. 2. 4. 5. Bon. Flor. 4. tot librorum conspirantium auctoritati cedo, et *exercebant* ab auctore scriptum esse judico. *oppugnatus pecuniarum repet.* ita Ven. 1. omissis, quæ in ceteris libris interponuntur, *in judicio.* jam *oppugnare* pro *accusare* sæpius dictum esse satis constat. cfr. Cic. Epp. Div. 5. 1. *Metellum fratrem ob dictum capite et fortunis a te oppugnatum iri.* nihil igitur est, cur hoc verbum cum genitivo jungi non posse dicamus, maxime cum *urgeri, increpitare* hoc modo construantur; cfr. Tac. Ann. 6. 29. Sueton. Galba 15. quare mihi quidem non dubium videtur, verba *in judicio* ab aliena manu esse adscripta. *Pontificatus.* hac de re cfr. Plut. vita Cæs. cap. 7. Sueton. vita Jul. 13. Dio Cass. 37. 37.. Vellej. Paterc. 2. 43. *egregia liberalitate.* rectius prodigentiam dixeris. cfr. Sueton. l. l. Plut. v. Cæs. c. 5. χρώμενος δ' ἁπαῖς δαπάναις ἀφειδῶς . . . . λέγεται πρὶν ἐς ἀρχήν τινα καθίστασθαι, χιλίων

καὶ τριακοσίων γενέσθαι χρεωφειλέτης ταλάντων. De muneribus ab eo editis cfr. Sueton. cap. 10. Plut. l. l. Plin. H. N. 33. 3. *equites Rom.* cfr. Cic. pro Sextio. cap. 12. *aedem.* hanc vocem, quam omnes Codd. constanter retinent, Cortius immerito delevit. Quod enim Donat. ad Adelph. 4. 2. 43. ex Salustio laudat: *ad Jovis mandem nostra,* inde non sequitur, ubique ita scripsisse Salustium. *minitarentur.* aliter hæc narrat Suet. Cæs. cap. 14. et Plut. Cæs. cap. 8. Suetonio enim et Plutarcho auctoribus hoc Non. Decembris factum est, cum Cæsar supplicium de conjuratis sumendum esse dissuasisset. Ceterum Cæsarem suspicione non liberum fuisse jam inde intelligitur, quod primæ certe conjurationis a Catilina factæ socius fuit. Cicero igitur magis consilio, quam quod Cæsarem innocentem putabat, nihil contra eum ausus esse videtur. cfr. supra c. 18. Plut. vita Cic. cap. 20. Appian. B. Civ. II. 6. Plut. Cæs. cap. 8. Cato min. c. 26. Sueton. Cæs. cap. 17.

Cap. L. *et dum.* repetita particula orationis membra magis secernuntur. *comprobato* i. e. postquam senatus decreverat, verum videri indicium ab illis factum. *opifices atque servitia.* cfr. Cic. Or. in Cat. 4. 3. Dio Cass. 37. 35. *exquirebant* i. e. diligenter quærebant. *duces multitudinum.* multitudines sunt plebis seditiosæ catervae, de quibus Sal. supra cap. 37. sed pluralis numerus hujus vocis, quantum equidem scio, apud alios scriptores non occurrit. *Duces* eorum non sunt tribuni plebis, quos Cort. intellexit, sed seditiosi homines, qui turbulentæ plebeculæ præesse solebant, cum vi aliquid agendum erat. *erant,* quod Cortius invitis libris delevit, et ipse ejicerem, dummodo constructio eo omisso concinnior fieret; sed non *erat* difficillimum ad explicandum, sed quod participium perfectum positum est; sive enim *sunt,* sive *erant* supples, eadem est difficultas. Neque cap. 31. initium huic loco simile; quare aliquis hunc locum ex iis esse putaverit, ubi plusquamperfectum pro imperfecto positum esse videtur. cfr. Gronov. ad Liv. 34. 11. Perizon. ad Sanctii Min. 1. 13. 5. Heusinger ad Cic. Offic. 3. 19, et Præfat. LVIII. et Beierum ad hunc locum. cfr. Mathiæ Gr. Gr. §. 505. III. 1. Sed omnia loca ab auctoribus, quos commemoravi, congesta a nostro aliena sunt, imo tota hæc regula, si accuratius rem examinaveris, nulla est. ubi enim talis mutatio temporum esse videtur, inest fere his locis quædam elegantia, a vulgaribus interpretibus parum cognita. Rectius dixeris *solitus* ut *consuevit* aliaque perfecta significationem præsentis adsumere; similis

locus apud Virg. Aen. 2. 461. *turris, unde omnis Troja videri et Danaum solitae naves et Achaica castra.* cfr. Jug. 4. Propert. Eleg. 2. 2. 8. *nec solitus ponto vivere torvus aper.* Tum *soliti erant* æque ac *meminerant*, *noverant*, verum imperfectum est. Sin vero *soliti* sine verbo substantivo ab auctore dictum esse statuis, perfectum, ut supra vidimus, pro Græco Aoristo usurpatum esse putabis. *orabat in audaciam.* Omnes fere libri Italici. *lectos exercitatos in audaciam.* Med. 9. Vat. 6. *et* etiam Ven. 1. omisit. Cortius, qui *lectos* participium esse putavit, hanc vocem, in duobus libris omissam, delevit. Sed pro adjectivo positum esse videtur, i. e. strenuos, fortes manu, promptos libertos fuisse significat. *exercit. in audac.* i. e. ad audacia facinora perpetranda. cfr. Cic. Verr. 7. 54. *ad pulsandos verberandosque homines exercitatissimi.* *in* pro *ad* positum habes apud Cic. Div. 2. 54. *in eandam rem accomodari.* — *in custodiam traditi.* Cic. Catil. 4. 3. *ceteros in custodiam dandos censuistis*, Liv. 22. 7. *Romanis in vincula datis.* Curt. 6. 5. 10. *quos tradi in custodiam jussit.* Pro *erant*, Ciceronis more, conjunctivus erat usitatior. *contra rem publicam facere* formula solemnis; cfr. loca a Cortio laudata, Cic. post Red. in Sen. cap. 11. pro Sext. c. 61. Epp. ad Att. 2. 24. ad Q. Fr. 2. 3. pro Mil. c. 5. Liv. 3. 21; Cæs. B. Civ. 1. 2. huic contrarium. *facere cum aliquo.* Cic. pro Sulla 13. *si respondisset idem sentire et secum facere Sullam*; cfr. Nep. Eumen. 8. *Neque lenius eos, cum quibus steterint, quam adversus quos fecerint.* — *D. Jun. Silanus.* cfr. Cic. de Off. 2. 16. ubi ædilitate magnifice functus esse dicitur. Plut. Cato Min. 21. Serviliam, Catonis consobrinam, in matrimonium duxerat; cfr. Brut. 68. Orat. in Catil. 4. 4. in Pison. 24. pro Flacco 13. Id moris fuit, ut consules designati primi sententiam rogarentur. cfr. App. B. Civ. 2. 5. ὧδε γὰρ Ῥωμαίοις ὁ μέλλων ὑπατεύσειν πρῶτος εἰσφέρει γνώμην. ὡς αὐτὸς (οἶμαι) πολλὰ τῶν κυρουμένων ἐργασόμενος, καὶ ἐκ τοῦδε εὐβουλότερόν τε καὶ εὐλαβέστερον ἐνθυμησόμενος περὶ ἑκάστου. *supplicium sumere.* i. e. supplicio capitis aliquem afficere, aliis locis *summum*, *extremum*, *ultimum* suppl. alicui decernere dicitur. *ped. itur.* i. e. discedere in alicujus sententiam, eam sequi. De hoc assentiendi more. cfr. Plin. Ep. 8. 14. Cic. Ep. Div. 1. 2. Auct. B. Afric. 8. 53. Gell. 3. 18. *Tib. Ner.* Appian. l. l. ὁ Νέρων ἐδικαίου φυλάττειν αὐτοὺς μέχρι Κατιλίναν ἐξέλωσι πολέμῳ, καὶ τὰ ἀκριβέστατα μάθωσι. Videtur Neronis sententia fere eadem, quæ Marcelli, fuisse, cum initio belli civilis de postulatis Cæsaris ageretur. cfr. Cæs. B. Civ. 1. 2. «Non opportere ante

de rep. ad senatum ferri, quam delectus tota Italia habiti et exercitus conscripti essent; quo præsidio tute et libere senatus, quæ vellet, decernere auderet." Aliter enim hæc verba: *additis praesidiis* explicari non posse videntur. præsidium enim equitum Romanorum, circa templum fuisse et ipse auctor supra narravit, et Dio Cass. 37. 35. dicit: προπυθόμενος τοῦθ' ὁ Κικέρων τό τε καπιτώλιον καὶ τὴν ἀγορὰν τῆς νυκτὸς φρουρᾷ προκατέσχε. et Cicero significavit Or. in Cat. 4. 7; sed quas ibi Cicero commemorat voces, ad Neronis sententiam non retulerim. *Caesar ad eum ubi.* Med. 8. qui verborum ordo Salustianæ orationi quam maxime consentaneus est. Cum iis, quæ hoc loco Salustius narrat, cfr. Plut. Cic. 20. 21. Jul. Cæs. 7. 8. Cato min. 22. Sueton. Cæs. 14. Appian. B. Civ. 5. 6, Dio Cass. 37. 36. Cic. Orat. IV. Catil.

Cap. LI. *de dubiis rebus*. Berol. 2. *de reb. dub.* Ber. 4. quæ verborum positio, quantumvis sit insolita, tamen unius libri auctoritas parum firma esse videtur; quare nil mutandum esse censeo. *verum providet* — *verum* om. Berol. 1. Hanc autem non esse emendationem, sed potius vitium inconsiderantia librarii commissum, facile cognoscas; quamvis enim *providere* vel sine casu dicitur, hujus tamen loci plane diversa est ratio. *obficiunt.* similiter Plautus: *ira obstitit oculis.* — *magna est.* Ven. 3. etiam in Berol. 3. locum mutat, in Berol. 4. man. sec. addidit. quare recte dicas, verbum substantivum esse ejiciendum. Ceterum eandem sententiam a multis scriptoribus expressam habes. cfr. Orat. Demosth. περὶ τῶν ἐν Χεῤῥονήσῳ initio, Aristot. Rhetor. 1. 1. 7. Thucyd. 3. 42. Sed hæc sententia vulgatior, quam ut eam ab aliis scriptoribus Salustium repetiisse statuas. *consuluerant.* Vat. a. 5. 6. Berol. 1. 2. 3. 4. quæ lectionis varietas doctior, quam quæ a librario per incuriam facta sit. Sæpius enim apud Salustium oratio obliqua in rectam mutatur. *recte atque ordine.* Græce ὀρθῶς τε καὶ κατὰ λόγον. dictio apud Livium frequens. Liv. 24. 31; 28. 39; 30. 17. *ordine*, quod est consilio, etiam Cicero dixit, Epp. ad Att. 6. 2. *haec a me ordine facta, puto me Bruto probaturum.* Philipp. 3. 15. in Verr. 2. 3. 84. *Perse.* etiam Ciceronem hoc nomen sæpius ita flectere satis constat. sed in Salustio hoc magis memorandum, quod apud eum etiam Genit. *Persei* seu *Persi* legitur. cfr. Schneider de Form. L. L. p. 73 et 315. seq. *Rhodiorum* — *Rhodios* eo tempore opibus maximi floruisse inter omnes satis constat; cfr. Liv. 44. 22. (*civitatem dicit, penes quam unam*

tum rei navalis gloria esset.) sed infidos fuisse, ne Livius quidem dixit; sed regnum Macedonicum everti graviter ferentes, et stolida virium suarum fiducia elati, impedire studuerunt, quo minus Romani bello Persea persequerentur, et neutro inclinantes belli eventum exspectarunt. cfr. Liv. 44. 14. 15; 29. 35; 45. 20—25. Vellej. Pat. 1. 9. „Rhodii fidelissimi ante Romanis, tum dubia fide, speculati fortunam, proniores regis partibus fuisse visi sunt." Aul. Gell. 7. 3. ubi Catonis Censorii oratio pro Rhodiis exstat. *impunitos dimisere eos.* Berol. 1. *eos imp. dim.* Vatic. 6. Eich. poterat quidem pronomen omitti; sed hoc non necessarium, et ideo, quod in nonnullis libris locum mutat, non suspectum habendum, nisi alia accedunt. *Carthaginienses.* hæc vera est terminatio, non *Carthaginenses* quod plurimi libri habent. cfr. Priscian. IV. V. p. 159. Ed Krehl. Enn. apud Cic. pro Balbo. c. 32. Columna. Rostrata. cfr. Gron. ad Liv. 28. c. 26. et Forcel. s v. *nefanda facinora.* Berol. 4. et 1. m. sec. sed quæ haec Carthaginiensium facinora fuerint, haud facile est ad explicandum. Punica quidem fides apud Romanos in proverbium cessit, sed sæpius Romanos quam Pœnos contra jus fasque egisse neminem fugit. sed in gloria majorum celebranda fidem excedere vitio non vertitur. neque, cum multa a Cæsare dicta boni et imprimis Cato improbarent, hunc errorem refellere iis in animo erat. *in illis.* solus ex iis, quos vidi Guelf. 5. hoc loquendi genus a Sal. non alienum esse supra vidimus; sed cum, ipso Cortio teste, Guelf. quinti in hac libri parte non eadem, quæ in priore, fides sit, unius libri auctoritatem sequi audacius visum. *quaerebant.* cfr. supra cap. 33. extrem. i. e. id egerant. cfr. Cic. Ep. Att. 7. 11. *quaerere fugam.* Liv. 1. 14. *id quod quaerebat.* cfr. infra Frag. Ep. Pomp. ad Sen. *vobis salus quaesita est.* Tac. Ann. 1. 5. *quaesita morte.* — *apud vos valeat.* ita est in Cod. Eich. Vat. a. 1. 2. 3. 4. quæ quidem verborum collocatio mihi elegantior esse videtur. *irae vestrae.* pronomen quod Cortius delevit, ipsum se satis defendit. unusquisque enim intelligit, deleto pronomine orationis concinnitatem perire. *consulere* i. e. rationem seu curam rei alicujus habere. cfr. Tac. Ann. 2. 26. *Romanae ultioni consultum est* — *digna* i. e. conveniens. *dignus* sæpius sine casu adjecto dici neminem fugit. cfr. Justin. 6. 2. *tanto exercitui deerat dignus imperator.* Jam, ut aliis adjectivis, ita huic additur *pro*, ut quæ utriusque rei ratio sit, accuratius intelligatur. cfr. Plaut. Mil. 4. 1. 21. *ad tuam formam illa una digna est.* ibid 3. 4. 4. *non sum dignus prae te* etc. Terent.

Hecyr. 2, 1. 12. „an quidquam pro istis factis te dignum dici potest?" *novum consilium* dicit sententiam Silani, quia lege Porcia cautum erat, ne civis Romanus morte mulctaretur. *sententiam* dixerunt Vat. a. *dixere*. Eich. *omnium ingenia exsuperat*. i. e. si scelera majora sunt, quam quæ animo concipi posse videantur. *comparata* i. e. instituta, parata. cfr. Cic. pro Rosc. Am. 53. pro Cluent. 48. *composite* et *magnifice*. illud spectat ad concinnitatem orationis, quæ in apta verborum junctura et numeris cernitur; hoc ad ornatum orationis, qui in sententiarum luminibus versatur. *casum* i. e. miseram reipublicæ conditionem. cfr. Planc. ad Cic. Epp. Div. 10. 18. *quae res nullam habebat dubitationem, ea nunc magnam affert sollicitudinem magnumque habet casum.* — *quae belli saevitia* esset. verbum, cujus loco unus liber *foret*, alter *est* habet, hoc loco delendum esse videtur, quod sequente verbo ejus vis satis exprimitur. *collibet* rarius occurrit. cfr. Ter. Eun. 5. 9. 26. Horat. Serm. 1. 3. 6. Cic. Epp. Div. 15. 16. *domos spoliari*. Berol. 1. 2. 3. 4. *cruore, luctu*. Berol. 3. quæ lectio non contemnenda, nisi quod libri parum certi auctoritate firmatur. cfr. Cic. Or. IV. in Cat. c. 5. *pertinuit*. i. e. quem ad finem hæc dicta sunt. Hæc dictio etiam apud Ciceronem satis frequens. cfr. Orat. pro Dom. c. 54. Epp. Div. 6. 1. — *permovet* — *accendit*. — Vat. a. *gravius aequo hab*. graviter habere dictum, ut graviter ferre, ægre ferre, ægre habere, quod vide apud Plaut. Bachid. 5. 1. 16. Liv. 7. 5. *aliis alia*. Vatic. 1. 6. Flor. 1. 8. Berol. 3. 4. Med. 2. 5. 7. 11. 12. ceteri nihil variant. Sed in his rebus Codd. auctoritas parva; nam ad aurium judicium hæc revocanda. *dimissi*. Berol. 2. 4. qua varietate firmatur id, quod supra de harum syllabarum permutatione memoratum est. ceterum *demissi* h. l. humilis significat. *in obscuro vit. hab.* i. e. agunt. cfr. supra cap. 1. *eorum pares*. pron. erasum in Ven. 4. om. Flor. 1. Ber. 2. sed hæc mihi non sufficiunt, ut pronom. ejicerem et meliorum librorum auctoritate firmatum et propter sensum necessarium. *praediti*. cfr. Cic. ad Att. 8. 3. *in excelso*. cfr. Cic. Epp. Div. 2. 6. *vel quod excelso et illustri loco sita sit laus tua*. cfr. Cic. de Off. 2. 13. Euripid. apud Stob. Serm. 46. τὰ τῶν βασιλέων ἁμαρτήματα πάντες ἴσασι. *studere* i. e. favere alicui. Salustium in ejusmodi dictionibus sæpius nomina omittere satis notum est. *equidem* non pro *ego quidem* dictum, sed ex *et quidem* conflatum. cfr. cap. sequens et Serv. ad Aen. 1. 580. Ep. de Rep. Ord. 1. 3. et 2. 5. *sic existimo*. Vat. a.

*

Eich. *et in hom. m.* copulam om. Berol. 2. perperam. *saevior*, plurimi Itall. Codd. et Berol. 2. 3. sed recepta lectio retinenda, nam *saevior* si dixisset auctor, vim sententiæ minuisset. *virum fortem et strenuum*, intrepido animo et constanter, quæ e republica sunt, peragentem; fortem enim non solum ad laudem bellicam pertinere in confesso est. cfr. Liv. 28. 40. Nep. Datam. 7. Epam. 7. *eamque mod. que* om. Berol. 3. Med. 6. *eamque* om. Med. 8. *atque mod.* Med. 11. quæ varietas facit, ut Cortio assentior, qui copulam ejiciendam esse censuit. cfr. supra c. 7. Jug. 85. Tacit. Hist. 4. 42. *sententia ejus.* pronomen et hoc loco Berol. 1. et Ven. 4. omisit, quo omisso oratio obscurior fieri videtur. *supervacuum.* Berol. 1. quod Varroni improbandum videbatur. cfr. Non. Marcel. 12. 28. *praesertim dil.* Vat. a. Eich. Berol. 2. 3. 4. et ceteri Italici. sed *praesenti* retinendum. *praes. dilig.* ita dictum est, ut *praesens auxilium.* Cic. Verr. 6. 49. Virg. Eclog. 1. 42. *praesentes divos.* Quinctil. 6. 4. *opus est ingenio celeri ac mobili, animo praesenti et acri.* Virg. Aen. 5. 363. *Nunc si cui virtus animusque in pectore praesens.* quare dubitari non potest, *praesens dil.* recte dici; *praesertim* contra nihil habet, quo referatur. *sint praes.* Berol. 2. *praes. in arm. sint.* Vat. a. unde aliquis conjiciat, etiam hoc loco verbum ab aliena manu esse adpictum. *possum equid.* Vat. a. Berol. 1. m. sec. falso. nam non a se solo hoc dici Cæsar significat, sed ab omnibus dici posse, quia naturæ rerum consentaneum sit. *dissolvere.* in eandem sententiam Senec. ad Marc. 19. *mors omnium dolorum est solutio et finis, ultra quam mala nostra non exeunt.*— Cic. pro Milone 37. *mortem naturae finem esse, non poenam.* cfr. Aristot. Ethic. 3. 6. Cic. pro Quintio 61. eundem vide aliter statuentem Cato. Maj. 19—32. Læl. 4. pro Archia 11. 12. *in sententia.* ita Vat. a. cfr Lucret. 3. 914. *illud in rebus non addunt.* Sed ablativus hoc loco eo aptior est, quod non alienam sententiam Silanus defendit, sed ipse primus ita censuerat. *lex Porcia* a P. Porcio Læca A. U. 556. lata „ne quis magistratius civem Romanum virgis cæderet necaretve." Liv. 20. 9. *Porcia tamen lex sola pro tergo civium lata videtur, quod gravi poena, si quis verberasset necassetve civem Romanum, sanxit.* cfr. Cic. pro Rabirio c. 4. „Porcia lex virgas ab omnium civium Romanorum corpore amovit, hic misericors flagella retulit. et Verr. 5. 63. „Porcia lex libertatem civium lictori eripuit; Labienus homo popularis carnifici tradidit." *aliae leges.* Semproniam, credo, intelligit, de qua Cicer. Orat. in Cat. 4. 5. *sed in*

exil. permitti. Berol. 3. 4. Med. 2. Vat. 6. 3. 2. (m. sec.) Barb. 1. Bonon. Flor. 1. *ad exil perm.* Med. 12. usum loquendi satis defendit Cortius. Liv. 40. 40. Auct. B. Gall. 8. 48. Gronov. ad Liv. 29. 2. Non. Marcell. 2. 710. Martial. Epigr. 10. 12. sed utra lectio aptior sit, hac ratione vix invenias. Nota esse debebant ipsius legis verba, ut, quid verum esset, reperiretur. quibus parum cognitis, ex verborum structura statuendum, quid præferendum sit. jam durissimum esse videtur hæc conjungere. *civibus animam cripi, sed in exil. permitti.* pronomen *eos* interpositum esse oportuit. Tum Cortium hoc fugisse videtur, recte dici *exilium permittitur*, cum hominibus, summo supplicio dignis, potestas fit in exilium abeundi. Compertum quidem non habeo, hoc legibus fuisse constitutum, sed moris fuisse satis constat; firmat denique auctoritatem receptæ lectionis, quod infra sub finem orationis, ubi ejusdem legis mentio fit, lectionis varietas locum habere non potest. Neque aliquis putaverit, oratorem legis sententiam alio loco aliter interpretatum esse. *parricidas,* vide supra c. 31. hujus sceleris nomen non solum ad parentum et cognatorum, sed etiam ad civium cædem, imo ad alia crimina referebatur, quibus pietas erga patriam et sanctissimum quodque officium violatur. cfr. Cic. de Legg. 2. 9. *sacrum sacrove* commendatum qui clepserit, rapseritque parricida esto." unde fit, ut etiam *parricidae patriae, reipublicae, civium, dicantur.* Cic. in Vatin. 15. Senec. 1. de Clem. 9. Tac. Annal. 4. 34. *tempus, dies.* hæc junguntur. Liv. 2. 26; 22. 39. de qua junctura vocum similium acute Gellius disputat 13. 24. ceterum *dies* sæpissime apud optimum quemque scriptorem pro tempore dicitur. Cic. Verr. 2. 2. *cum ego diem perexiguam postulavissem, invenit iste, qui sibi breviorem diem postulavit.* unde conjicias, maxime in judiciis hoc dicendi genus usurpatum fuisse. nam quod dicunt: « tempus esse universum et incertum, diem singulare et certum" id quidem acute dictum esse videtur; sed re accuratius examinata, hæc vana esse intelliges. *fortuna.* cfr. Jug. c. 102. *sed quoniam humanarum rerum fortuna pleraque regit.— merito accidit.* Vat. 5. 3. 6. Berol. 3. 4. quod nescio an elegantius sit. *in alios.* Berol. 2. *illos,* quod ex superiore *illis* natum. *ignavos.* Berol. 1. 3. sed Vat. a. *ignaros ejus.* unde hoc certe intelligitur, *ignaros* primitus in libris Mss. fuisse. *ad indignos.* cfr. Vellej. 2. 2. « Non enim ibi consistunt exempla, unde cœperunt; nec quisquam sibi putat turpe, quod alii fuit fructuosum." *digni et idonei* dicuntur, qui pœna digni sunt. *Lace-*

daemonii etc. Xenoph. Hellen. 2. 3. 11. seq. cfr. Justin. 5. 8. Diod. Sicul. 14. 3. C. Nepot. Thrasyb. Plut. Lysand. cap. 15. *rempublicam tractarent.* Berol. 3. pronomine omisso, sed perperam. tractare i. e. administrare. cfr. Jug. 41. Justin. 1. 2. Cic. Div. Verr. 10. *tractare pecuniam publicam.* tractare bellum. Tac. Ann. 1. 59. Liv. 23. 28. *Damasippum.* « prætorem urbanum, Marii partibus addictum et in Sullanos nimis sævientem." C. cfr. Val. Max. 9. 2. 3. Vellej. 2. 26. cfr. Liv. Epit. 86. Appian. Bell. Civ. 1. 92. *malo reipub.* eo tempore, quo respublica servitute oppressa tenebatur. Nam mihi quidem sextus casus præferendus videtur. neque recte laudant Thuc. 2. 13. ού μέν τι έπὶ κακῷ τῆς πόλεως γένοιτο etc. et c. 17. ἐπ' ἀγαθῷ *factum ejus laud.* cfr. Senec. Benef. 5. 16. *Ingratus L. Sulla, quipatriam durioribus remediis, quum pericula erant, sanavit.— laudabat?* sceleratos *factiosos.* Med. 8. *sceleratos et f.* Med. 12. *infestos, factiosos.* Ven. 6. quæ lectionis varietas, si minus ad totum locum mutandum valet, id certe docere videtur, conjunctionem hoc looo esse omittendam. *exagitaverant* i. e. vexaverant perturbaverant. cfr. Jugurth. 37. et Catilin. 38. ubi agitare eodem modo dictum est. *postremo vas. aut* omisso. Eich. *uti is in prosc.* Vat. a. Eich. Ven. 3. et multi praetera ex libris Italicis. et vereor, ne pronomine omisso durior fiat constructio. de re vide infra Jug. cap. 41. et Cic. Orat. pro Roscio Amerino. *illi.* quod Cortius, nonnullorum librorum incuria in errorem abductus, omisit, magna cum elegantia positum est. *trahebantur* scil. ad supplicium. vocabulum hac in re proprium. cfr. Cicer. Epp. 7. 32. et sæpius alibi. *Sulla muner. explevit.* cfr. Plut. Sulla cap. 31. *exerc. sit in manu.* Ven. 3. sed hæc non sufficiunt, ut verbum suspectum habeas, tot librorum auctoritate firmatum. *falsum aliquid.* etiam hoc loco Cortius pronomen delevit, credo, quod adjectivum eodem casu pronomini additum, duriorem habuit structuram sed cfr. Cic. Læl. 9. et de Fin. 2. 34. *gladium edux.* i. e. vi contra cives egerit. cfr. Liv. 24. 22. *strictis semel gladiis timentem, qui finis caedibus esset futurus. finem statuere* h. l. primaria significatione. *ab Samnitibus,* id quod facile credideris, quod post bella demum cum Samnitibus gesta Romani nominis terror maximus fuit. *Tuscis.* cfr. Flor. 1. 5. Liv. 1. 8- Dionys. Halic. 3. 84. *bonis,* non in genere neutro est intelligendum, quod Cortius statuit, sed boni sunt intelligendi homines, qui scientia alicujus rei excellunt; *Graeciae morem.* spectat hoc haud dubie ad leges XII. Tabb. cfr. Tab. VII. ap. Gothofred. Heyne. Opusc. Acad. III. p. 184. *summum.* hoc omisit. Eich. sed

omitti non potest; quia hæc formula solemnis, et iisdem verbis Silanus sententiam dixerat. *aliaeque leges. leges* om. Vat. 6. *quibus legibus. legibus* om. Ven. 1. m. sec. addidit. Med. 6. uno certe loco jejuna est substantivi repetitio; sed magis eo inclinat animus, ut *leges a* librariis adjectum esse existimem. ceterum idem substantivum sæpius eodem loco ponere optimo cuique scriptori usitatum. cfr. loca a Cortio laudata. Cæs. B. Gall. 1. 16. et 49. id. 5. 9. Cic. II. Verr. 74. pro Sextio. cap. 45. adde Epist. 4: 5; 8: 8; 9. 13; 13. 58. Terent. Phorm. Prolog. 33. cfr. Ruddim. Jnst. L. L. 2. 18. et 399. *Ego hanc causam.* Vat. a. quem ordinem antiquissimi fere libri habent. *quo minus*, quod vulgo verba sequitur; quibus vis quædam impediendi inest, hoc loco positum ut apud Cæsarem B. Civ. 2. 13. *stetisse per Trebonium, quo minus oppido potirentur, videbatur.* — *in illis.* pronom. *in* omisit. Vat a. Berol. 1. sed jam Cortius docuit, melius præpositionem hoc loco retineri. cfr. Jugurth. 8. 28. et alios scriptores passim. *in rem* cfr. Cic. Rosc. Amer. 18. *majores nostri ex minima et tenuissima republica maximam et florentissimam nobis reliquerant. ea bene parta.* pronomen, quod in nonnullis libris omissum est, viro docto nescio cui, a librariis adjectum esse videbatur, quippe quod ne Latinum quidem esset. Sed primum jam hoc insolitum, quod neutrum plurale positum est, quod vix librarii inventum esse dixeris; neque sequentia: *bene parta* hoc pronomine adjecto explicantur. sed scriptoribus hæc permutatio generis satis usitata. videtur autem, omisso pronomine, participium cum antecedentibus non satis apte junctum esse. pronomen demonstrativum aliquoties adjungi, ut vis sententiæ augeretur, jam supra vidimus cfr. cap. 37. *sed urbana plebes ea vero* Liv. 1. 19. *urbem novam, conditam vi et armis, jure eam legibusque de integro condere parant.* cfr. Ruddim. Instit. L. L. II. pag 370. cfr. etiam Ramshorn. Gr. L. §. 204. 3. a. sed laudata loca non ejusdem esse generis, libenter concedo. quare hoc loco *bene parta* per appositionem pronomini addita esse statuo. *haec* legi jussit V. Cl. Heinrichius. *pecunias* i. e. bona. *per municipia.* i. e. in omnibus municipiis. hoc enim *per* exprimit. Liv. 1. 9. *invitati hospitaliter per domos.* Plaut. Cist. 5. 1. *fabulantur per vias* Sed hoc sæpius factum, ut captivi per municipia in custodia haberentur. cfr. Vellej. 1. 11. Sueton. Cæs. cap. 14. *non quis.* cfr. Cic. Catil. 4. 4. *existimare.* etiam hæc vox in senatus consultis satis usitata. cfr. Cic. Orat. post·

Red. in Sen. 4. Cic. Epp. Div. 8. 8. Philipp. 8. extr. *contra rempublicam*. vide supra c. 50. Cic. post Red. in Sen. 11. pro Sextio 61. Epp. ad Att. 2. 24. ad Q. Fratr. 2. 3. pro Milone 5. Liv. 3. 21. et 10. 9. de Cæsaris sententia cfr. Dio Cass. 37. 36. Suet. Jul. 14 Cic. Orat. Cat. 4. c. 4. et 5. Plut. Cæs. 7. Appian. B. Civ. 2. 6. Flor. 4. 1. „de supplicio agentibus Cæsar parcendum dignitati, Cato animadvertendum pro scelere censebat." Ex Ciceronis oratione intelligitur Cæsaris gravissimas municipiorum pœnas adjunxisse, si unus conjuratorum vincula evaserit. — Plutarchus autem atqne Appianus quæ Cæsar censuit, cum Tiberii Neronis sententia confuderunt. cfr. Plut. l. l. *εἰ δὲ φρουροῖντο δεθέντες ἐν πόλεσι τῆς Ἰταλίας, ἃς ἂν αὐτὸς ἕληται Κικέρων, μεχρὶς οὗ καταπολεμηθῆ Κατιλίνας, ὕστερον ἐν εἰρήνῃ καὶ καθ᾽ ἡσυχίαν περὶ ἑκάστου τῇ βουλῇ γνῶναι ὑπάρξειν.* iisdem fere verbis Appianus: *μέχρι, Κατιλίνα καταπολεμηθέντος ἐς δικαστήριον ὑπαχθῶσι.* His igitur testimoniis Salustii auctoritas non infirmatur. Sed in orationibus conscribendis eandem fere normam, quam Thucydides secutus esse videtur; cfr. Thuc. 1. 22. *ὡς δ᾽ ἂν ἐδόκουν μοι ἕκαστοι περὶ τῶν αἰεὶ παρόντων τὰ δέοντα μάλιστα εἰπεῖν, ἐχομένῳ ὅτι ἐγγύτατα τῆς ξυμπάσης γνώμης τῶν ἀληθῶς λεχθέντων, οὕτως εἴρηται.* Quamvis enim tum primum scribæ fuisse dicuntur, qui, cum signis et compendiis scripturæ uterentur, celeritatem orationis scribendo assequerentur, tamen Salustium harum orationum exempla evulgasse vix putaveris. Non enim verba expresserunt rerum scriptores, sed sententias secuti orationes ita composuerunt, ut oratorum ingenium et mores exprimerent. Quare non dubium est, nihil fere eorum ab Salustio esse omissum, quæ in Cæsaris oratione ad senatorum animos movendos plurimum facerent. Sed quantumvis varia hac de re sint virorum doctorum judicia, id neminem fugit, magna cum arte hanc orationem esse compositam. Primum enim mansuetudinem et lenitatem et popularem illam rationem, qua suscipienda Cæsar laudem quæsivit, satis luculenter oratio expressit. accedit lucidus ordo et apta argumentorum dispositio atque collocatio, quæ res plurimum valet. Nam ab initio, ut virum moderatum et a partium studio alienum decet, iram atque studium removet, constantiam atque gravitatem laudat, eaque majorum moribus maxime consentanea esse docet. qua in re veritatem inflectit, quia volentibus facile errores persuadentur. præclare etiam hoc dictum: scelera hominum pœna non posse exæquari" quod multorum etiamnum

est judicium. his præmissis, ceterorum sententias examinat eosque reprehendit, quorum oratio in eo fere consumebatur, ut iram audientium moverent; id quod a senatoria dignitate plane abhorrere demonstrat; cujus sententiæ vim ut augeret, callide eos admonet periculi, quod severioris pœnæ auctoribus instabat. Tum iterum pœnam pro sceleris natura parum idoneam esse docet, mortis atrocitatem argutiis elevat, et, quantum mali ex neglectis legibus oriri soleat, luculentissimis exemplis comprobat. Deinde causas exponit, cur istæ leges scriptæ fuerint, majorum sapientiam laudat suamque ipsius sententiam adjungit, quæ, ut legibus consentanea erat, ita atrocissima esse videbatur. Jam timorem quidem senatorum animis injecit, eosque, ut sibi potius quam reipublicæ consulerent, permovisse visus est, sed orationis accuratissime scriptæ auctoritas eo imminuta est, quod mores et instituta dicentis parum probabantur.

Cap. LII. *verbo adsent*, i. e. breviter, uno verbo, v. gr. *placet*, *adsentio*, et quæ his similia sunt. cfr. Flav. Vopisc. Aurelian. 20. *varie*. quia variabant sententiæ. *adsentiebant*. Eich. « Simile initium III. Olynth. Demos. *οὐχὶ ταὐτὰ παρίσταταί μοι γιγνώσκειν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὅταν τε εἰς τὰ πράγματα ἀποβλέψω καὶ ὅταν πρὸς τοὺς λόγους, οὓς ἀκούω. τοὺς μὲν γὰρ λόγους περὶ τοῦ τιμωρήσασθαι Φίλιππον ὁρῶ γιγνομένους.* *mens* i. e. sententia, passim apud scriptores atque poetas. *mecum ipse*. Med. 5. *cavere magis*. Ber. 1. *magis cavere*. Ven. 3. quæ verborum positio elegantior quam vulgaris est. sed hæc vox suspecta. sententiæ enim vim infirmat, et si quid addendum est, *potius* aptius esse videtur. cfr. supra cap. 9. Sed cognosce hominis prudentiam, qui paucis verbis fallaces Cæsaris conclusiunculas refellit. *malefacta*. quod in plurimis libris est, propter *κακοφωνίαν* rejiciendum. *malefacta — facta*. — *persequare* i. e. ulcisci. cfr. Cic. Verr. 4. 3. Cæs. B. G. 7. 38. *persequamur eorum mortem, qui indignissime perierunt*.— *Sed per deos*. Orator ut animos hominum languidorum moveret, qui omnia consilia de re publica ad suum commodum referebant, earum rerum eos admonet, in quibus quærendis plurimum operæ consumserant. *amplexamini*. i. e. quæ vobis in deliciis sunt. cfr. Cic. de Orat. 3. 17. *amplexari voluptatem*. Epp. ad Q. Fr. 2. 12. in rem cfr. Liv. 26. 36. Cic. Epp. ad Att. 1. 18. *non agitur* cfr. Jug. 31. Orat. Memmii: *non peculatus aerarii factus est* etc. Cic. pro Flacco 2. *in dubio*. cfr. Ter. Andr. 2. 2. 10. *mea certe in dubio est*

vita. Cæs. B. G. 6. 6. *sese suas fortunas in dubium non devocaturum.* Ter. Adelph. 3. 2. 41. *Tua fama et gnatae vita in dubium veniet.* — *advorsos habeo. advors.* sine casu rarius ponitur; verborum structura Græca, i. e. *multi mihi hanc ob rem adversi sunt.* — *mihi atque animo meo.* hæc locutio abundantior, ut antiquum quendam rigorem refert, ita animi ardorem exprimit, quo commotus Cato audientium animos accendit; sed hoc stoicorum præceptum fuisse Cicero docet. Or. pro Mur. 29. *sapientem gratia nunquam moveri, nunquam cujusquam delicto ignoscere.* — *gratiam fecissem. indulgere, condonare, remittere* hoc esse neminem fugit; sed difficile ad explicandum, unde hæc significatio orta sit. proprie significare videtur, alicui gratiæ aliquid apponere, aliquid gratum habere, rem aliquam, etiamsi invisa est, pro grata accipere. gratia enim aliquoties venia est. Gell. 11. 8; *ideoque veniam gratiamque malae existimationis, si quid errasset, postulavit.* cfr. Jug. 104. 111. Plaut. Rud. 5. 3. 58. Casin. 2. 6. 21. Liv. 3. 56. Sueton. Aug. 17. eandem morum austeritatem in Catone Censorio laudat Lucilius Satir. lib. 14. *Nam vetus ille Cato lacessim* (?) *appellare, quod conscius ipse non esset sibi. firma erat.* verbum substantivum hoc loco retinendum. est enim asyndeton apud Sal. satis frequens. quare post *erat* interpungendum est. *opulentia* scil. reipublicæ i. e. cum tantæ reipublicæ opes essent, ne negligentia quidem damno ei fuit. cfr. Cic. de Harusp. Respons. cap. 28. *bonis an malis.* Ven. 3. m. pr. sed cum ceteri Codd. *ne* constanter retineant, ejicere non ausus sum. idem statuo de verbo substantivo *sit*, quod Cortio teste duo libri omittunt; videtur quidem posse suppleri ob sequens *sint*; nihilominus tamen verbum omittere durius quam elegantius esse videtur. *cujus haec cunque.* hanc verborum positionem nullus ex Italicis libris confirmat, sed lectionis varietate, quam notavi, satis defenditur. *sed ista cujuscunque m. vid.* Berol. 1. *nominet.* Eich. sed indicativus in hoc dicendi genere usitatior. cfr. loca a Cortio laudata, Cic. Phil. 8. 4. Epp. Div. 5. 15; 7. 13; Plin. Epp. 1. 20. *quisquam.* Cæsarem significat, quem odio habuit. cfr. Cæs. B. Civ. 1. 3. Plut. Cato min. cap. 23. *vera rerum vocabula.* cfr. Thucyd. 3. 82. τόλμα μὲν γὰρ ἀλόγιστος ἀνδρία φιλέταιρος ἐνομίσθη, μέλλησις δὲ προμηθὴς δειλία εὐπρεπής, τὸ δὲ σῶφρον τοῦ ἀνάνδρου πρόσχημα καὶ τὸ πρὸς ἅπαν ξυνετὸν, ἐπίπαν ἀργόν. τὸ δὲ ἐκπλήκτως ὀξὺ ἀνδρὸς μοίρᾳ προσετέθη. sed totum cap. conferendum. *ne illi.* Vat. a. quod nescio an ele-

gantius sit. *in extremo.* cfr. Tac. Annal. 14. 16. *vita in extremum adducta.* frequentior pluralis Curt. 4. 14. *ad extrema perventum est.* sed hæ locutiones, *in obscuro*, *in dubio*, *in proximo*, *in extremo*, *in aperto*, *in promptu* apud Salustium frequentissimæ, qui hac in re Græcos imitatus esse videtur. *liberales.* etiam hoc ad Cæsarem spectat. cfr. Sueton. Cæs. cap. 18. Catull. 30. *misericordes in furibus aerari.* cfr. supra cap. 9. et 11. Cic. Verr. 1. 1. *et si fortes fueritis in eo.* Offic. 1. 14. *qui aliis nocent, ut in alios liberales sint.* Cic. Catil. 4. *si in his hominibus vehementissimi fuerimus, misericordes habebimur.*—*perditum eant.* vide supra ad c. 36. et Jug. 31. « ne ignoscendo bonos perditum eatis.» *divorso itinere.* duæ constructiones consociatæ videntur. scilicet diverso a bonis itinere in loca taetra malos abire putat. Ceterum hæc non solum a poetis celebrata, sed etiam a stoicis de hac re disputatum. cfr. Lactant. 7. 7. « Esse inferos Zenon stoicus docuit, et sedes piorum ab impiis esse discretos; et illos quidem quietas et delectabiles incolere regiones; hos vero luere pœnas in tenebricosis locis atque in cæni voraginibus horrendis.» cfr. Catull. Carm. 3. Seneca Epp. 82. et 24. *habere.* i. e. ἔχειν, ut sæpius apud Sal. *et non per totam. et*, quod in nonnullis Cortii libris omittitur, delendum esse duco. cfr. Cic. Epp. 3. 7. « quasi vero ad cognoscendum ego ad illos, non illi ad me venire debuerint.» Sal. supra cap. 51. « in luctu atque miseriis mortem ærumnarum requiem, non cruciatum esse.» *consilium* est. verbum om. Vat. 6. probo. *refert me mihi. me* om. Barb. 5. 1. Med. 3. Ven. 3. *ref. mihi me.* Barb. 4. quæ faciunt, ut pronomen *me* a Cortio recte omissum judicem. *attentius.* i. e. diligentius, acrius. cfr. Quinct. 4. 5. *judex attentior circa jus.* Val. Max. 2. 5. 5. *antiqui attenti continentiae — languere.* id quod Cicero dicit, mollibus sententiis conjurationem alere, torpere, hebescere, nimis mollem et placabilem se præbere. cfr. supra ad c. 43. *feroces aderunt.* proprie hostium est, qui occurrunt et minitabundi accedunt. cfr. Jug. 50. *infensi adesse atque instare.* Liv. 22. 32. *diversis locis opportuni aderant. Nolite existim.* Hæc quoque ad Cæsaris orationem refellendam dicta, sed non contraria illis, quæ a Cæsare dicta fuerant. Virtutem enim et sapientiam antiquorum Romanorum majorem fuisse dixerat; sed contentionis studium Catonem perpulit, ut hæc quoque ita diceret, tanquam a Cæsare improbarentur. *pulcherrimam.*

i. e. optimam. vide supra c. 5. *magnos fecere.* nota simplicitatem sermonis antiqui. *laudamus div.* i. e. admiramur, in pretio habemus. cfr. Plin. H. N. 29. 3; et 28. 10. *apri cerebrum contra serpentes laudatur.* — *sequimur* i. e. studiose sectari. cfr. Horat. Sermon. 1. 6. 87. *si praeco parvas aut coactor mercedes sequerer.* cfr. Cic. pro Mur. 27. de Legg. 2. 1. Quæ hoc loco Cato senatui crimini dat, iis similia Philippus in Orat. contra Lepidum effundit. cfr. infra Lib. 1. fragm. 19. *vacuam.* vacua respublica dicitur, cujus nemo curam gerit, quomodo apud jurisconsultos bona, hereditas, possessio vacua, quæ a nullo possidentur. *conjuravere.* — constructio Græca, rarius enim cum infinitivo conjungitur. cfr. Horat. Od. 1. 15. 6. *Graecia conjurata tuas rumpere nuptias.* sæpius sequitur *contra*, *in*, cum acc. *de* cum ablat. vel *ut* cum conj. *infestissimam.* cfr. supra cap. 40. et Jugurtha fin. *dux hostium cum exercitu.* Vat. a. *cum exercitu.* om. Eich. quæ lectio confirmat emendationem c. 43. a Cortio propositam, ubi itidem verba *cum exercitu a* librariis addita erant. *supra caput* i. e. prope abest, quod paulo infra dicitur: *faucibus urget.* cfr. similem locum ap. Ciceronem Or. in Cat. 4. 2. cfr. Liv. 3. 17. *cum hostes supra caput sint.* Cic. pro Mur. 37. *in capite atque cervicibus nostris restiterunt* — *cunctamini etiam nunc et dubitatis.* Eich. quam lectionem et ipsam laudo, ut intelligatur, capite 46. *dubitans* librariorum esse commentum, qui tali additamento duriorem verborum structuram molliri putabant. *deprensis hostibus.* quod videtur esse elegantius; est enim vocabulum proprium in hac re. sed *apprehensis* hanc ipsam ob rem præferendum, quia magis est insolitum. cfr. Gell. 5. 14. Val. Max. 4. 6. 1. *misereminí.* Vat a. quod vellem, recepissem; est enim usitatius in hac structura; ubi enim *opinor*, *credo*, *spero*, *censeo* interponuntur, indicativus ponitur; vide innumera loca apud Plautum et Terentium et Cic. Catil. 4. 6. *Veremini, censeo, ne in hoc scelere* etc. — *atque etiam. etiam* om. Eich. consentiunt optimi Cortii libri. videtur librarios rarior particulæ significatio fugisse, quæ apud comicos maxime celebrata est. Est enim indignantium et increpantium. cfr. Ter. Eun. 5. 7. 16. „quid dixisti pessima? etiam rides?" Mostell. 4. 2. 28. Cic. in Pison. 1. *is mihi etiam gloriabitur.* — *vortet.* vertatur. Eich. *convertat.* Vat. a. *aspera* i. e. dura, difficilis. cfr. Catil. 10. 20. Cic. pro Balbo 9. *in periculis et asperis temporibus. alius alium.* cfr. Tac. Hist. 1. 55. „Ceteri silentio proximi cujusque audaciam exspec-

tantes; insita mortalibus natura, propere sequi, quæ piget inchoare.» cfr. Euripid. Electra. vs. 80. ἀργὸς γὰρ οὐδεὶς θεοὺς ἔχων ἀνὰ στόμα βίον δύναιτ' ἂν ξυλλέγειν ἄνευ πόνου. *videlicet dis. im.* Vat. a. Eich. *suppliciis* vide supra cap. 9. *socordiae atque ignaviae. soc.* dicitur animi quidam stupor et torpor, languor. *ignaviam* Cicero fortitudini opponit. Jnvent. 2. 54. Catil. 2. 11. animi et lentitudo et mollities. *A. Manlius Torquatus.* Prænomen apud Livium (8. 3.) et Ciceronem (de Offic. 3. 31.) *Titus* est. memoria lapsus Salustius illum cum Aulo Manlio commutasse videtur, qui 280 U. C. cum Furio Camillo consul fuit. cfr. Dio Cass. IX. pag. 594. a quo Vejentes obsessos ad pacem petendam compulsos esse idem tradit. apud Livium idem C. Manlius dicitur. *bello Gallico.* Latino bello hoc factum esse Livius auctor est. 8. 7. itidem Florus 1. 14. Cum Salustio sentire videtur. Dionys. Halic. apud quem (8. 79.) ὁ τῷ Γαλατικῷ πολέμῳ στρατηγῶν dicitur. Sed Livio major fides. obiter enim hujus rei meminit Dionys. Salustium autem in errorem induxisse videtur, quod Manlius ille cognomen Torquatum in certamine singulari cum Gallo sibi peperit. *huic sceleri obstat.* i. e. ab hoc scelere abhorret. *cetera* pro *reliqua*, id quod apud Salustium frequens. *iterum.* prioris enim conjurationis socius fuisse videtur. *bellum facere.* etiam hæc ex Salustianis dictionibus. *consilia habere.* i. e. agitare, inire. *faucibus.* sæpius hac voce figurate utuntur scriptores. cfr. Plaut. Casin. 5. 3. 4. *manifesto faucibus teneor.* Cic. pro Cluent. 31. *cum faucibus premeretur.* cfr. de Orat. 1. 52. Val. Max. 5. 3. *faucibus apprehensa resp.* alii hoc ad saltuosa Etruriæ loca referunt, quæ Catilina occupaverat. cfr. Cic. Or. Cat. 1. 2. «Castra sunt in Italia *in Etruriae faucibus collocata.*" sed ejus loci diversa est ratio, quia *Etruriae* addita est. ut igitur hæc sequentibus opponantur, *Italiae*, quod in nonnullis libris est, apponendum erat. quas enim fauces Cato intellexerit, incertum est. Sed ne omittam quod dubitationem quandam movere possit, dicat aliquis, Catonem comparare populum Romanum cum exercitu, in valle angusta iucluso. quod si statuis, non opus fuit, ut accuratius explicaret, *ubinam fauces* illas fuisse putaverit. cfr. Liv. 39. 32. «Masinissam persecutus, in valle arcta, faucibus utrinque obsessis, inclusit." Flor. 1. 10. 2. *incubat ipsis faucibus urbis.* Accedit, quod non satis concinnum esse videtur, quod in oppositis alterum membrum per tropum sit expressum, in altero propria verborum significatio retineatur; neque per opposita verba *cum exer.*

citu, fieri posse videtur, ut *faucibus* hoc loco ἀλληγορικῶς dictum esse statuamus. sed, aliter si interpretaris, *in* præpositio retinenda est. et occurrit hac significatione *urgere* sine casu infra Jug. 60. sed *faucibus urgere* idem significare, quod *fauc. premere*, *tenere* vix satis accurate docueris. — Cæsaris orationem, quamvis accuratissime scriptam, longe superat Catonis vis austeraque gravitas. Quare nescio, an ulli scriptori in humani ingenii natura orationibus illustranda cedat Salustius. Vere enim dixeris hac oratione Catonis ingenium luculentius esse adumbratum, quam vita a Plutarcho conscripta. quare fieri non potest, quin vel imperiti literisque leviter imbuti hujus orationis præstantiam sentiant. Neque hujus rei causa inde repetenda, quod meliorem causam Cato defendit. Quamvis enim vim dicendi hac re maxime intendi haud negaverim, cum maxime scriptoris oratio a fuco illo orationis abhorreat, ipsa tamen verborum compositio aptior atque concinnior est. Facile enim fervorem quendam ætatis et animi impetum flagrantissimumque libertatis amorem in tota oratione expressum cognosces. Sed dubitatum est, num, quæ Cato censuerat, satis accurate a scriptore sit expositum. Videntur enim jam illo tempore multi Catoni nimium tribuisse. Testimonio est Ciceronis epistola ad Att. 12. 21. ubi queritur, quod Brutus Catonem primum sententiam de animadversione dixisse putaverit, et hanc ob causam senatus consultum in sententiam Catonis factum esse dicit, quia verbis luculentioribus et pluribus rem eandem comprehendisset. ubi hoc a Cicerone omissum est, ipsius oratione multos fuisse compulsos, ut sententiam mutarent; lenius enim consilium Ciceroni utilius esse videbatur. Primus vero Catulus aliter sensit, quem Cato secutus est. (vide Plut. Cic. 21.) sed Cicero ipse (Or. pro Sextio cap. 28.) *Catonem* illarum rerum ducem, auctorem *et actorem fuisse* dicit. cfr. præterea Dio Cass. 36. 36. et Vellej. Paterc. 2. 35. Præterea Ciceronis laudes a Catone fuisse celebratas inde colligas, quod Cicero scribit, res a se gestas a Catone laudibus in cœlum elatas. Cujus rei cum in Catonis oratione, a Salustio perscripta, nulla mentio facta sit, parum accurate oratoris sensus expressisse iudicatur. Plutarchus auctor est, Silanum a Catone vehementissime oppugnatum, quod hominum perditissimorum patrocinium susceperit. (cfr. Plut. Cat. min. cap. 23.) consensit Vellejus l. l. *ardore oris orationem omnium, lenitatem suadentium, societate consilii suspectam fecit . . . . ita consulis virtutem amplificavit* etc. Cujus quidem orationis vestigia premere magis etiam Salustio licuit, quod

hæc sola Catonis oratio perscripta et vulgata est. id quod Ciceronis opera factum, qui scribas, quos compendiis scribere docuerat, per totam curiam disposuerat, qui Catonis verba excepta scripto mandarent. (cfr. Plut. l. l.) Præterea Salustius hoc silentio prætermisit, quod Cato etiam bona illorum publicanda censuerat. Cum enim in ejus sententiam plurimi senatores discessissent, de bonis publicandis Cæsar iterum obstrepuit, quippe qui noluerit sua ex sententia id retineri, quod longe durissimum fuit. quod cum multi eo invito defenderent, ad tribunos provocavit. A quibus rejectus, fortasse frustra contra tetendisset, nisi Cicero iterum senatores in suffragium misisset. cfr. Plut Cic. 21. Vellejo auctore (2. 35.) major pars senatus Catonem domum deduxit. sed hæc nihil ad orationem. Hoc autem satis probabile videtur, Salustium in hac oratione componenda magis id egisse, ut effigiem Catonis virtutis summa arte expressam atque politam relinqueret, quam ut accuratius omnia perscriberet, quæ ille in sententia dicenda comprehenderat.

Cap. LIII. *Consulares.* eos enumerat Cic. Epp. ad Att. 12. 21. sæpius sejunguntur a ceteris senatoribus, quia illorum multo maxima auctoritas fuit. *magn. atq. clar.* hunc verborum ordinem ex Italicis libris solus Ven. 2. habet. — *habetur* ut sæpius, ita hoc loco ex Græco sermone explicandum. cfr. supra cap. 1. et de Rep. Ord. 2. 8. *ubi divitiae clarae habentur.* Cæs. B. G. 21. *Considius rei militaris peritissimus habebatur.* —*Sed mihi.* etc. consilio auctor hoc orationis initio usus esse videtur, ut legentium animos ad id, quod dicturus erat, adverteret. *sustinere* i. e. sustentare. cfr. Liv. 6. 15. *necessitates aliorum.* Colum. 9. 14. *penuriam temporum.* cfr. Hor. Ep. 2. 1. 1. — *magnis legion. h.* i. e. magnis exercitibus. quod igitur in pedestri scriptore occurrit, in poeta interpretes ferre debuerunt. cfr. Heindorf. ad Horat. Satir. 1. 6. 4. cfr. Jug. 79. Liv. 3. 5; 17. 27; 28. 38. *contendisse — gesta.* genus verbi mutare Salustio usitatissimum. cfr. c. 51. *circumvenire — fieri.* cfr. c. 60. Jug. 97. *fortunae violentiam* i. e. sævitiam. *facundia* i. e. oratio apte composita; quam quidem artem præ ceteris disciplinis laudare videtur, quod huic potissimum studio juvenes Romani dediti erant. de re cfr. Ovid. Fast. 3. 102. Liv. 8. 22; 31. 44. Plin. Epp. 8. 44. *gloria belli.* cfr. Cæsar B. G. 5. 54. Cic. de Harusp. Resp. 9. pro Rosc. Am. 25. *ante Rom.* cfr. Tac. Ann. 13. 14. *nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse.* Hist. 4. 55. in-

est quædam simplicitas in hac dictione. *fuere viri.* inde patet, hæc a Salustio post Cæsaris mortem scripta. *constabat* i. e. satis certum visum est. cfr. Cæs. B. G. 3. 14. *neque satis Bruto, neque tribunis constabat quid agerent.* *effetus* proprie qui partum edidit, tum exhaustus fetibus edendis. cfr. Plin. H. N. 10. 53. *aliquae quotidie pariunt, aliquae bis die, aliquae in tantum, ut effetae moriantur.* cfr. Plin. Epp. 6. 21. Seneca Epp. 90. Genitivus *parentum* quamvis defendi potest, tamen non satis concinnus. sed asperitatem quandam captasse videtur Salustius. simile *Venus pulchra dearum* ap. Ennium. *praecipui amicorum* Tacit. Ann. 15. 56. *lecti juvenum.* Stat. Theb. 1. 606. cfr. Ruddim. Inst. L. L. II. 80. *expediti militum.* Liv. 30. 9. sensus esse videtur: ac veluti inter parentes mater partibus exhausta esse solet, ita Roma inter urbes, quippe quæ diu magnum virum non genuerit; quæ explicatio multis, credo, durior videbitur; quare nescio, an ad conjecturam confugiendum et antiquorum criticorum lectio, *parente* revocanda sit. verborum structura vel sic insolita, nam *parente* per ἀλληγορίαν pro *patria* dictum, neque sicuti cum abl. abs. satis frequens. ita igitur corrigendum esse judico. Codd. nil juvant. *res obtulerat.* i. e. quod eorum mentio injecta est. *silentio praeterire* etc. *quin.* notanda orationis abundantia. conferatur. Liv. 33. 36. *Nec ultra sustinuerunt certamen Galli, quin terga verterent atque effuse fugerent.* Liv. 1. 42. *nec rupit tamen fati necessitatem humanis consiliis, quin invidia regni etiam inter domesticos omnia infesta faceret.*

Cap. LIV. *Genus.* Juliam gentem fuisse clarissimam in vulgus notum. Porciæ gentis decus Catonis proavus, Cato Censorius. Nam ante hoc tempus non ita multi ex Porcia gente summos honores gessisse videntur. cfr. Aul. Gell. N. A. 13. 19. *aetas.* Cæsar eo tempore XXXVII. Cato XXXIII. annos natus fuit. cfr. Sueton Jul. Cæsar. cap. 88. et Plut. Cat. min. 73. *eloquentia.* de Cæsare vide Sueton. 55. Cic. Brut. 72. 75. Dialog de Causs. corrupt. Eloq. 17. Quinctil. X. 1. de Catone vide Cic. de Fin. 4. 5. Parадox. init. Brut. 31. Quinct. 11. 1.; 12. 3. *misericordia.* apud. Ciceron. IV. Cat. 6. Cæsar mitissimus atque lenissimus homo dicitur. idem pro Ligario extr. „nulla de virtutibus tuis admirabilior atque gratior est misericordia. cfr. Epp. Div. 6. 6. *dignitatem addiderat.* cfr. infra cap. 58. *verba virtutem non addere.* Jug. 73. *alteri generis humilitas favorem addiderat.* id. 85. fin. Horat. Epp. 2. 2. 36. — *dando, sublevando.* Bell.

Alex. c. 70. *nihil largiundo.* hoc stoicorum moribus consentaneum. vide supra Cic. pro Mur. c. 29. sq. *decoris* i. e. honestatis. *esse quam videri.* cfr. Aesch. Sept. adv. Theb. 592. οὐ γὰρ δοκεῖν δίκαιος, ἀλλ' εἶναι θέλει cfr. mores Catonis a Vellejo illustratos 2. 35. De Cæsaris natura vide eundem 2. 41. Cicer. pro Marcello 2. *sequebatur.* hanc lectionem non solum multi libri ex Italicis confirmant, sed etiam multa scriptorum loca. cfr. Plin. Epp. 1. 8. *sequi gloria non adpeti debet; nec si casu aliquo non sequatur id circo, quod gloriam non meruit, minus pulcrum est.* et Auct. de causs. corruptæ eloq. 10. *fama... oratores sequitur.* cfr. supra cap. 3. et 12. et quem ibi laudavi locum Vellej. 1. 2. — Hæc digressio, quamvis alieno loco illata esse videtur, tamen et ipsa testimonio est, quanta vis ingenii in Salustio sit. Longis ambagibus ab initio, credo, usus est, ut gravitatem orationi adderet, quamquam verbosius etiam, quam necesse erat, hoc exposuit. Perperam hoc imitatus est auctor. Ep. II. de Rep. Ord. c. 10. quod de incrementis Reipublicæ Sal. disputat, cujus opes *paucorum civium egregia virtute* auctas fuisse statuit; est id quidem multorum judicium. Sed re accuratius examinata, hoc aliter se habere dixeris. Nisi enim universus populus bonis utitur moribus, parum paucorum civium virtus valet. Neque bello Punico secundo Scipionis atque Marcelli praeclara facinora, sed senatus populique Romani firmus adversus pericula animus rem publicam ab interitu servavit. Quare necesse quidem est, ut civitas bene constituta optimi cujusque consilio regatur, sed falsi sunt, qui iis potissimum tribuunt, quæ præclare gesta sunt. — Sed hoc laudaveris, quod Cæsari Catonem opposuerit. Ut enim Cato innocentiæ, integritatis et priscæ libertatis fuit exemplum, ita Cæsar, quamvis egregius esset, iis voluptatibus deditus fuit, quæ ad evertendam rempublicam plurimum contulerunt, avaritiæ, ambitioni atque luxuriæ. Ipsa mansuetudo, quam laudibus effert Salustius, regis potius quam liberorum hominum virtus est. Animi ingenui enim liberrima indignatio. Atque, ut Salustii verbis utar, *in republica multo praestat beneficii quam maleficii immemorem esse.* — Incorruptum judicem in eo se præbuit Salustius, quod amicitia veritati non offecit. Quantumvis enim Cæsaris virtutem laudibus celebrat, tamen illum magis admireris quam laudaveris. Sed Catonis virtus optimo cuique tanquam exemplum ad imitandum est propositum.

Cap. LV. *Antecapere* verbi neutrius vim habet, ut sæpius. cfr. supra cap. 13. et Jug. 21. apud ceteros scriptores hoc verbum infrequens. *eo spatio*. i. e. tempore. cfr. Terent. Phorm. 4. 4. 21. *novaretur*. turbaretur. *triumviri*. intellige capitales, qui etiam *tresviri* appellati sunt; carceri præerant. cfr. Plaut. Amph. 1. 1. 3. cfr. Cic. de Legg. 3. 3. *vincla sontium servanto; capitalia vindicanto*. cfr. Liv. 32. 26. Plaut. Aulul. 3. 2. 2. Asin. 1. 2. cfr. Pompon. de Orig. jur. 2. 30. *Triumviri capitales, qui carceris custodiam haberent, ut cum animadverti oporteret, interventu eorum fieret.* — *Tullianum*. cfr. Liv. 34. 44; 29. 22. Varro de L. L. 4. 32. *Tullianum ideo, quod additum a Tullio rege; quod Syracuseis ubi simili de causa custodiuntur, vocantur Latomiae, et de Latomia translatum, quod heic quoque Lapidicinae fuerunt.* cfr. Fest. s. v. *Lautumiae et Tullianum*. idem etiam *carcer Mamertinus* appellabatur, et a rege Anco Martio conditus est; in Clivo Capitolino orientem versus situs est. cfr. *Christian. Muellerum de Foro Romano* pag. 124. sq. *ascenderis*. quæ plurimorum librorum est lectio, confirmatur multorum Italicorum Codd. testimonio. Flor. 1. 9. Bon. Barb. 1. 2. 5. Med. 1. 2. 3. 5. 8. Vat. omnes Ven 2. sed ceteri *descenderis*. quod haud dubie verum. quod enim præfert Cortius *escendere*, ea mera conjectura est; neque quam statuit hujus verbi significationem esse, *progredi*, auctorum testimoniis satis comprobavit. sed *descenderis* propter sequens *depressus* et *demissus* necessarium. *depressus*. similiter *deprimere fossas* dicitur apud Tac. Annal. 15. 42. Hist. B. G. VIII. 40. *parietes roboreos* fuisse inde conjicias, quod ea pars carceris *Robur* appellatum est. cfr. Fest. s. v. *Robur in carcere dicitur is locus, quo praecipitatur maleficorum genus, quod ante arcis robusteis concludebatur.* C. *camera*. cfr. Vitruv. 7. 3. est tectum incurvum, in modum testudinis factum. *fornices* sunt arcus, quibus tectum firmatur. cfr. Seneca Epp. 90. *Demetrius invenisse dicitur fornicem, ut lapidum curvatura paulatim inclinatorum medio saxo alligaretur.* Plin. H. N. 30. 3. *aqua fornicibus structis perducta.* — *vincta* i. e. firmata. Quinctil. Jnst. Rhetor. 1. 5. „ferrum, quo rotæ *vinciuntur*, dicitur canthus." — *incultu* rarius occurrit et defectivum est. cfr. Jug. 2. Liv. 42. 12. *dimissus*. Med. 8. 11. Ven. 2. 3. Eich. *vindices rerum cap.* quæ ut superflua Cortius ejicienda esse censuit, omnes Codd. retinent. neque eosdem putaveris, quos supra triumviros dixit, sed carnifices intellige. omitti potuisse hæc verba comprobatur loco a Cortio lau-

dato. Curt. 3. 2. 19. *haec vociferantem, quibus imperatum erat, jugulant.* sed a librariis hæc addita esse parum probabile est; ii enim vulgari dictione utuntur. *gulam fregere.* dictio solemnis. *exitium* Festo auctore antiqui ponebant pro exitu. *sumptum est.* verb. subst. om. Eich. Etiam hoc loco multa a Salustio omissa sunt, quæ a ceteris scriptoribus memoriæ tradita sunt. Primum Vellejus Paterculus (2. 35.) auctor est, majorem partem senatus Catonem domum esse prosecutam. Addit Plutarchus (Vit. Cic. c. 22. 23.) multa de supplicio, quæ ad solum Ciceronem ejusque laudes pertinent; quæ quidem Salustius silentio prætermisisse videtur, quod strictim hanc rem scribere constituit. Nihilo minus tamen, cum et supra exposuerit, quomodo plebes animo affecta fuerit. (cfr. supra cap. 31. 37. 48.) hoc etiam narrari potuit, Ciceronem et a Catone et a concione patrem patriæ esse nominatum, cum maxime is honos ante hoc tempus nemini sit habitus. sed hæc narrari non poterant, quin item Cæsaris faceret mentionem, quo auctore Metellus Nepos, tribunus plebis, Ciceronis laudibus quam maxime obtrectavit, cfr. Plut. l. l. et Appian. B. Civ. II. 6. 7.

Cap. LVI. *copia* i. e. multitudine non pro *copiis* dictum, quod alicui visum est. cfr. Cæs. B. G. 1. 48; et infra 61. quæ loca fuerunt, qui aliter interpretarentur. *instituit* i. e. comparare, cogere. cfr. Jug. 14. et Liv. 7. 3. amicitiam instituit. Eutrop. 8. 2. classem instituit, apud Cæsarem frequens est hac significatione. cfr. B. Civ. aciem 3. 39; 1. 16. delectum. B. G. 3. 8. remiges ex. *provincia — pro numero.* i. e. in quantum per militum numerum fieri potest. *sociis*, conjurationis intellige; falsus est Cortius, qui ad Romanorum socios hoc refert. *venerat.* quod etiam Italici libri confirmant, haud dubie retinendum; num et accuratius et elegantius dictum. *aequaliter.* i. e. parem numerum singulis cohortibus tribuendo. *amplius duobus.* satis notum, rarius post hunc comparativum casus nominum mutari. cfr. Terent. Adelph. 2. 1. 46. *plus quingentos colaphos infregit mihi.* Cæs. B. G. 4. 12. „Cum non amplius octingentos equites haberet." cfr. Ruddim. Inst. L. L. II. 106. contraria sunt exempla, a Cortio laudata; Cæsar B. C. 2. 7. „castra amplius millibus passuum VIII. in latitudinem patebant. *militaribus armis* i. e. justa arma. cfr. Curt. 4. 14. *casus armaverat.* hanc verborum structuram, Salustio usitatissimam, jam sæpius exposuimus. *sparos.* cfr. Aen. XI. 682.

agrestisque manus armat sparus; ubi Servius: rusticum telum in modum pedis recurvum.» Non. 18. 12. «spari tela sunt non bellica. Varro ait esse telum *missile*, a piscibus ducta similitudine, qui spari vocantur.» confirmat Sisenna apud Non. 18. 21. *sparis ac lanceis eminus peterent hostes*. unde intelligitur etiam militibus in usu fuisse. cfr. Liv. 34. 15. «Cato, si quis extra ordinem avidius procurrit, et ipse interequitans sparo percutit, et tribunos castigare jubet." *lanceas* Hispanicum telum fuisse Varro auctor est. A. Gell. 15. 30. videtur brevior hasta fuisse, qua vel cominus vel eminus pugnare licuit. Ridiculus est Isidorus 18. 7. in hac voce explicanda. Ab Aetolis hoc telum inventum Plin. 7. 56. tradit. Suevis tribuit Sisenna apud Non. 18. 26. *in Galliam versus*. in om. Flor. 1. Eich. alii Codd. *ad* pro *in* habent. sed receptam lectionem cum Prisciani testimonium tuetur, tum aliorum scriptorum loca a Cortio laudata. cfr. Cæs. B. G. 7. 8. *Castra ex Biturigibus movet in Arvernos versus*. Plin. Epp. 10. 82. *aut si in urbem versus venturi erunt, mihi scribes*. Curt. 4. 7. 18. *in meridiem versus Arabes spectant*. cfr. Sulpic. ad Ciceron. 4. 12. *ille in Italiam versus navigaturus erat*. sed nostro loco participium an præpositio sit, non liquet. cfr. Gronov ad Liv. 36. 15. et interpretes ad Tac. Germ. 1. participium mihi quidem hoc loco elegantius esse videtur. Aliis quoque præpositionibus hæc particula additur. *magnas copias* in uno Guelf. 11. omissum Cortius delevit. sed ceteri libri omnes ad unum retinent. Sed ne sensus quidem emendationem postulat. Non enim pugnandi occasionem exspectabat Catilina, sed se magni exercitus ducem fore, si sociorum consilia eventum habuissent. hoc enim inter eos convenerat, ut, omnibus cæde et incendio perturbatis, ad Catilinam erumperent. *servitia — cujus*. loquendi usum jam Priscianus explicuit, Lib. XVII. p. 82. Ed. Krehl, et per figuram, quam Græci ἀλλοιότητα vocant, dictum esse docet. Multorum, quæ congessit exempla proxime ad nostrum accedit locus ap. Thuc. 3. 92. ξυνεπρεσβεύοντο δὲ αὐτοῖς καὶ Δωριῆς, ἡ μητρόπολις τῶν Λακεδαιμονίων. Cortius hanc dictionem peculiari excursu defendit et recte præcipit, hanc generis et numeri mutationem sæpissime pronominibus accidere; recte laudat c. 18. *conjurare pauci, de quo* cap 15. *juventutem — ex illis*. Jugurtha 100. *diffidentia futuri, quae imperavisset*. id. cap. 14. *familiam — quorum*. sed multo usitatius est, ut substantivum singulare pluralis pronominis sequatur, quam vice versa. cfr. Herod. 7. 148. ubi post βουλευτήριον sequitur τοὺς δὲ etc. aliis locis hæc generis numerive mutatio addito substantivo minus

durior fit. Ita apud Livium 31. 36. *elephantis, quo auxilio Romani tum primum usi sunt.* Sed huic loco magis similia hæc sunt. Terent. Eun. 1. 2. *Eunuchum dixti velle te, quia solae his utuntur reginae.* Plin. Panegyr. XI. *hostes invaserant contemserantque. Cujus pulsi fugatique non aliud magis habebatur.* — *servitium* pro servis singulari numero dici, testimonio Plaut. Curcul. 2. 2. 21. *ita nunc servitium est.* Cic. Verr. 5. 4. *et tamen coeptum esse in Sicilia moveri aliquot locis servitium suspicor.* Ceterum de Catilinæ exercitu atque itineribus eadem fere alii scriptores. Appianus 2. 7. et viginti quidem millia hominum Catilinam collegisse tradunt, quorum quarta pars armata fuerit. Plutarchus vita Ciceronis 16. *καὶ δισμυρίων ὁμοῦ τε συνηθροισμένων, ἐπῄει τὰς πόλεις ἀναπείθων καὶ ἀφιστάς. ὡς τε τοῦ πολέμου φανεροῦ γεγονότος, τὸν Ἀντώνιον ἀποσταλῆναι διαμαχούμενον.* Dio Cass. 37. 33. parum accurate: *κἀν τούτῳ ἄλλους τινὰς πρῶτον μὲν ἐκ τῶν ἐλευθέρων, ἔπειτα δὲ καὶ ἐκ τῶν δούλων προσεποιεῖτο.*

Cap. LVII. *illexerat.* pari modo Vellej. 2. 13. inescare et illicere multitudinem dixit. fere in malam partem dicitur. *Pistoriensem* is ab urbe Pistoria (hodie Pistoja) nomen traxit. A Florentia XXIV. millibus passuum abfuit. Etiamnum in hac urbe vicus *Vico di Catilina* dicitur. *abducit* bene se habet; inest enim significatio loci, ex quo profectus est. Plaut. Epidic. 3. 3. 17. *sed tu hanc intro jubeas abduci.*—*perfugeret,* quod in pluribus et optimis libris est, retinendum esse duco. pluralis enim hoc loco durior esse videtur. *Transalpinam.* quod omnes libri tuentur, quamvis suspectum et ipse habeo, tamen defendi posse videtur. Catilinæ enim consilium fuisse puto, ut via Aurelia per Ligures Genuam peteret, unde transitus in Galliam si minus facilior, certe expeditior erat, quia per compendia viarum hostium agmen multis itineribus antecesserat. Eodem consilio Antonius triumvir XX annis post, ad Mutinam fugatus, fuga Vadam petiit, unde Alpes maritimas trascenderet. cfr. Cic. Epp. Fam. 11. 13. Erat quidem ex illo loco ad ipsos Allobroges aditus; sed vix fieri potuit, ut in eo populo Catilina fiduciam poneret, cujus legati conjuratorum consilia Ciceroni aperuerant. Videant intelligentes, num sic lectio *Transalpinam* satis certa videatur. *Q. Metellus Celer.* vide supra c. 42. *praesidebat.* cfr. Varro L. L. 4. 16. „Præsidium est dictum, quia extra castra *praesidebant* in loco aliquo, quo tutior regio esset." cfr. Liv. 10. 17. *nullus quin exercitus Samnio praesidet.* id. 24. 40. „ad Prætorem venerunt, *praesidentem* classi Brundusio Ca-

labriæque circa litoribus." cfr. eund. 23. 32. *ex difficultate rerum.* hoc ad Catilinam spectat; *ex* i. e. propter; vide supra cap. 35. *consedit.* quo loco Metellus consederit, haud facile dixeris. Ex agro Pistoriensi enim via munita non erat, qua Apenninus superaretur. Sed etiamnum præter viam inter Florentiam et Bononiam alia est via, quæ inde a Mutina vel Regio Lepidi (Reggio) Lucam ducit. Quare ita statuo: cum Via Aurelia Catilina progredi non posset, quippe quæ Antonii exercitu interclusa esset, Regium Lepidi contendisse; ubi cum Metellum castra posuisse accepit, mutato itinere contra Antonium exercitum duxisse, quem etiam tum consiliis suis non abhorrere putavit. *magno exercitu.* supple cum. cfr. Liv. 31. 36. *postero die omnibus copiis consul in aciem descendit.* id. 36. 30. «inde toto exercitu profectus, reliquum iter satis expedito agmine fecit." *expeditus.* Cortii conjecturam contra plurimorum librorum testimonia et ipsius Prisciani auctoritatem recepi. Nam *expeditos in fugam.* quam lectionem et ipsam multi Codd. confirmant, Latine non dicitur. Jam *expeditos in fuga* jungi quidem posse videtur, (ita enim dicuntur, qui nullis impedimentis impediti iter fugæ facile expediunt) sed totius sententiæ ratio postulat, ut accuratius exponatur, qua ratione Antonius hostium exercitum consecutus sit; id quod factum est, quod æquioribus locis exercitum duxit. Sed dicat aliquis, hoc ut doceretur, verba *aequioribus locis* sufficere, neque decere Salustium, quæ per se sint manifesta, pluribus verbis additis illustrare. Horum vocibus quid respondeam equidem non habeo, cum maxime durissimum esse videatur, *sequi in fuga* pro *fugientes sequi*, dicere. quod si vere dictum tibi esse videbitur, *expeditos* dictum esse puta, pro quamvis expediti essent hostes, tamen quia æquioribus locis Antonius processerit, non procul ab iis abfuisse. *Praesidii* i. e. auxilii cfr. Fest. «præsidium est, quod pro utilitate et salute alicujus auxilii gratia præponitur, subsidium, quod postpositum est ad subveniendum laborantibus." cfr. Cic. pro Quint. 1. *esse praesidio contra vim et gratiam solitudini et inopiae.* Terent. Heaut. 4. 1. 33. *hoc te obsecro, ut meae stultitiae iniustitia tua sit aliquid praesidii.* — *optumum factum.* vide supra cap. 32. *in tali re* i. e. cum res suæ tam asperæ essent.

Cap. LVIII. Hæc oratio cum tota a Salustio ficta sit (fieri enim vix potuit, ut hac de re accuratius cognosceret) tamen Catilinæ naturam et indolem luculentissime aperit atque illustrat. *compertum ego.* pron.

om. Med. 11. perperam. *virtutem addere.* scil. *animis* seu *viris*, quod facile ex sequentibus suppleri potest. cfr. Jug. 10. *neu malis alienos adjungere.* contra Jug. 83. «plura dicerem, si timidis virtutem verba adderent, nam strenuis abunde dictum puto.» Sed facile intelligitur, cur ibi dativus sit additus. — Ignavum strenuo opponere scriptoribus solemne. cfr. Cic. de Jnv. 2. 54; «contraria sunt fortitudini ignavia, justitiæ injustitia;» differt a timido et imbelli, quibus plerumque jungitur; timor enim animi est, ignavia membrorum quendam torporem exprimit. *audacia* in deposcendis periculis cernitur, et non solum in malam partem, sed etiam in bonam partem dicitur. cfr. supra c. 57. *majores nostri, P.C. neque consilii neque audaciae unquam eguere.* Sed hoc quidem rarius; quare Cicero de Jnv. 2. 54. « audacia non contrarium fidentiæ, appositum est ac propinquùm, et tamen vitium est." cfr. eund. de Off. 1. 19. *natura et mores* et ipsa opposita sunt; illa insita, hi præceptis et vitæ consuetudine formantur. cfr. Tac. Agric. initio. *patere* i. e. aperiri, manifesta fieri. *nequiquam* et hoc loco Vat. a. *timor animi.* talia addere Salustio usitatissimum. cfr. supra *animi virtus.* Jug. 7. *munificentia animi*, *solertia ingenii.* sed etiam Cic. Epp. Fam. 9. 16. *volo enim abstergere animi tui metum.* — *auribus obficit.* i. e. surdos facit. cfr. supra 28. *obficere* consiliis. Liv. 40. 7. «quæ præcepta vereor ne vana surdis auribus cecinerim.» cfr. Curt. B. Alex. cap. 28. *vocavi.* Eich. Liv. 5. 47. vocare classico ad consilium milites et tribunos. Cæs. B. Civ. 3. 105. «ejus rei causa omnes senatores e provincia vocasse, ut iis testibus uteretur." quare videndum, annon hæc lectio præferenda sit. — *nobisque cladem.* Vat. a. Eich. qui quidem verborum ordo restituendus, quippe quem longe plurimi libri servant. *quo loco.* Med. 5. 6. Vat. a. Flor. 1. 6. 8. Min. 2. Vatic. 1. 3. 6. quare *in* cum Cortio expellendum, sed *vero*, quod et ipsum ejecit, omnes Codd. tuentur. cfr. Horat. Epp. 1. 12. 25. *ne tamen ignores, quo sit Romana loco res.* sed alii scriptores præpositionem servant. Liv. 37. 14. et Cort. ad Ciceron. Epist. 4. 2. 6. *juxta mecum.* æque atque ego cfr. Plaut. Aul. 4. 7. 1. *juxta rem mecum teneo.* Trin. 1. 2. 160. *juxtaque eam curo cum mea.* — *Exercitus host. duo*, *unus* — *alter.* hæc verborum structura non solum Salustio usitata, (cfr. supra cap. 9. et 49.) cfr. Liv. 9. 27. «Consules, Sulpicius in dextro, Pœtilius in laevo cornu;» sed hæc constructio tam frequens, ut genitivi pauca vel nulla exempla invenias. Antiptosin hanc figuram grammatici dicunt, sed potius certum

quoddam genus ἀνακολουθίας est. cfr. supra 37. *multi memores — sibi quisque sperabant. — animus ferat.* cfr. Ovid. Metamorphos. ab initio. *in nova fert animus.* sup. 21. *lubido victorum fert.* Drakenborch. ad Sil. Ital. 26. 294. *parato animo.* par. an. dicitur intrepidus, qui omnium periculorum atrocitatem præcipit, ita ut ne mortem quidem extremam horrescat. Cæs. B. Gall. 1. 5. „paratiores ad omnia pericula subeunda. „*dextris vestris.* pronom. omisit Ven. 1. *in vestris dextris* Med. 6. quod Cortii conjecturam firmare videtur. Sed Curt. 4. 14. 25. retinuit *In dextris vestris jam libertatem, opem, spem futuri temporis geritis,* et vis orationis augeri videtur addito pronomine; magis enim significatur, in illorum potestate esse, quæ enarraverat. Similis dicendi ratio ap. Liv. 27. *in illorum armis dextrisque libertatem repositam esse.* Val. Flac. 6. 4. 60. *in manibus spes nostra tuis.* Stat. Theb. 10. 29. Sil. 7. 35. supra c. 20. *victoria nobis in manu — omnia vobis.* pron. expunxit Eich. sed non solum hoc retinendum, sed etiam verbum subst. quod Cortius invitis libris delevit. *commeatus abunde.* Recte C. monuit, *commeatus* hoc loco esse nominativum; quod firmatur exemplis ab eo laudatis. cap. 21. *quibus mala abunde omnia erant.* nam adverbia sæpius apud Sal. loco adjectivorum posita. cfr. c. 20. *amplius.* 14. *undique* 7. *magis. — si metu* etiam Italicorum librorum longe plurimi. *sin.* Med. 8. Vat. 5. 3. 6. *advorsa fiunt.* In præsenti tempore Cortius nescio quam elegantiam invenisse sibi visus est. *fient* omnes libri tuentur et optime se habet. *teget.* vide supra cap. 6. cfr. Tac. Annal. 6. 2. Liv. 22. 29. *necessitudo impendet.* vide supra cap. 17. Jug. 48. sed etiam apud Ciceronem pro necessitate dictum, de invent. 2. 57. „puto hanc esse necessitudinem, cui nulla vi resisti potest, quæ neque mutari neque leniri potest." *impendet* i. e. instat, premit, imminet. cfr. Cic. pro Rosc. Am. c. 11. „licet undique omnes in me terrores periculaque *impendeant omnia.*" — *supervacaneum*, i. e. illis non opus neque necessarium est. i. e. non esse statuunt, alienum iis esse videtur, nihil eos impellit, ut pugnent. *adgredimini* Vat. a. Ven. 2. *adgrediendum* Med. 6. *adgrediamini* ceteri; utrum rectius, haud facile constituas. nam quod aliis locis Sal. imperativum posuit, inde non sequitur, etiam hoc loco eundum modum esse ponendum. cfr. Cat. 20. Jug. 10. 14. 24. 85. fin. sed dicat aliquis imperativum modum abrupto dicendi generi, quod in hac oratione est, magis convenire. *alienas opes exspectare.* cfr. supra c. 40. 37. Jug. cap. 14. Cic. pro Quinct. 15. *alienas opes, id quod miserrimum*

est, *non exspectat*. hæc vox optime inopiam atque egestatem exprimit, cum alicujus decus et salus ex alterius libidine pendent. *foeda* i. e. turpia, flagitiosa. *intoleranda*. cfr. supra cap. 10. Cic. Verr. 6. 35. *res indigna et intoleranda*. — *si haec*. concinnius erat *quae si*. sed omitti pronomen, omnium librorum testimoniis firmatum, non potest. *mutavit*. cfr. Jug. 38. *quae quia mortis metu mutabantur*. sed proprie ad mercaturam hæc dictio pertinet. eodem modo Plin. Epp. 5. 16. *gaudium moerore*. Horat. Od. 1. 16. 26. *tristia mitibus*. — *in fuga salutem*. cfr. Jug. 107. *nec quemquam decere* etc. — *maximum est periculum* etc. cfr. Liv. 22. 5. *quo timoris minus sit*, *eo minus ferme periculi esse*. Curt. 4. 14. 25. *effugit mortem*, *quisquis contempserit*; *timidissimum quemque consequitur*. — *audacia pro muro*. cfr. Tac. Hist. 3. 73. *audaciam pro latebra haberent*. Jug. 31. *plerique caedem in vos fecisse pro munimento habent*. Justin. 14. 5. murus urbi civium virtus. Ov. Met. 13. 280. *Grajum murus Achilles*. — *quom*. Ven. 2. sic ubique scribendum. *aestumo*. hanc scripturam confirmat. Vat. a. *hortantur me*. Barb. 5. sed meliores libri pron. constanter retinent, et pronomini possessivo, quod præcesserat, oppositum esse videtur. *necessitudo*. apposite laudat C. Dion. Halic. 1. 25. *ἡ ἀνάγκη ἱκανὴ οὖσα — τόλμαν παρασχεῖν, ἡγεμὼν καὶ διδάσκαλος τοῦ παντὸς κινδυνεύματος αὐτοῖς ἐγένετο*. *Angustiae loci*. perperam delevit Cort. *loci*. cujus magna elegantia. — *inviderit*. *πᾶν τὸ θεῖον φθονερόν*. i. e. si fortuna vestræ virtuti debita præmia denegavit. eodem sensu Tac. Annal. 1. 22. *ne hostes quidem sepulturae invident*. Plin. H. N. 15. 2. Africæ solo oleum et vinum natura invidit. *sicuti pecora trucidemini*. cfr. Liv. 25. 17. «id referre, utrum præbentes corpora, pecorum modo inulti trucidarentur. cfr. Vellej. Pat. 2. 119.

Cap. LIX. *signa canere*. cfr. Cæs. B. Civ. 3. 82. *classicum apud eum cani et alterum illi jubet praetorium tendi*. Liv. 24. 46. *ubi quartae vigiliae signum cecinisset*. *canere* quidem nostro loco verbum neutrum an activum sit, incertum est. Nam non ubique accusativum cum infinitivo passivo junctum esse verbo *jubeo*, cum persona omissa est, satis constat. cfr. Virgil. Aen. 2. 3. *infandum*, *regina*, *jubes renovare dolorem*. Plaut. Pers. 2. 5. 2. *jubeto habere bonum animum*. — *instructos* i. e. acie instructa pugnæ paratos atque intentos, ne impetu ex improviso facto disturbarentur. sed paulo infra iterum de acie instruenda agit, quia, exercitu in æquum locum deducto, mutanda erat acies. *remotis*.

cfr. Cæs. B. Gall. 1. 25. *amplior*. Cic. Verr. 4. 25. *ampla occasio*. Terent. Hecyr. 3. 1. 9. *ampliores irae*. Propert. Elegg. 3. 21. fin. *spes ampla nepotum*. — *pedes* i. e. pedibus incedens; poeticum. Aen. 6. 881. *seu cum pedes iret in hostem*. Ovid. Met. 14. 363. *silva pedes errat in alta*. Senec. Epp. 104. *per medias Africae solitudines pedes duxit exercitum*. Sil. Italicus 8. 558. *et campi per aperta volantem ipse pedes praevertit equum*. Curt. 8. 1. *Macedones scivere, ne pedes venaretur*. — *uti planities erat*. i. e. cum enim ea planitiei natura esset. *sinistri montes* i. e. a sinistra parte siti. cfr. Plaut. Amph. 1. 1. 176. *hinc enim dextera vox, ut videbatur, aures verberat*. — *rupe aspera*. confirmat optimus quisque ex Italicis Codd. *rupes*. Ven. 4. conjecerit aliquis *rupes asperas*, ut hoc antecedentibus *sinistros montis* responderet; sed etiam in *sinistros* et *ab dextra* auctor casus variavit, et hoc ei est solemne in oppositis; quare hoc ita interpretandum: in ista planitie sinistra montes, dextra rupes aspera erat. *fronte* i. e. prima acie. Græce μέτωπον seu στόμα. similiter frons *castrorum*, *Caucasi*, *aedium*, *Italiae*, *litorum* etc. dicitur. *reliqua* signa pro ipsis militibus; sic *aquilae*. Tac. Hist. 2. 81. *vexilla*. Agric. 18. *signa Latinorum*. Liv. 8. 9. *primum pilum ducere*, *primi pili centurio*, alia. *reliquarum*, quod Cortius omnibus libris invitis in *reliqua* mutavit, restituendum. *in subsidio*. proprie extrema acies triariorum dicebatur, quod subsidebant. Plautus Trivolaria. *agite nunc subsidite omnes, quasi solent triarii*. cfr. Varro L. L. 4. 16. Fest. hoc loco tertia seu extrema acies, et novissimi ordines ita dicuntur. — *artius*. i. e. magis confertis ordinibus. *lectos et evocatos*. cave ne *evocatos* pro participio habeas, sed substantivi loco positum est. hoc nomine appellabantur, qui stipendia emeruerant. videntur a legionariis militibus sejuncti fuisse. Cæsar certe B. C. 1. 17. eos centurionibus proximos fuisse significat. et in glossis vett. evocatus ταξίαρχος exponitur. scilicet multos evocatos fuisse putaverim, qui antea ordines duxerant, ii centurionum loco habiti. cfr. Voss. ad Cæs. B. Civ. 1. 27. et Lips. de mil. Rom. 1. 8. *optumum quemque armatum*. postremam vocem libenter deleverim. *nam optumum quemque* fortissimos Salustium dixisse statuo. quod si minus placet, *optumum* adverbii loco positum esse facile credideris. cfr. Histor. Fragm. 3. 14. Tom. I. pag. 231. *immensum aucto mare et vento gliscente*. Jug. 5. *magnum atque late imperium valuit*. Liv. 42. 18. *tuto et per commodum*. Tacit. Annal. 4. 60. *Tiberius tor-*

vus aut falsum renidens vultu. Ann. 7. 37. *Nunciavere accolae, Euphraten nulla imbrium vi, sponte et immensum attolli.* cfr. Non. Marcell. 11. *celere*, futile. Ruddim. Inst. L. L. 2. pag. 159. *curare.* verbum hac significatione apud Salustium frequens. cfr. Jug. 57. 45. 100. cfr. Liv. 7. 26. *curare bellum maritimum — coloni.* iidem illi evocati sunt intelligendi, qui coloni a Sulla in Etruriam missi, a Catilina evocati iterum patriæ bellum fecerunt. *propter* i. e. prope, apud optimum quemque scriptorem occurrit. Cic. N. D. 3. 22. *Vulcanus tenuit insulas propter Siciliam.* Auct. B. Afric. 37. *propter mare legiones ducit*, et 73. *propter hostium castra praetergressus.* cfr. Liv. 9. 2; 48. 46; 34. 32. *Aquilam.* Cic. Cat. 1. 9. Aquilam auream vel argenteam fuisse satis constat. Antiquitus apud riarios erat, sed Marianæ militiæ mutatione ad primam aciem translata est. C. cfr. Dio Cass. LX. 18. Salmas. de Mil. VI. — *pedibus aeger.* hunc morbum simulatum fuisse tradit Dio. Cassius 37. 39. αὐτὸς μὲν νοσεῖν προεφασίσατο, Μάρκῳ δὲ Πετρείῳ τὴν μάχην ἐπέτρεψε. *proelio adesse.* Cortius falso suspectum habuit. vide Jugurth. cap. 74. *qua rex pugnae adfuit.* *M. Petrejo.* vide Cic. Or. pro Sextio 5. parum constat, num idem postea Cn. Pompeji legatus fuerit, de quo vide Auct. B. Afric. 94. 19. B. Civ. 1. 38. 75. 76. *exercitum permittit.* Jug. 64. *dimidia pars exercitus si sibi permitteretur.* Horat. Satyr. 1. 3. 123. *si tibi regnum permittant homines.* — *veterani* proprie ii dicebantur, qui viginti quinque stipendia fecerant. *tumult.* habet Ven. 1. *tumulti* in hoc loco laudat Non. Marcell. 8. 50. *tumultus* dicebatur bellum subitum, ubi ab omnibus civibus sagum sumebatur nec ulla ætatis excusatio erat. cfr. Ciceronem de hujus vocis significatione disputantem Philipp. 5. 12. *ceterum* i. e. reliquum; singularis numerus apud Sal. frequens. neque apud Ciceronem et Livium insolitum. Cic. Epp. Att. 6. 2. de Inv. 2. 29. in Verr. 6. 22. Liv. 34. 36; 22. 20. Cato R. R. 104. *nec commisceas cum cetero vino.* — *ut meminerint. ut.* om. Vat. 6. *focis suis.* pronomen possessivum, quod multis locis deleverunt interpretes, hoc loco intactum reliquerunt. sed talia loca notanda, ne Salustium ubique omisisse statuamus, quæ salvo sensu omitti posse videntur. *praefectus* i. e. sociorum et auxiliarium. quamvis enim præfectorum varia genera, tamen, cum genitivus non additur, (e. gr. fabrum, castrorum, urbis, classis) sociorum duces sunt intelligendi. *legatus.* legati dicebantur imperatorum vicarii, quibus, si res ferret, ipsum imperium permiserunt. *praetor* hoc loco

potissimum ad imperium militare pertinet. Multi enim, cum nunquam prætores populi suffragiis creati fuissent, pro prætore cum imperio in provincias mittebantur. Eos et ipsos prætores appellare eo usitatius fuit, quod antiquis temporibus ipsi summi magistratus hoc nomine appellabantur, *quod praeirent populo.* cfr. Varro ap. Non. 1. 91. Fest. s. v. *praetoria porta. in exercitu.* hæc verba Cortius temerarie delevit. multa enim salvo sensu omitti posse videntur, quæ, si accuratius rem examinas, ad commemorandum necessaria sunt. Sed orationis elegantiam quia multi negligunt, hæc superflua esse statuunt. hoc quidem loco voces *in exercitu* eo consilio ab auctore additæ esse videntur, ut, quanta familiaritas ei cum militibus intercesserit, significantius exprimeret. *in exercitu* per triginta annos adfuerat, ideo milites noverat, et ipse iis notus erat. *pleros.* quod Guelf. 1. habet, etiam aliis locis in Codd. Italicis passim me invenisse memini. quæ quidem vox non solum apud antiquissimos poetas, sed etiam apud Catonem occurrit. cfr. Fest. Prisc. 6. 12. p. 208. Ed. Krehl. Sed si talia in Salustio restituenda sunt, emendationum finis non erit. *ipsos factaque eorum.* eleganter hæc opposita.

Cap. LX. *rebus.* om. Ven. 1. Utrumque rectum. aliis enim locis hæc addit Sal. aliis omittit. *tuba.* cfr. Cæs. B. Civ. 3. 46. *jubet.* quod Gruterus elegantius abesse statuit, Cortius ridicule defendit. Nisi enim Codd. auctoritate satis defenditur, scriptorum testimonia, quæ affert, parum firma sunt. Sed Gruterus falsus est, qui in oppositis apud Sal. eandem, quam in Cicerone, æqualitatem expressam esse putavit, cum Sal. consilio in talibus orationem variet. *ferentarii.* Varro L. L. VI. pag. 33. Ed. Gothofred. *ferentarii equites hi dicti, qui ea modo habebant arma, quae ferrentur, ut jaculum. Hujuscemodi equites pictos vidi in Aesculapii aede vetere, et ferentarios adscriptos.* Fest. Ferent. *levis armaturae pugnatores, ita appellati, quia fundis et lapidibus pugnabant, quae tela feruntur, non tenentur.* Non. Marcell. 12. 8. id. 18. 15. *Ferentarii levis armaturae, quod quicquid opus esset, auxilia ferrent excursu levi, armis gravibus non impediti.* Veget. de re mil. 1. 20. *erant inter pedites, qui dicebantur funditores et ferentarii, qui praecipue in cornibus locabantur et a quibus pugnandi sumebatur exordium; sed hi et velocissimi et exercitatissimi legebantur.* — *infestis* i. e. contra hostes. cfr. Cæs. B. G. 7. 51. *pila om.* hoc factum, cum animi militum adore pugnandi maxim eflagrabant, ne mora in concursu pilis

emittendis stringendisque inde gladiis esset. — *officia simul.* cfr. Curt. 3. 11. 7. *Alexander non ducis magis quam militis munia exsequebatur.* Vellej. 2. 1. 8. Mithridates — *consiliis dux, miles manu.* Flor. 4. 2. Med. *Multus in eo praelio Caesar fuit, mediusque inter imperatorem et militem.* — *tendere.* hæc vox Donato teste ad Eun. 4. 1. 12. *pertinacem* significat *contentionem.* cfr. Serv. ad Virg. Aen. 12. 553. magno certamine tendunt. Etiam Livius sæpius verbo simplici *tendere* pro composito utitur. Gronov. ad Liv. 32. 32. *pristinae suae.* pron. possessivum omnes Codd. Italici retinent. cfr. supra c. 59. *focis suis.* — *dignitatis.* intellige magistratus, quos gesseret, et auctoritatem, quæ Sullanis temporibus ei fuerat.

Cap. LXI. *tum vero.* cfr. supra c. 37 et 58. *vivus ceperat.* Med. 12. *locum pugnando vivus* c. Vat. 5. *vivus acceperat.* Eich. *nam vivus forte quisque suum locum, quem pugnando ceperat.* Vat. 6. *vivus* om. Vat. 1. cui assentior; hoc tamen notandum, vocem istam jam antiquissimorum grammaticorum commentum videri, quia hæc corruptela tot libros invaserit. Wassio enim, qui quinque libris id abesse dicit, nescio an fides deroganda sit. sed apud Florum, qui Salustium non secutus esse, sed exscripsisse videtur, omissum est. cfr. 4. 1. fin. *quem quis in pugnando ceperat locum, eum amissa anima corpore tegebat.* et Dio Cass. 37. 40. *καὶ ἐν χώρᾳ πάντες ἔπεσον.* cfr. loca similia, Justin. 3. 9. 10. Curt. 3. 11. 9. *quos medios. medios* me invito excidit; non solum enim omnes Codd. id confirmant, sed etiam propter sensum defendi posse videtur. *medii* enim dicuntur, qui in media acie locati fuerant; in eos enim Petrejus cohortem prætoriam induxerat. Jam hoc omitti potuisse non nego, sed hac de causa Sal. addidisse videtur, ut eos solos dispersos fuisse doceret. sed hunc sensum nimis vulgarem dicit Cort. quasi omnia Salustii a consuetudine aliena esse debeant. quod idem negat hanc vocem conciliari posse cum verbo *disjicere,* tali conciliatione non opus est; nam *medios* non additum est, ut vis verbi *disjicere* illustraretur. *divorsius* i. e. minus confertis ordinibus, divorsis locis. *advorsis volnerib.* i. e. advorso corpore acceptas. *etiam,* quod vulgus *adhuc* dicere solet. cfr. Terent. Andr. 3. 2. 23. *non satis me pernosti etiam, qui sim.* Plaut. Capt. Prol. 53. *sed etiam est, paucis vos quod monitos voluerim.* — *juxta.* cfr. supra c. 2. *ferociamque animi voltu retinens.* apposite ab interpretibus comparantur Sil. Ital. 5. 674. *fronti minae durant*

et stant in voltibus irae. et Flor. 1. 18. *relictae et in vultibus minae et in ipsa morte ira vivebat. laetam aut incruentam.* vide similem locum apud Justin. 18. 1. *strenuissimus.* eandem formam habes apud Tac. Hist. 4. 59. Agric. 39. *de castris*, vulgatius *ex* est; *de* usitatius apud seriores scriptores. cfr. Curt. 8. 1. 51. Capitolin. Marco 10. *neque unquam recessit de curia.* Quinctil. 6. 1. *fugiendum de civitate.— agitabantur.* Salustio hoc verbum usitatissimum. cfr. supra cap. 2. *vita*, 9. *imperium*, Jug. 96. *joca atque seria.* Sed ad omnes fere animi affectus pertinet, et passim apud seriores maxime scriptores ita construitur.— Ceterum satis constat, hoc prœlium demum anno sequenti, Junio Silano et L. Licino Muræna Coss. Nonis Januariis fuisse commissum. Antonius, ut Catilinæ cædis fidem Romanis faceret, caput ejus abscissum in urbem misit. Qua de re cives togas receperunt et supplicatio diis decreta est. Ipse Antonius hujus victoriæ causa, quamvis cæsorum hostium numerus non ita magnus esset, imperator salutatus est. Hæc a Dione Cassio 27. 40. memoriæ tradita. Idem reliquos conjurationis socios a præsidibus provinciarum supplicio affectos fuisse auctor est. l. l. cap. 41. Allobroges autem, vel debellato Catilina, bellum sumserant, sed facile victi sunt. cfr. Liv. Epit. CIII. « C. Pontinius prætor Allobroges, qui rebellaverant, ad Solonem domuit." Prætor iste haud dubie idem, qui apud Sal. *Pomptinius* audit. Orosius Histor. VI. 6. hæc addit a ceteris scriptoribus, quantum quidem scio, omissa. « Motus etiam in Pelignis ortus, a Marcellis patre et filio, per L. Vettium proditus, patefacta Catilinæ conjuratione, quasi succisa radice compressus est: et de utroque per Bibulum in Pelignis, per Ciceronem (Ciceron. fratrem Quintum puta) in Brutiis vindicatum est. »

De fide atque auctoritate Salustii in conjuratione Catilinæ enarranda.

Recte Cic. (de Orat. 2. 15.) de historiæ fundamentis ita præcipit: „quis nescit, primam esse historiæ legem, ne quid falsi dicere audeat? deinde ne quid veri non audeat? ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo? ne qua simultatis? Hæc scilicet fundamenta nota sunt omnibus." Antequam igitur excutiamus, quid Salustius in hoc libro secutus esse videatur, hoc explorandum est, num ad veritatis leges orationem auctor conformaverit. quod quidem multi fuerunt, qui negarent, quod Ciceronis laudibus illum obtrectasse statuerunt. Cujus quidem rei indignatione impulsus, Constantius Felicius Durantinus, sæculi XVI. initio, conjurationis Catilinariæ historiam iterum, i. e. Iliadem post Homerum scripsit. (conferatur præfatio ejus historiæ ad Leonem X. Pontif. Max. scripta.) Sed aliis alia omissa vel non satis laudibus celebrata esse videntur. Quare non magis de Ciceronis, quam de ceterorum rebus disputandum, et in totam rem inquirendum est. Primum omnium hoc satis constat, copiam veritatis cognoscendæ Salustio fuisse. Cum enim eo tempore, quo Catilina contra rem publicam conjurationem fecit, Salustius amplius XXIV. annos natus esset, ipse plurima vidit. Quæ autem eum latuerunt, ex gravissimis testibus ei cognoscere licuit, qui illorum temporum æquales fuerunt. Multa etiam in actis publicis literis consignata et tot senatus decretis magistratuumque edictis manifesta fuerunt. Accesserunt plurimæ Ciceronis orationes, quippe qui post consulatum vix unquam in senatu vel coram populo verba fecit, quin de conjuratione Catilinaria dixerit. quid, quod idem de consulatus sui historia commentarios Græce et Latine scripsit, ipsumque Luccejum perpulit, ut laudum suarum præconium memoriæ proderet? cfr. Epp. ad Att. 1. 18. „Commentarium consulatus mei Græce compositum misi ad te .... Latinum si perfecero, ad te mittam. Tertium poema exspectato, ne quod genus a me ipso laudis meæ prætermittatur." vide Epp. Fam. 5. 12. ad Att. 1. 20; 2. 1. Quare, si a paucis discesseris, vix ullius rei luculentiora exstiterunt testimonia, quam conjurationis Catilinariæ. Quæ igitur Salustio adjumento fuerunt, ut accuratius his de rebus scriberet, eadem, si ætatem tulissent, ad judicium de auctoris fide faciendum, maxime idonea essent.

Sed perierunt illa literarum monumenta, quæ Cicero ipse non ἐγκωμιαστικὰ sed ἱστορικὰ fuisse judicat. (Epp. ad Att. 1. 19. fin.) nam ex iis cognosci, quæ gesserit et quæ dixerit (l. l. 2. 1.). a serioribus igitur scriptoribus sunt petenda testimonia; quæ si minus gravia sunt, tamen et ipsa multum auctoritatis habent. Plurimum Dioni Cassio tribuunt, quippe qui haud temere, quæ priores scriptores memoriæ tradiderint, secutus sit, sed nonnisi diligenter examinata atque excussa incorrupta fide tradiderit. cfr. Lib. 37. 10. et 25—39. Proximus locus est Plutarcho, qui in Vitis Cæsaris c. 7. 8. Crassi 13. Catonis 22. 23. Cicer. 10.—22. multa habet, quæ a Salustio omissa sunt. Cujus quidem auctoritas, quamvis non ita magna est, tamen multa ex Ciceronis commentariis hausisse videtur, quæ a ceteris, quibus Ciceronis vitam scribere non consilium fuit, silentio prætermissa sunt. Ipsius Ciceronis, præter quatuor orationes in Catilinam habitas, multa alia sunt indicia, maxime in orationibus pro Muræna et Cœlio habitis. cfr. Or. pro Mur. 24. 25. p. Cœl. 5. 6. Ne Suetonii quidem contemnendum testimonium, quamvis etiamnum non pauci inveniuntur, qui ejus dictis fidem derogant. Sed quæ de Cæsaris moribus enarrat, eo minus suspecta esse videntur, quo accuratius scripta sunt. cfr. Vit. Julii cap. 9. et 14. ubi plures testes locupletissimi laudantur. Appiano de bell. Civ. 2. 2—7. in iis fides habenda est, ubi aliorum scriptorum accedit auctoritas. Nam cum de bellis externis, tum de discordiis domesticis parum accurate scripsisse et alii et nos supra docuimus. Asconius Pedianus contra magna cum diligentia de rebus eo tempore gestis disseruit, ita ut ex ejus Commentariis in Ciceronis Oratt. scriptis multa cognoscantur, quorum vix ullum vestigium apud ceteros scriptores invenias. Sed de conjuratione Catilinaria brevius exposuit. cfr. ejus Comment. in Or. pro Cornelio et in Orat. Cic. in Toga Candida. Horum auctorum scripta si cum Salustii libro contuleris, plura fortasse parum probabilia, alia falsa, alia negligentius scripta tibi esse videbuntur. quæ quidem res ne obscurior sit, utque de Salustii ingenio rectius statuere liceat, quæ ei vitio verti posse videantur, omnia enumeranda sunt. Primum fuit, quem mirum haberet, quod de juvene Catilina auctor non accuratius exponeret. Scilicet Plutarchus auctor est (vit. Sulla 32.) Catilinam, cum fratrem trucidasset, eundem post mortem in proscriptorum numero reponendum curasse. Eodem loco Marium Gratidianum sua manu occidisse ejusque caput abscissum ad Sul-

lam, in foro sella curuli sedentem, detulisse narratur. Ejusdem rei testis est Quintus Cicero de Petit. Cons. cap. 2. 3. Is quidem Catilinam dicit educatum in sororis stupris ejusque primum ad rempublicam aditum in equitibus Romanis occidendis fuisse. « Nam illis, quos meminimus, Gallis, qui cum Titiniorum ac Nanniorum, ac Tanusiorum capita demebant, Sulla unum Catilinam præfecerat; in quibus ille hominem optimum Q. Cæcilium, sororis suæ virum, equitem Romanum nullorum partium, cum semper natura, tum etiam ætate jam quietum, suis manibus occidit. Quid ego nunc dicam petere eum consulatum, qui hominem carissimum populo Romano, vitibus per totam urbem ceciderit? ad bustum egerit? ibi omni cruciatu vivum lacerarit? stanti collum gladio sua dextera secuerit, cum sinistra capillum ejus a vertice teneret? caput sua manu tulerit, cum inter digitos ejus rivi sanguinis fluerent?" — cfr. cetera. De Cæcilio consentit Plutarchus vit. Cic. 10. De cæde Marii Senec. de Ira 3. 18. Flor. 3, 21. et inprimis Jul. Firm. Astronom. quare hæc quidem res, plurimis testimoniis confirmata, dubitari nequit. Præterea hoc silentio prætermisit Salustius, Catilinam post præturam male administratam repetundarum a Clodio reum esse factum et sola prævaricatione accusatoris pœna exilii liberatum fuisse. cfr. Q. Cic. de Petit. Cons. 3. et Cic. de Harusp. Respons. 20. pro Sulla 29. quo in judicio consul Torquatus reo advocatus fuit. Imo Coss. L. Julio Cæsare, C. Martio Figulo iterum, inter sicarios accusatus esse dicitur. cfr. Ferratius Epp. p. 306. sqq. Corradi Quaestura p. 129. Quare Cic. ipse Epp. ad Att. 1. 16. bis accusatum et absolutum Catilinam fuisse dicit. et ad id judicium pertinere videtur, quod Torquatum *alio in judicio* Catilinæ adfuisse negat. cfr. Or. pro Sulla cap. 29. De his omnibus Salustius paucissimis absolvit. cap. 5. « Huic ab adolescentia bella intestina, cædes, rapinae, discordia civilis grata fuere: ibique juventutem suam exercuit." nisi quod cap. 15. de Catilinæ stupris et de necato filio pauca adjecit. At dixerit aliquis, nihil fuisse cur illa omitterentur, cum hæc scelera enarraverit. Attamen diversa harum rerum est ratio. Quæ enim bellis civilibus facta sunt, etiamsi crudelissima fuerunt, tamen quodam partium studio defendi posse videbantur, neque hac in re potissimum Catilinæ morum perspecta est atrocitas. Præterea alius scriptor de eadem re aliter judicat. quod alii explanatius atque uberius, alii pressius atque adstrictius

dicendum esse putant. Alii nihil omittunt, quod ad rem aliquam illustrandam pertinere videtur, et in singulis rebus enarrandis diligentissime versantur; alii pauca eaque insignia atque maxime memorabilia illustrasse satis habent. Quæ enim in hominibus singularia sunt, ut in alios convenire non possint, ex iis luculentissime naturam et rationem ingenii humani perspici statuunt. Quare in his enarrandis multi sunt, et ad hæc potissimum legentes intendere animos jubent. Ex horum scriptorum numero Salustius est, qui orationem hac re maxime variare et ornare studet, quod alia paucissimis absolvit, alia eloquentiæ atque sententiarum luminibus exornat. Quæ in vulgus nota aut ita vulgaria fuerunt, ut etiam alio tempore fieri posse viderentur, ea fere omittit; sed quæ alicujus propria bona aut vitia esse videntur, his in rebus explicandis laborem et studium consumit. Hoc si reputaveris, facile intelliges, cur multarum rerum nulla mentio a Salustio facta sit. Neque hoc te mirum habebit, quod memoriam rerum temporibus non accuratius definierit. Fuerunt enim, qui, quod in Ciceronis orationibus accuratissime est scriptum, quo tempore omnia gesta fuerint, eadem cum diligentia Salustium omnia scribere debuisse putarent. Sed in universum satis accurate disseruit, quo tempore conjuratio facta fuerit, sed singulos dies notare, in qua obscura diligentia multi laudem quærunt, Salustio supervacaneum visum esse credo. Qui enim in rebus scribendis id potissimum agunt, ut interiorem et reconditam hominum indolem aperiant, externa ista fere negligunt, quæ ab aliis plurimum ad hominum mores fingendos conferre putantur. Alia, credo, quæ a ceteris scriptoribus enarrantur, Salustio leviora videbantur, quam ut ea attingeret. Ita Cicero auctor est, Or. Cat. 1. 3. Catilinam Kal. Novembris Præneste impetu nocturno occupare voluisse; sed cum Salustius cap. 27. in universum Catilinæ consilia explicuisset, singula ejus facta enarrare non opus fuit. Ejusdem est generis, quod Catilina se ipse in custodiam dedisse et vitandæ suspicionis causa cum apud M. Lepidum, tum apud Ciceronem et Metellum habitare voluisse, et ab illis repudiatus apud M. Marcellum demigrasse narratur. cfr. Cic. Cat. 1. 8. Dio Cass. 37. 32. Qua in re Dionis error notandus, quippe qui Catilinam apud Metellum habitasse, eoque inscio conjuratos, qui in Leccæ domum convenerant, adiisse narrat, nisi quis statuit, Catilinam cum per aliquod tempus apud Metellum habitasset, ab eo repudiatum ad M. Marcellum demigrasse.

Jam quod Salustius hoc commemorare omisit, cædem optimatium et urbis incendium in Saturnaliorum festum fuisse constitutum, vix ei vitio aliquis verterit, cum hujus consilii rationem satis accurate explicuerit (c. 43.). Neque hanc ob causam illum negligentiæ accusaverim, quod de prodigiis nil memoravit, quæ et deorum præsens auxilium, et prosperum rei eventum portendere videbantur. Salustium enim Thucydidis judicium his in rebus secutum esse, jam supra memoratum est. Ciceronem autem, cum pro Rostris orationem ad Quirites haberet, his in rebus illustrandis accuratum fuisse, non est quod miremu r,cum deorum consilio hæc gesta videri plurimum ejus interesset. cfr. Or. in Cat. 3. 8. Dio Cass. 37. 34. Sed quæ Plutarchus V. Cic. cap. 20. enarravit, fabulosa jure dixeris. Quare in laudibus ponendum, quod historiarum scriptor hæc omisit atque neglexit. Alia etiam leviora. Via Aurelia enim Catilinam esse profectum Cicero quidem auctor est, Or. Cat. 1. 9. trecentosque armatos eum esse secutos Plutarchus testatur V. Cic. 18. Sed cum Salustius narraverit, eum in castra Manliana esse profectum, quid erat, quod etiam de via accuratius exponeret? At multo accuratius Cicero de variis conjuratorum generibus exposuit. Or. Cat. 2. 8—10. Sed conferas mihi, quæ de eadem re Sal. cap. 14. et 16. enarravit; Ciceronemque verbosius quidem magisque oratorio, quod eum decebat, genere dicendi hæc illustrasse dixeris, sed diligentius accuratiusque Salustium. Saga a Romanis sumta esse tumultumque esse decretum, quod Dio Cass. 37. 33. et 35. narravit, Salustius et ipse cap. 19. significat. Sed eodem loco falsus est Dio Cassius, qui Catilinam a senatu in exilium ejectum esse dicit. Qua ex re colligitur, non ita magnam Dionis Cassii esse auctoritatem, quanta multis esse videtur. — Sed dicat fortasse aliquis, a Salustio omitti non debuisse, cujus rei Cicero auctor est, (Orat. Cat. 3. 3.) maximum sicarum et gladiorum numerum in Cetheji ædibus a C. Sulpicio prætore esse deprehensum. Cum autem tot et tam manifesta conjurationis indicia essent, parum retulit, unum alterumve adjicere, quod rem certissimam magis etiam firmaret. De indicio contra Crassum facto cum Salustius accuratissime scripserit, permirum hoc multis videatur, nullam plane literarum mentionem a Salustio esse factam, quæ Plutarcho et Dione auctoribus (Vit. Cic. cap. 15. Dio 37. 31.) ad Crassum aliosque primores datæ, ut in magno, quod instaret, periculo sibi caverent

celerique fuga salutem peterent, ab iisdem media nocte ad Ciceronem delatæ sunt. quod quidem si satis certum erat, hoc uno testimonio Crassus ab omni non modo probro, sed etiam suspicione defendi potuisse videtur. Sed speciosius credo, quam verius Salustius hoc testimonium esse duxit. Cum enim non solum ad Crassum, sed etiam ad alios nobiles a conjuratis literæ missæ essent, fieri vix potuit, ut de sceleratissimis istis consiliis nihil hominum sermonibus percrebresceret. Crassus igitur, quem suspectum fuisse satis constat, ne majus etiam existimationis detrimentum faceret, publicæ salutis curam simulavit, et quæ celari non poterant, doloso consilio aperuit. Accedit, quod hoc ante senatus consultum, a. d. XII. Cal. Nov. factum, acciderat, sed indicium Tarquinii, quo Crassus de conjurationis societate accusatus est, ante diem III. Non. Dec. factum; neque, quod antea se bonum simulaverat, inde colligi potuit, eum postea omni culpa vacuum fuisse. Recte igitur Salustius omisit, quæ ad eam rem, de qua disputavit, nihil plane pertinuerunt. — Sed Ciceronis res gestas quod attinet, multa omissa sunt, quæ cur auctor silentio prætermiserit, haud facile est ad explicandum. Ridiculi quidem sunt, qui Salustio vitio vertunt, quod Cæsarem et Catonem potissimum præstantissimos viros illius ætatis dixerit, cum ipsi Ciceroni hanc laudem tribuendam esse statuant. Quem summum quidem virum jure dixeris, sed animi excelsitatem, robur atque magnitudinem, quæ praecipua laus illorum virorum est, non æquavit. Illorum mores descripsit Sal., quod in iis singularem quandam animi ingeniique vim et ea potissimum studia cognovisse sibi visus est, quæ tum temporis in republica maxime celebrata erant. quod si spectas consilium, Ciceronis mentio fieri vix poterat. Sed alia sunt, quæ salva prima historiæ lege omitti non potuisse videntur. Primum omnium satis constat, Ciceronis inprimis consilio, studio atque opera factum fuisse, ut tantum et tam atrox periculum a republica fuerit depulsum. Id quod Salustius quidem et ipse significat, sed non satis illustrasse videtur. cfr. cap. 23. fin. et 26. 27. 29. 31. med. 41. 44. 45. 46. 48. 49. Quin imo fuerunt, qui verba capitis 26. *neque illi tamen ad cavendum dolus aut astutiae deerant* eo consilio ab auctore dicta statuerent, ut laudi Ciceronis obtrectaret. Sed non tam ex iis, quæ dixit, quam ex iis, quæ, cum dicenda fuissent, silentio prætermisit, Ciceronis laudi eum invidisse multi colligunt. Quanto cum studio Cicero Catilinæ consiliis obviam iverit, cum alia multa testimonio sunt, tum quod eo

referente senatusconsultum factum est: „si mercede corrupti obviam candidatis issent, si conducti sectarentur, si gladiatoribus vulgo locus tributim, et item prædia si vulgo essent data, contra legem Calpurniam factum videri.“ cfr. Cic. pro Mur. cap. 32. alia Tulliæ legis capita, vide Or. in Vat. 15. pro Sextio 64. pro Mur. 41. Dio Cass. 37. 29. Qua de re si Salustius mentionem fecisset, et quam perversa Catilinæ consilia et quantum periculum reipublicæ et quanta consulis industria fuisset, accuratius declarasset. Sed hoc opinor prætermisit, quia eo tempore severiores leges de ambitu sæpius rogabantur, neque eo decreto tantam illam Catilinæ immanitatem illustrari posse judicabat, quod aliis temporibus et nulla domestici belli suspicione factum fuerat. Id certe facile concesseris, ex hac re sola non posse colligi, Salustium consilio multa prætermisisse, quæ Ciceroni laudi fuerunt. Eodem spectat, quod de comitiis prorogatis nihil memoravit, quod a Cicerone prudenti consilio factum, ne Catilina Sullanorum colonorum suffragiis aut vi consulatum consequeretur. cfr. Cic. pro Mur. cap. 24. 25. 26. Quam certa spes summi magistratus ei fuerit, et quanta præsidia paraverit, ex hac re potissimum intelligitur. Quo major etiam senatus metus esset, percrebuerant voces Catilinæ, quas in domestica concione habuisse dicebatur. Miserorum enim fidelem defensorem inveniri posse negaverat, nisi eum, qui ipse miser esset; integrorum et fortunatorum promissis saucios et miseros credere non oportere; quare qui consumta replere, erepta recuperare vellent, spectarent, quid ipse deberet, quid auderet; minime timidum et valde calamitosum esse oportere eum, qui esset futurus dux et signifer calamitosorum. His rebus auditis, Cicerone referente, factum est senatusconsultum, ne postero die comitia haberentur, ut de his rebus in senatu agi posset. Catilina igitur de his indiciis dicere jussus, non se purgavit, sed indicavit. Duo enim corpora esse reipublicæ dixit, unum debile, infirmo capite; alterum firmum sine capite. Huic, cum ita de se meritum esset, caput, se vivo, non defuturum. cfr. Plut. Cic. c. 14. Hæc omnia ne verbo quidem attigit Salustius; contra Catilinam verba facientem inducit, quo anno simul cum Cicerone consulatum petiverat; et eorum loco, quæ Cicero illum in senatu dixisse testatur, plane aliena laudavit, quæ ad Catonis interrogationem ille responderat. Quæ quidem si accuratius reputamus, non solum malivolentiæ, sed etiam negligentiæ Salustius insimulandus esse videtur, quippe qui et rerum ordinem per-

turbarit, et res memoratu dignissimas aut omiserit, aut non satis accurate explicuerit. Accedit quod rei gravissimæ nulla apud Salustium fit mentio, in ipso scilicet senatu multos fuisse, qui Catilinæ inceptis faverent. Quæ quidem res in dubitationem vocari non potest, cum Cicero et in oratione in senatu habita et cum pro Rostris verba faceret, rem ita sese habere aperte indicet. cfr. Or. I. Cat. cap. 12. « Quanquam « nonnulli sunt in hoc ordine, qui aut ea, quæ imminent, non vident, « aut ea, quæ vident, dissimulant, qui spem Catilinæ mollibus senten- « tiis aluerunt conjurationemque nascentem non credendo corroborave- « runt. Quorum auctoritatem secuti multi non solum improbi, verum « etiam imperiti, si in hunc animadvertissem, crudeliter et regie fac- « tum esse dicerent." cfr. Or. Cat. 2. 2. « Sed quam multos fuisse pu- « tatis, qui, quæ ego deferrem, non crederent? quam multos, qui prop- « ter stultitiam non putarent? quam multos, qui etiam defenderent? « quam multos, qui propter improbitatem faverent?" Præterea Plutarchus hoc ipsi Catilinæ persuasum fuisse narrat, eorumque senatorum, qui suis consiliis faverent, auxilio fretum, paulo ante comitia consularia Ciceroni superbius respondisse. cfr. Vit. Cic. cap. 14. idem de indiciis factis recte judicat: *αἱ δ' ἀπ' ἀνθρώπων μηνύσεις ἀληθεῖς μὲν ἦσαν, οὔπω δ' εἰς ἔλεγχον ἀποχρῶσαι κατ' ἀνδρὸς ἐνδόξου καὶ μέγα δυναμένου, τοῦ Κατιλίνα.* quam quidem ob rem Dio Cassius Ciceronem calumniæ suspicionem incurrisse tradit. l. 37. cap. 31. *ὥστε καὶ ἐπὶ συκοφαντίᾳ τὸν Κικέρωνα διαβληθῆναι.* Salustius autem, cum sæpius de iis exposuerit, qui rerum novarum cupidi, Catilinæ incepta probaverint, tamen ipsos senatores suspectos fuisse nullo loco dicit. Ne hoc quidem satis accurate exposuit, quam difficile fuerit, conjurationem manifesto deprehendere, cum Ciceroni quidem conjuratorum consilia comperta essent, conjurationis autem auctores criminis convinci non possent. Sed neminem fugit, hac potissimum in re Ciceronis studium fuisse positum, ut et sentiret, quæ conjurati molirentur, et inceptis eorum obviam iret. Salustius autem quamvis Ciceronis aliquoties cum laude mentionem fecerit, tamen aperte non dixit, illius maxime industria atque vigilantia factum esse, ut urbs ex tantis periculis liberaretur. quod non solum Ciceronis, sed etiam senatus populique Romani fuisse judicium, inde colligas, quod et gratiæ verbis amplissimis ei actæ sunt, quod ejus virtute, consilio, providentia respublica periculis sit maximis liberata, et supplicatio

diis ejus nomine decreta est, *quod urbem incendio, caede cives, Italiam bello liberasset.* cfr. Or. 3. in Cat. c. 6. quod quidem uni Ciceroni, civi togato, contigerat. Gravissimum hoc Ciceronis virtutis testimonium a Salustio silentio prætermissum est, ita ut, quo jure suo Cicero exsultabat laudis præconio, rerum scriptor, quantum in eo fuit, oblivioni dederit. Dixerit aliquis, nullam hujus rei a Salustio fuisse relictam memoriam, quia neque ad conjuratorum consilia, neque ad rempublicam pertineret, quæ in Ciceronis laudem a senatu decreta fuerint. Neque ego statuo, nisi hoc literis mandatum sit, istius temporis rationem explicari non potuisse. Cum autem dubitari non possit, quin Ciceronis singulari virtute, constantia, vigilia curaque respublica conservata fuerit, vel in breviore tam atrocis sceleris narratione non omittenda fuerunt, quibus senatus testificatus est, consulem optime de republica esse meritum. Parum accurate etiam hoc scriptum, quod de Ciceronis oratione, in senatu de conjuratis habita, nihil dixerit. Fac, enim non multum ad senatorum voluntatem mutandam valuisse, id certe studuit Cicero, ut cura sui suorumque omissa, quod maxime e republica esset, decernerent. Accedit, quod Cato in oratione Ciceronis sapientiam et industriam summis laudibus in coelum extulerat. (Cic. Ep. Att. 12. 21.) quas quidem laudes æque ac Cæsaris accusationem a Salustio esse omissam, jam supra memoratum est. Quæ cum indigna statuerit Salustius, quæ illustrarentur, mirum te non habebit, quod non accuratius exposuerit, plebem, postquam de conjuratis supplicium sumptum fuerit, gaudio exsultasse (cfr. Plut. Cic. cap. 22.) atque Ciceronem, cum Metellus, tribunus plebis, et Cæsar prætor plurimum ejus laudibus obtrectarent, a Catone patrem patriæ fuisse appellatum. cfr. Plut. Cic. cap. 23. Dio Cass. 37. 41. (Cic. Ep. Div. 5. 1.) Quæ omnia si reputaveris, nil quidem falsi a Salustio dictum esse statues, multa autem omissa, quæ, etiamsi paucis hac de re absolvere ei animus fuit, commemorari poterant. Judicium ejus integrum et omni malevolentia et obtrectatione fuisse liberum, haud negaverim, sed quod quasdam inimicitias cum Cicerone exercuerat, eorumque mores ac studia fuerunt dissimillima, facile fieri potuit, ut de Ciceronis rebus minus recte existimaret, eandemque ob causam jejunius atque infirmius de iis exponeret. Aliud enim est, consilio de alicujus laudibus detrahere atque veritatem in flectere, aliud partium studio occæcatum minus accute in re aliqua videre.

Quare ita statuo, Salustium quidem de industria Ciceronis laudes non imminuisse. sed, quia vitæ ejus rationes a Ciceronis studiis plane abhorrebant, multa non satis illustrasse, quæ Ciceronis potissimum virtute atque consilio bene gesta sunt.

Pauca de forma hujus libri et de oratione, qua usus est Salustius.

De forma brevioribus nobis esse licet, cum et auctoris consilium sit manifestum, et jam supra hac de re paucis sit expositum. Primum igitur hoc neminem fugit, Salustium non acquiescere in eo, ut enarret, quid actum aut dictum sit, sed etiam quomodo. Quas igitur Cicero historiæ leges esse statuit, ut primum consilia, deinde actus et eventus exponantur, has regulas etiam Salustius secutus est. Nam et de consiliis significat, quid probet, et in rebus gestis declarat, qua ratione aliquid actum sit, et in rerum eventibus enarrandis omnes causas vel casus, vel sapientiæ, vel temeritatis explicat. Sed hominum ipsorum non solum res gestas, sed etiam qui fama ac nobilitate excellunt, de cujusque vita atque natura exponit. Hoc igitur in universum ad sermonis, quo historicos uti decet, rationem pertinet. Sed hæc cum ingenio et solertia fiant oportet, ut scriptor laude dignus sit. Sed de virtutibus et vitiis orationis Salustianæ in calce libri accuratius disputabitur, hoc loco, ceteris omissis, ea notasse satis habeo, quæ ad conjurationem Catilinariam pertinent. Jam eas sententiarum figuras, quas Salustii proprias recte dixeris, in hoc libro frequentiores etiam esse, quam in ceteris, supra est monitum. cfr. præfat. Quamvis enim ex historiarum libris multæ locutiones a grammaticis antiquis laudantur, quarum neque in Catilina, neque in Jugurtha ullum vestigium deprehendas, tamen in conjuratione Catil. sermo multo abruptior et luminibus sententiarum exornatior est, et a leni et æquabili orationis tractu, qui in Jugurtha est, longe recedit. Ad antiquorum historicorum et Catonis inprimum stilum Salustium sæpius orationem conformasse in confesso est. Sed errant, qui ex his fontibus brevitatem illam repetunt. Jlli enim, ut præclare Cicero, dum

intelligatur, quid dicant, unam dicendi laudem putant esse brevitatem.» Est quidem etiam apud Salustium certum quoddam brevitatis genus, sed tale, quale in Thucydide Cicero laudat. Salustius enim haud minus quam Thucydides «ita creber est rerum frequentia, ut verborum prope « numerum sententiarum numero consequatur, ita porro verbis aptus « et pressus, ut nescias, utrum res oratione, an verba sententiis illustren« tur." Præterea orationis vis atque ἐνάργεια eo maxime augetur, quod, minoribus et levioribus rebus fere neglectis, in magnis et memoria dignis illustrandis plurimum versatur. Quemadmodum enim in picturis, ubi multa abdita sunt et opaca, cetera lætiora, nitidiora et magis collustrata esse videntur; ita id stili genus legentes maxime movet, ubi, cum cetera angustius et brevius disputata sint, in rebus nobilioribus oratio magis insurgit et intentior, gravior et incitatior fit. Quam ob rem sæpius ab eo, quod proposuit, longius, quam par erat, digreditur. Hæc est ratio disputationis de moribus majorum; et ipsa præfatio, quamvis alio consilio scripta, si ipsius argumenti angustias spectas, alieno loco posita esse videtur. Etiam de Sempronia plura quam pro rei dignitate dicta sunt. Sed in eorum moribus illustrandis, qui ingenii viribus excellunt, haud uno loco modum excessisse videtur. Idem in causa fuisse videtur, cur longiores orationes historiis intexeret. Orationibus enim mores et ingenia hominum multo significantius exprimuntur, quam cum res ab iis gestæ illustrantur. Sed quamvis jam a Trojo Pompejo hoc Salustio vitio datum est, tamen nescio an præter Thucydidem hac in re ullus scriptor ejus laudem æquaverit. Nihil enim fictum est, quod aut a probabilitate, aut ab indole dicentium abhorreat. Quin tanta cum solertia naturam et indolem Catilinæ, Cæsaris atque Catonis oratione effinxit, ut facile Catilinæ furiosam temeritatem, Catonis gravitatem atque constantiam Cæsarisque fraudulentam mansuetudinem ex ipsis verbis cognoscas. Quod igitur apud Livium recte reprehenditur, quippe qui antiquissimis temporibus consules et senatores loquentes induxit, temporum ordinem neglexit, et priscorum hominum simplicitatem fuco rhetorico suæ ætatis corrupit, hæc a Salustii oratione sunt alienissima. Primum enim orationes ab his hominibus, a quibus dicit, et de iisdem rebus habitas esse, dubitari non potest. Accedit quod illorum temporum æquali facile cognoscere licuit, quam in sententiam quisque locutus sit. Neque in Salustii consilio explicando omit-

tendum est, quod recte dixeris, ea tempestate omnia paucorum hominum opera et studio gesta esse. Quæcunque enim aut ad evertendam, aut ad servandam rempublicam inita sunt consilia, ea paucorum hominum fuerunt, qui aut virtute, aut per vim et factionem cuncta regebant; ceteri gratia vel præmiis libertatem venalem habuerunt. Quæ cum illorum temporum fuerit ratio, jure suo hoc scribendi genere usus est Salustius. Quare qui eum vituperant, videant, ne faciant intelligendo, ut nihil intelligant. Ridicula enim illorum ratio mihi esse videtur, qui ex philosophorum scholis præcepta historiæ scribendæ repetunt, et ad eas, quæ eorum mentibus inculcatæ sunt regulæ, judicium de antiquis scriptoribus revocant. Alium enim alia decent. Neque Herodotus accusandus est, quod gravitatem atque majestatem Thucydidis oratione non expressit, neque de Salustii gloria detrahendum, quod a Ciceronis ceterorumque scriptorum Romanorum sermone longius recessit. Quo accuratius enim optimi cujusque scriptoris orationem excuties, eo clarius apparebit, et rerum naturam, in quibus illustrandis scriptores versantur, et ipsorum indolem, ad orationem non solum electione, sed etiam constructione verborum conformandam plurimum valuisse. Quod ubi cognoveris, criticorum vanum ridebis studium, omnium orationem ad suas leges et philosophorum præcepta exigendi. Huic vitio plane contrarium, sed cui facilius ignoscas, est hoc, quod multi ex solis antiquorum scriptorum monumentis bene scribendi regulas hauriunt, ad hanc normam omnium artium disciplinarumque genera revocant, et illo modulo vel alienissima metiuntur. *Unus utrique error, sed variis illudit partibus.* Ab utroque vitio judicium ut liberum sit, harum literarum studiosis quam maxime enitendum est; sola enim hac ratione fieri potest, ut etiamnum quos decet fructus, ex humanitatis studiis percipiantur.

COMMENTARII

IN BELLUM JUGURTHINUM.

In hujus libri inscriptione multo minus variant Codd. *Bellum* enim *Jugurthinum* vulgo inscribitur, nisi quod sæpius apud Grammaticos antiquos brevius *Jugurtha* laudatur, qui iidem aliquoties *secundam historiam* hunc librum dicunt.

Cap. I. Hæc præfatio usque ad cap. III. iis, quæ Catilinæ præfatus est Sal., haud absimilis; sed illam antea scriptam esse facile intelligas. ceterum hujus libri initium ab antiquis grammaticis non uno nomine notatum est. Quinctilianum enim (Institt. Orator. 9. 4.) τὸ εὔρυθμον horum verborum offendit; sed cfr. adnotata ad Cat. 19. Servius (ad Aen. 11. 581.) pro insolito habuit, quod particulam *falso* orationi præfixerit, et, antequam rem diceret, ejus eventum ostenderit. Sed aliis quoque scriptoribus hoc usitatum fuisse, multis exemplis patet. *natura sua.* pronomen, quod in multis libris locum mutat, et in nonnullis *sui* scribitur (ita etiam in Ven. 2.) in tribus omissum est. Guelf. 5. Commel. Min. 1. et videtur sane posse omitti propter *genus human.* quod est oppositum, et cetera quæ sequuntur. *forte* i. e. casu. recte Cicero de Legg. 2. 11. *fors, in quo incerti casus significantur magis.* ubi vide Davisium; etiam quæ Non. Marcell. attulit loca, (5. 15.) quamvis ipse aliter statuit, Ciceronis auctoritatem confirmant. *reputando.* hic ablativus durius cum verbo junctus; dictum pro: *re accuratius examinata.* simillimus est, quem contulit Cort. locum. Cat. 61. *pugnando ceperat locum.* cfr. Ruddim. II. pag. 296. n. 2. *contra.* adverbii vim habet; falso Cortius pro substantivo habuit. *majus aliud* pro *quicquam* positum cfr. infra 2. *aliud amplius.* 96. *non alius prior.* — *invenies* etiam ex Italicis Codd. pauci, Flor. 3. Med. 7. 10, sed conjunctivus ut meliorum librorum auctoritate firmatur, ita ad vim sententiæ accommodatior. *hominum* falso Cortio suspectum visum est. nam cum sint opposita *industria* et *vim*, id, *hominum* omisso, non satis significatur; accedit, quod *industriam* sine casu hoc loco durius cum *deesse* jungitur, cum eadem quidem verborum structura, quæ in sequentibus, sed sensus diversus sit. *Sed dux* etc. Hæc stoicorum magniloquentiam sapiunt. *ad gloriam ubi.* Eich. quæ verborum positio a Salustiano loquendi genere non aliena, sed unius libri fide vulgatam mutare nolui. *grassari.* vide infra cap. 64. *cupidine atque ira, pessimis consultatoribus, grassari.* Locutio apud Ta-

citum frequens. Liv. 2. 12. *trecenti conjuravimus, ut in te hac via grassaremur.*—*pollens potensque. pollens* magis ad insitas vires, *potens* ad jus auctoritate vel honoribus gerendis paratum spectare satis constat. Sed in ejusmodi formulis similium vocum conjunctio nihil aliud quam sententiæ vim auget. *bonas artis* Med. 4. 5. 7. 8. 11. Min. 1. 2. 3. Flor. 1. Vat. 1. 2. 3. 5. 6. Eich. qui verborum ordo in sermone vulgari videtur esse frequentior, quam ipsam causam dixerim, cur librarii a vulgato ordine recesserint; ceterum *bonas artes* sæpius *liberales* et *ingenuas artes* significare non est, quod moneam. particulam *que*, a Cortio unius libri fide ejectam, in ceterorum librorum dissensione, retinendam esse putavi. eadem pronominis *cuiquam* est ratio, quod unus liber delet, ceteri constanter retinent. *pessum dari ad* i. e. ita corruptus est, ut corporis voluptatibus indulgeat. *perniciosa — usus.* Nominativum absolutum, quem dicunt, Cortius hoc loco intelligi vult. etiam Perizonius hunc locum inter Anacolutha refert, et in hac re acutius vidit, quod hæc cum sequentibus jungenda esse censuit; quod enim interpunctio, inde a Cortio vulgata, suadere videtur, ut hæc verba a ceteris sejungantur, id mihi quidem absurdum esse videtur. quis enim hoc sibi persuadeat, post verba: *ad voluptatis corporis pessum datus est* auctorem iterum dixisse: *ubi perniciosa lubidine paulisper usus est.—?* hæc jejuna ejusdem sententiæ repetitio vel insulso grammatico crimini vertenda, nedum in Salustio probanda. hæc igitur verba aut ad sequentia, aut ad priora explicanda pertinent; equidem ad priora retulerim, et pro gerundio posita esse statuo. pessumdatur animus et quod cupidinibus captus est, et quod perniciosa lubidine utitur, i. e. cupiditatibus se regi patitur. quæ ratio si cui durior videtur, ei in Perizonii partes ut transeat, suadeo. Expeditissimum erat, hæc verba delere, quæ salva sententiæ elegantia omitti possunt; sed rectius statuas, consilio auctorem accuratius et varie enarrase, quibus artibus animi vigor effeminetur. *diffluxere* et *defluxere*, quod plurimi libri retinent, parum differre Cortius docuit, de usu Orthograph. Lat. 3. 13. tanti viri auctoritate confirmari, quam supra proposueram sententiam, gaudeo. sed quod literam *e* in hoc verborum genere antiquiorem dicit, meliorum librorum dissentit auctoritas. *quisque.* quod pauci libri habent, haud dubie retinendum. *auctores* enim per appositionem additum, i. e. *cum ipsi auctores sint.*— *ad negotia.* hæc vox Salustio solemnis, ubi alii *res*, *facta* dicunt. cfr.

Jug. 6. 93. *quanto studio.* plenius dictum pro *quanta* scil. cura. *aliena.* etiam hæc vox e philosophorum scholis repetita, i.e. ἀλλότρια, quæ ad nos non pertinent. *multum* haud dubie vera lectio, quam C. recte explicat *saepe*; quæ significatio apud ipsum Ciceronem satis frequens. cfr. Epp. Fam. 4. 13 „familiarissimi Cæsaris me admodum diligunt *multumque* mecum sunt." cfr. Horat. Tursell. pag. 648. apud eundem pag. 1171. *multum* et *saepe* junctum. — *neque* — *et.* Græce: οὔτε — τε. vide supra Cat. 32. infra Jug. 84. — *uti.* plurimi libri *ubi.* quam lectionem aliquis defenderit locis similibus v. c. Terent. Heaut. 4. 6. 8. *hujusmodi res semper comminiscere, ubi me excarnifices.* sed hæc diversa, nam post *ea*, *uti* necessarium est. habet enim illa particula vim causalem. neque hoc dicit auctor, cum quis magnus factus sit, tum eum nobilem fore; sed eo, quod præclara facinora perpetraverit, fieri, ut *postea* summis laudibus celebretur.

Cap. II. *animo et corpore.* Ven. 2. *anima et corpore est.* Ven. 3. *est* om. Vatic. 6. probo. *anima* haud dubie rectius quam *animo*, quamvis paulo post *animi* optimi libri confirmant. Ceterum Cort. statuit, *animum* et *animam* a Salustio promiscue dici. id quod ex pluribus Catilinæ locis colligit. cfr. Cat. 1. 11. 52. quæ vide. sed recte Nonius 5. 20. *animo sapimus, anima vivimus.* ita priore loco anima, i. e. ψυχή, recte dicitur. sed studia nostra solum ad animum, τὸν θυμὸν, referri possunt. *genus hominum.* circumscriptio poetica. i. e. quicunque inter homines referuntur; *genus humanum*, quod in aliquot libris est, non idem significat; nam singuli quidem homines ex anima et corpore compositi sunt, sed *genus humanum* non ita. verborum ordinem quod attinet, *ex corpore et anima*, an *ex anima et corpore* scribendum sit, meliorum librorum auctoritatem sequor. *secuntur* Med 4. Flor. 3. 10. quæ scriptura fortasse antiquior. *sequi* i. e. respondere; Cic. de amic. 20. *dispares enim mores disparia studia sequuntur.* — *et alia omnia hujuscemodi. et*, quod Cort. fide unius libri ejecit, ideo retinendum, quod *ad hoc* antecessit. *omnia* om. Ven. 1. Min. 1. sed *alia omnia* solemnis formula apud Sal. cfr. Cat. 52. *ingenii egregia facinora* i. e. facinora, quæ ingenii vi patrantur. cfr. Cic. Act. in Verr. 5. fin. *si ejus sunt omnia inaudita et singularia facinora sceleris, audaciae, perfidiae, libidinis, avaritiae, crudelitatis.* — *uti initium sic finis est. uti* Flor. 3. *sic*, quod Cort. duorum deteriorum librorum fide delevit, omnes Italici retinent. neque dubium est,

quin verum sit. scilicet id significat auctor, cum harum rerum initium sit, sive quod tempus fuerit, quo nondum existerent, inde recte colligi posse, eas non esse sempiternas. cujus conclusionis ratio ut intelligatur, *sic* omitti non potest. *omniaque. que* om. Vat. 1. recte, quia hoc explanationis causa additum est. Ceterum si Philargyrio fides, hæc ex Epicuri hortis repetivit Salustius. vide ad Virg. Georg. 2. 336.. « si crescit, deficit; in quo videtur secutus esse Epicurum, qui ait : omnia, quæ orta, occidunt, et aucta senescunt.» Sed eadem sententia in Phædro Platonis expressa. *agit* etc. etiam hoc Platonicum; hoc enim animæ Plato tribuit, quia fons et principium motus est. *neque ipse habetur.* conferunt interpretes Græcum: ἔχω οὐκ ἔχομαι. cfr. Cic. Epp. Div. 9. 26. *gaudia corporis* idem, quod supra *voluptates corporis*, in Cat. cap. 11. *ventri et somno dediti* dixerat. *per luxum et ignaviam.* plenius et magnificentius dictum, quam si adverbia substantivorum loco posuisset. hujus magniloquentiæ sæpius admonendi tirones, ut sermonis Salustiani proprietatem vel in singulorum verborum usu intelligant. cfr. Cat. c. 20. *aetatem agerent.* cfr. Cat. cap. 4. et 37. etiam in his gravitatem quandam orationis perspicies. *ceterum* in oppositis Salustio usitatissimum. *in natura mortalium est.* Cortius hæc suspecta habuit, scilicet quo quid dictum est jejunius, eo magis Salustianum esse judicavit. *incultu.* ablativus defectivus. cfr. Cat. 55. et Liv. 42. 12 *suos honores partim desertos per incultum et negligentiam.* vide Schneid. de Formis L. L. p. 442. ceterum hae formæ maxime antiquis scriptoribus usitatæ sunt. *torpescere.* cfr. Cat. 16. Tac. Hist. 1. 71. eodem sensu *torpedo* et *torpor* dicuntur. cfr. Or. Philippi contra Lepid. et Licin. ad plebem. Cato apud Gell. 11. 2. *si nihil exerceas, inertia atque torpedo plus detrimenti facit, quam exercitio.* — *claritudo.* Substantiva in hanc terminationem desinentia, cum haberent quendam antiquitatis colorem, a Salustio et Tacito sæpius usurpantur. cfr. quæ Cortius laudavit exempla. *claritudo Cato* dixerat. Fest. s. v. *bellitudo*, *canitudo*, *hilaritudo*, *honestitudo*, *gracilitudo*, *aritudo*, *anxitudo*, *macritudo*. cfr. Fest. et Non. 2. n. 399. 401. 364. recte Gellius 17. 2. «nescio quid majoris dignitatis est verbum *sanctitudo* (scilicet quam *sanctitas* seu *sanctimonia*), sicuti M. Cato in L. Veturium *duritudinem* quam *duriciem* dicere gravius putavit.»

Cap. III. *virtuti* i. e. probis et innocentibus hominibus. *honos* pro munere publico dictum; confirmant sequentia — *jus fuit.* perperam hoc Cortius explicuit, quippe qui *honoris* suppleri jubet. sed de *jure honoris* hoc loco non sermo est. *jus* idem est quod *potestas*, *imperium.* cfr. Cat. 28. et loca ibi laudata, quibus adde Lucan. Pharsal. initio. *jusque datum sceleri.* videsupra Cat. c. 32. *parandi juris et majestatis constituendae gratia.* Fragm. Hist. III. 22. initio : *jus a majoribus relictum.*— *honestus* i. e. *honoratus;* apud Ciceronem sæpissime, de re cfr. Corn. Nep. V. Attici. c. 6. « honores non petiit, cum ei paterent propter vel gratiam vel dignitatem, cum neque peti more majorum, neque capi possent, conservatis legibus et tam effusis ambitus largitionibus, neque geri e republica sine periculo, corruptis moribus." *Parentes* subditi atque subjecti sunt. cfr. ad Cat. cap. 6. *aut*, quod Cortius mutari jussit in *atque*, bene se habet; hac voce enim cavetur, ne quis patrem vel matrem intelligat. laudant interpretes Cic. Epp. Div. 1. 8. 44. *vim neque parenti neque patriae adferri oportere.* ubi *parenti* aperte *patri* significat. Sed hæc sententia æque ac Platonis, quem laudant locum, a nostro scriptore aliena est. *delicta corrigas* i. e. perversos civium mores legibus coerceas. cum totus hic locus ad Cæsarem spectare videtur, tum his verbis leges Julias de provinciis ordinandis, de repetundis, de legationibus liberis, de judiciis etc. significare videtur. *importunum* i. e. invidiosum, odiosum, arrogans; in eandem sententiam Auctor. Ep. ad Cæs. de Rep. Ord. 2. 4. *importunissima genera hominum* dicit. et Jug. 31. *illi quantum importunitatis habent.* Cic. Verr. 6. 50. *importunissimae libidines.* — *omnes rer. mutationes.* significare videtur reipublicæ statum Sullanis temporibus et post Cæsarem mortuum sæpius mutatum. *aliaque. que*, quod hoc loco Cortius intactum reliquit, Flor. 3. om. *portendant.* i. e. non solum significent, sed certissimis ejus rei indiciis ostendant. quæ laudavit Cortius loca Cic. Epp. 10, 32. et Liv. 28. 5. nihil ad rem faciunt. alia non suppetunt. *niti.* cfr. Cat. initio. *se fatigando*: pron. in tribus Cortianis omissum; confirmare videtur Hieron. præfat. in Esdram. et Nehem. *Frustra autem*, (ut ait quidam) *niti, neque aliud fatigando nisi odium quaerere* etc. sed parum certa hujus hominis fides est; quod sæpius pessimum, quo utitur, loquendi genus flosculis Salustianis exornat, inde nihil efficias. certe ex solo hoc

loco *fatigare* verbum neutrum esse haud statuerim. — *extremae* i. e. summæ, maximæ; cujus quidem significationis apud meliores scriptores vix exemplum invenias. sæpius inest vilitatis notio. quæ cum jam substantivo insit, inde factum videtur, ut hæc ita exprimeret Salustius. *nisi forte.* satis constat, has particulas orationi subjungi, ubi aliquid ponitur, quod absurdum esse per se patet. Salustio hæc formula usitatissima. *decus* proprie est, quod decet. sed aliud est, cum ad nostram ipsorum conscientiam, aliud cum ad hominum judicia refertur; illud idem, quod *rectum* atque *honestum* vere dixeris; hoc sensu supra Cat. 53. dixerat: *Catoni studium modestiae, decoris, sed maxime severitatis erat.* idem in *quadam universae vitae aequabilitate* positum esse Cicero dicit. (Offic. 1. 31.) alterum decoris genus proxime ad notionem *existimationis* accedit, quam recte Cort. Græce δόξαν interpretatur. etiam Cicero (Offic. 1. 27.) haud inconcinne in *quodam ornatu vitae* contineri dicit. apud nos: *Ehre.* de hac significatione vide Cat. 29. *divitiae, decus, gloria in oculis sita.* et cap. 58. cfr. Tac. Ann. 12. 48. *paucis decus publicum curae.* — *gratificari.* h. e. in alicujus gratiam re aliqua cedere, seu dono dare; ita Annalium scriptor apud Plin. 34. 6. *quod campum Tiberinum gratificata esset ea populo.* Ceterum auctor amicos Antonii atque Octaviani his verbis leviter perstrinxisse videtur.

Cap. IV. *memoria rerum gestarum.* — memoria non solum cognitionem, quod Cortius judicavit, sed etiam ipsam narrationem exprimit. cfr. Brut. 3. *liber, quo iste omnium rerum memoriam breviter complexus est.* cfr. Nep. Hannib. 8. Liv. 22. 27. *habet hoc nulla memoria annalium.* eadem significatio etiam hoc loco obtinet. cognitio enim historiæ *negotium, quod ingenio exercetur,* dici non potest. *praetereundum.* Cort. *dicere* intelligendum esse judicat, quod mihi quidem contra videtur. nam *praeterire* alias quidem solum accusativum regit, sed hoc loco cum ablativo junctum ut Cat. 4. *absolvere de conjuratione.* Tac. Hist. 4. 48. *ea de re quam verissime expediam.* neque alienum est *explorare, exponere, cognoscere de re aliqua.* — *memet studium meum laudando extollere* — *meum* om. Ven. 3. Vat. 4. *laudando* om. Vat. 6. unde aliquis lectionem: *memet studium extollere* confingat. haud rectius, quam si Cortio assentiatur, qui asperrimam verborum structuram induxit. *labori meo.* historiæ conscribendæ consilium significat. *salutare* i. e. gratiam plebis captare, manus prensare, nomine appellare,

atque civilem se præbere. cfr. Liv. 3. 14. « nihil eisdem illis placidius erat, benigne salutare, adloqui plebis homines, domum invitare, adesse in foro." *conviviis gratiam quaerere.* qua de re jam supra est monitum. cfr. Cic. de Offic. 2. 16. *adeptus sim. sum.* Vat. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Med. 2. 5. 6. 7. 9. 11. Ven. 3. Barb. 5. Flor. 4. et indicativus Salustiano dicendi generi consentaneus, cum more Græcorum orationi obliquæ sæpius indicativum modum interponat. *nequiverant.* Med. 7. quæ lectio, si parum probabilis, tamen alterius auctoritatem confirmat. potest videri Salustius elegantiam quandam sectatus esse, ita ut, quod ad ipsum pertinuit, firmissime asseveraret, cetera incertiora poneret. *et quales. et* om. Med. 8. quod laudo, ne quod exemplum librariorum levitatis in delendis vocibus intelligentes fugiat. ceterum his verbis Salustius Cæsaris perversam liberalitatem notare videtur, qui peregrinos et infimæ sortis homines in senatum legit. cfr. Cic. Epp. Fam. 6. 19. et Dio Cass. 43. 20. et cap. 47. *καὶ προσέτι παμπληθεῖς μὲν ἐπὶ τὴν γερουσίαν, μηδὲν διακρίνων μήτ' εἴ τις στρατιώτης, μήτ' εἴ τις ἀπελευθέρου παῖς ἦν, ἐσέγραψεν, ὥστε καὶ ἐνακοσίους τὸ κεφάλαιον αὐτῶν γενέσθαι.* Sueton. V. Jul. 76. *existumabant* i. e. judicabant. apud Sal. enim, verborum proprietatis tenacem, frequens est hæc significatio, sed ne a Ciceronis quidem oratione aliena. Cic. Epp. ad Q. Fr. 1. 1. *non est tibi his solis utendum existimationibus ac judiciis, qui nunc sunt, hominum, sed iis etiam, qui futuri sunt. merito* i. e. judicio potius quam etc. Corn. Nep. Attic. 15. « Ex quo judicari poterat, non inertia, sed judicio fugisse reipublicæ procurationem." *animi mei.* pronomen, quod Cortius deterioris libri fide expulerat, omnes Italici Codd. confirmant. retinendum igitur, et nescio quæ elegantia in his additamentis mihi esse videtur. causam certe vix inveneris, cur a librariis pronomen sit additum. *negotium*, id, quod sæpius est monitum, Salustius etiam reipublicæ administrationem dicit. *Q. Maxumum* non Cunctatorem significat, cujus prænomen Publius fuit, sed aut *Servilianum*, qui A. U. 627. nobilem consulatum gessit, aut Aemiliani filium, L. Pauli nepotem, qui consul fuit A. U. 631. et Allobroges vicit. cfr. Brut. 28. pro Font. 12. ceteri enim, quibus idem nomen, minus sunt memorabiles, neque suæ ætatis homines auctor nominasse videtur. *P. Scipionem* eundem esse putaverim, qui vir optimus de toto populo judicatus, sacra matris deum sua manu accepit. cfr. Liv. 29. 14; 35. 10. alter enim, Corculum cognominatus, minus est celebratus, et Nasicam, qui

Grachi interficiendi auctor fuit, Salustius certe virtutis exemplum non habuit; nisi forte quis Africanum minorem ab auctore significari statuit. *scilicet* recte Cortius: „hoc Salustii judicium est;" quare *scilicet* hoc loco non adverbii, sed verbi vim habet. cfr. infra cap. 113. Plaut. Rud. 2. 3. 64. *nunc eam cum navi scilicet abivisse pessum in altum.* ita *videlicet* apud Gellium 17. 4. *sed videlicet eum vocabula rerum vera ignoravisse.* cfr. Lucret. 2. 468. Plaut. Curcul. 2. 2. 10. Gronov. Observatt. 3. 9. eandem vim particularum *forsitan* et *ilicet* esse, imo apud ipsum Ciceronem non uno loco *scilicet* ita explicandum esse docuit. cfr. Epp. ad Q. Frat. 2. 8. sed tamen antiquioribus scriptoribus hæc usitatissima; apud ceteros separatim scribitur. *ceram — figuram.* talia imperiti grammatici *ἓν διὰ δυοῖν* dicunt; perperam, consilio enim hæc per partes expressisse auctor putandus est. *virtus* scilicet illorum, qui imagines intuentur. *eorum* ad majores pertinet, quod obscurius dictum. quare in nonnullis libris *majorem* scriptum. sed hoc glossatoris inventum. haud absimile quod supra legitur Catil. 18. *conjuravere pauci, de qua.* scilicet ex *cera* et *figura* majores intelligendi sunt. *his moribus.* pron. *his* magna cum vi positum. i. e. quales nunc sunt. Cic. Epp. Att. 10. 11. *quid enim dicam hac juventute?* id. Epp. Div. 2. 5. et quæ ibi Cort. laudavit loca. *soliti erant.* verbum substant. om. Flor. 8. quod nescio an sit elegantius. *furtim et per latrocinia.* i. e. dolo malo, fraude et insidiis. sed latrocinia *apertam* vim significant; id quod docet locus Cic. pro Rosc. Am. cap. 22. a Cortio laudatus: *confitere, huc ea spe venisse, quod putares hic latrocinium, non judicium futurum.* cfr. Cic. Cat. 2. 1. *cum illum ex occultis insidiis in apertum latrocinium conjecimus. — quam bonis artibus.* hæc Cortius in dubium vocavit, magis corrigendi quam veritatis studio permotus. cfr. Cat. c. 11. *et magnifica. atque* Vat. 4. Med. 5. sed ideo et quod Bas. 1. copulam omisit, eam delendam esse vix putaverim. *qui sustinent ea.* Med. 1. pronom. om. Med. 3. 4. Vat. 2. quod probo, quia pronomen facile intelligi potest. cfr. Cat. 8. *sustinere* etiam ap. Cic. dicitur: *fungi ac sustinere aliquid muneris in republica. habentur* i. e. sunt. vide ad Cat. 1. *altius* i. e. quasi in mare altum. cfr. Liv. 31. initio. *redeo,* cum in antecedentibus nondum de belli Jugurthini historia egisset, hoc loco particulam *re* abundare statuit Cortius. hoc fieri posse et Don. (ad Andr. 3. 2. 28.) docuit et exempla a Cortio laudata comprobant. cfr. Cic. Epp. Att. 1. 14.

et 15. pro Rosc. Com. 6. Sed hic nihil hac explicatione opus est. nam quæ antea locutus erat de historiæ scribendæ proposito, haud aliena judicavit Salustius; sed quæ de ambitione civium dixerat, longius a proposito recesserant. Quare iis omissis recte dicere poterat, se ad propositum esse rediturum. — Ceterum Catilinæ et Jugurthæ præfationes V. D. comparavit, et quibus in rebus similes sint, edocuit. cfr. Vincentii Contareni Lib. Var. Lect. Traject. ad Rhen. 1754. cap. 20. pag. 109.

Cap. V. *atrox* proprie crudus, recte enim Græcæ originis esse putatur. ἄτρωξ. figurate: saevus, crudelis. *obviam ire* i. e. resistere, apud Tacitum innumeris locis, etiam apud nostrum haud infrequens. *divina atque humana.* cfr. Cat. cap. 11. 12, *divina cum humanis permiscet.* Auct. Ep. de R. Ord. 2. 8. infra 31. *divina et humana omnia hostibus tradita sunt*, et eodem capite: *divina et hum. omnia penes paucos erant.* quare etiam hoc loco *cuncta* retinendum, quod Grutero suspectum visum; explet enim non tam sententiam quam numerum. *studia* intelliguntur voluntates non eadem de republica sentientium, partium studium, unde factiones oriri solent. cfr. Cic. pro Marcello 10. *non enim consiliis solis et studiis, sed armis etiam et castris dissidebamus.* — *supra* cfr. Cat. 5. Tac. Ann. 16. 18. *de C. Petrejo pauca supra repetenda sunt.* in hac verborum structura *supra* non adverbium, sed Græcorum more nomen est. id quod luculentissime patet ex Jug. 24. *intelligo illum supra quam ego sum petere.* cfr. etiam Tac. Ann. 6. 39. *quod par negotiis, neque supra erat.* — *in aperto.* vide ad Cat. 42. Tac. Agric. 1. Liv. 3. 8. *in facili* 3. 10. *in integro*, *in obscuro* idem præfat. *post magnitudinem.* dictionem vulgatam dicit Cort. sed multo usitatius erat dicere: *ex quo Romani magni facti*; sed moris, qui postea invaluit, plures sensus substantivorum auxilio comprehendendi, apud Salustium prima inveniuntur vestigia. quod quidem a Ciceroniano dicendi genere alienissimum, sed Tacito usitatissimum est. Ecce unum exemplum e multis. Ann. 16. 1. *Illusit dehinc Neroni fortuna per vanitatem ipsius et promissa Cesellii Bassi. Masinissa.* cfr. Liv. 29. 29, Justin. 38. 6. Cicer. Somn. Scip. 1. *in amicitia receptus.* quam lectionem meliores libri confirmant, ea quoque tuentur, quæ supra de permutatione accusativi et ablativi dicta sunt. *rei militaris facinora.* cfr. Cat. 53. supra cap. 2. *ingenii facinora.* Cic. pro Muræna cap. 10. *rei militaris virtus praestat ceteris omnibus.* — *Syphace.* cfr. Liv. 24. 48; 30. 12. Appian. de Reb. Pun.

8. 10. sq. *magnum atque late.* i. e. magnum fuit atque late patuit. quare incertum, num hoc loco adjectivum pro adverbio positum dicas, an potius *magnum* per appositionem additum putes. alterum sæpius fieri, non est, quod doceam. cfr. Ramshorn Gr. L. §. 151. et 203. II. c. et Ruddim. Inst. L. L. 2. pag. 158. sed illud magis poeticum et simillimum hoc apud Tacit. Ann. 7. 37. *nunciavere accolae, Euphraten nulla imbrium vi, sponte et immensum attolli.* — *valuit.* i. e. opibus floruit, alias additur ablativus v. c. *bello*, *copiis*; falsus igitur Cortius est, qui *valuit* pro fuit positum esse putavit. Sed Masinissæ et Syphacis regna in ea parte Africæ sita, quæ postea *Numidia nova* et *Mauritania Caesariensis* appellata est. incolæ Massyli et Massæsyli dicti. cfr. Plin. 5. 2. et 10. 8. urbes opulentissimæ Hippo Regius, Cirta, Zama et Siga fuere. *bona atque honesta.* sæpius hæc componere amat Sal. vide infra cap. 85. fin. *boni honestique vitam exigerent.* 8. *divitiae bono honestoque potiores.* 29. *a bono honestoque in pravum abstractus.* sed hoc loco non eadem horum verborum significatio. *bonus* enim est utilis, ut Tac. Ann. 2. 14. *Campi militi Romano ad proelium boni.* *honestum* dicitur h. l. quod honori est, non cui honos tribuitur. scilicet laudi fuit Romanis amicitia, quia Masinissam colebant, neque sui ipsorum commodi gratia hoc amicitiæ fœdus junxisse videbantur. *nobis* om. Vat. 6. perperam. *sed imperii.* libri aliquot *et*, unus particulam om. cujus auctoritatem secutus est Cort. quod audacius quam verius; *sed* enim ex more Salustii positum. cfr. Cat. 55. *sed incultu, tenebris* etc. totum hunc locum Cortius male interpretatus est. scilicet id auctorem significare putavit, imperium in donatas urbes atque agros non translatum esse ad filios, sed cum vita Masinissæ desiisse. Cirtam enim et reliquam Syphacis Numidiam in provinciæ formam fuisse redactam. Contra Livius (Ep. L.): «inter tres liberos ejus, maximum natu Micipsam, Gulussam, Mastanabalem, qui etiam Græcis literis eruditus erat, P. Scipio Aemilianus (quum commune eis pater regnum reliquisset et dividere eos arbitro Scipione jussisset) partes administrandi regni divisit.» cfr. Appian. de Reb. Pun. 8. 106. ubi accuratius dictum est, quomodo divitias et regnum Masinissæ Scipio diviserit. Postea autem hoc a Romanis factum esse, quis est, qui putet, cum ipse Salustius contrarium dicat. cfr. infra c. 18. et 21. ubi Romana provincia ad solos Carthaginiensium fines pertinuisse et Cirta Numidarum oppidum dicitur. Ea igitur interpretatio

retinenda, quam Cort. absurdam dixit. scilicet usque ad mortem imperium retinuit, seu simul cum vita imperium amisit. id quod a brevitatis quidem studio abhorret, cui unice auctorem deditum esse statuit Cortius, sed rerum scriptore non indignum est. de locutione cfr. Ovid. Fast, 2. 683. *Romanae spatium est urbis et orbis idem.* Seneca de Clem. 1. 4. *idemque huic urbi dominandi finis erit, qui parendi fuerit.* — *Dein Micipsa.* non statim post Masinissæ mortem. cfr. Livii locum supra laudatum et Appianum. *ex sese genuit.* ne quis in animum inducat, pronomen additum esse, ut opponeretur Jugurthæ adoptato; hæc enim solemnis est formula. vide infra cap. 85. med. Liv. 24. 18. *ex sese parere* Cic. Epp. 4. 5. *cultu habuit.* cfr. Liv. 1, 33. *humili cultu educare aliquem.* similia sunt: *laute, bene, male aliquem habere.* Cic. Verr. 7. 27. *ut is victu ceterisque rebus, quam liberalissime comodissimeque habeatur.*

Cap. VI. *ingenio validus.* cfr. Cat. 7. *ingenium sapientia validum. luxu.* tertius casus haud dubie. cfr. Planc. apud Cic. Epp. Div. 24. *subito impetu — resistat.* id. 13. 71. *hanc sibi commendationem magno usu et adjumento fuisse.* Cæs. Bell. Gall. 6. 42. *ne minimo quidem casu locum relinqui debere.* Virg. Georg. 4. 198. *quod nec concubitu indulgeat.* hancque formam solam rectam esse putavit Julius Cæsar in libris Analogicis; omnia enim istiusmodi sine litera i scribenda esse censuit. cfr. Aul. Gell. 4. 16. Schneid. de Form. L. L. pag. 333. judicat, nonnullas voces, scilicet *usu* et *luxu*, hanc formam etiam in sermone vulgari retinuisse; sed antiquissimo cuique scriptori usitatissima fuit. *corrumpendum* addidit auctor, ut quæ luxum et inertiam sequerentur, significaret; similiter Cicero Tusc. 4. 38. *demus hos philosophiae excolendos.* — *tempora.* hoc plurali numero expressum, quod consuetudinem et usum vitæ describit. cfr. Cic. Epp. Div. 7. 1. *matutina tempora lectiunculis consumere.* De Legg. 1. 3. *Subsecivа quaedam tempora incurrunt, quae ego perire non patior. et minimum. et* om. Neap. 1. Vat. 3. probo. *ipse* delet. Min. 1. perperam. *exacta sua aetate, parvis liberis.* ita Eich. Med. 2. ubi *ac* m. sec. superscripsit. inde recte colligas copulam ab ipso Salustio omissam fuisse. *eo negotio.* unus Guelf. 4. pronom. delet, sed et Cortius delendum judicat; comparat. cap. 56. *ratus id quod negotium poscebat.* 29. *participem negotii Scaurum acceperat.* cetera enim quæ laudat nihili sunt; cum altero loco 84.

et supra 5. *hominis* et *regi* loco pronominis posita sint; quare hoc omissum esse neminem mirum habet. sed si hoc loco pron. *eo* eum offendit, cur sequenti cap. *eo modo* intactum reliquit? id enim multo rectius vituperaveris. quamobrem ne hoc quidem loco unius libri varietatem ad ceterorum auctoritatem infirmandam valere posse censeo. *terrebat eum.* Pronomen etiam hoc loco contra omnium librorum auctoritatem a Cortio deletum est. *suae liberorumque. que* om. Med. 8. 11. *suae atque* Med. 7. Asyndeton, quod etiam Bas. 1. confirmat, durius videtur. sed cum plura huic capiti insint, a vulgari dicendi ratione aliena, nescio an hoc etiam ferendum sit. *mediocris*, vide infra c. 8. proprie dicitur id mediocre, quod modum non excedit; hoc loco pro *medio* et *modesto* dictum, quod apud alium scriptorem non memini me legisse. *transvorsos.* iterum legitur infra cap. 14. præiverat Cato apud Gell. 7. 3. *Secundae res laetitia transvorsum tradere solent, a recte consulendo et intelligendo.* Cortius ad cap. 49. multus est in propria hujus vocis significatione illustranda, quæ jam vel pueris nota. similia sunt: *aberrare*, *errare*, *deflectere via* etc. etc. *dolis interfecisset. dolis* in duobus libris omissum; quod Cort. more suo cupide arripuit. scilicet dolis istis etiam Numidas falli potuisse statuit, ita ut Micipsa sceleris suspicionem non incurrerit. quasi non ea sit istorum regnorum ratio, ut in tot scelerum colluvione nihil non suspicentur homines. cetera, quæ dicit, inepta. *dolis* recte dici sequentia docent: *neque per vim, neque insidiis.*

Cap. VII. *statuit objectare.* pron. omisso, quod Cortii imitatoribus offero, ut habeant, in quo emendandi studium expleant. *bello Numantino.* cfr. Liv. Epit. 57. Flor. 2. 17. Vellej. 2. 4. hoc bellum inde ab anno 140 — 133. gestum est. *facile occasurum.* Neap. 2. (*eum* m. sec. addidit.) Med. 1. 2. 11. Ven. 1. 2. Barb. 5. Vat. 1. *occas. eum.* Med. 5. Min. 2. Vat. 6. tot librorum consensui cedo, maxime cum etiam apud alios scriptores pronomen omittatur, ubi ex infinitivo genus et numerus omissi substantivi intelligi potest. *P. vel Publii.* omnes fere libri Italici habent. *Romanis.* vera lectio; dativus pro genitivo apud historicos frequens. maxime cum verbum dativum regit. cfr. Ruddim. Inst. L. L. II. p. 239. n. 1. *obviam eundo.* i. e. subeundo, suscipiundo, adeundo pericula. *difficillimum inprimis. inprimis* alias positivo potissimum additur. cfr. Nep. Att. 13. *cum inprimis lautus esset eques Romanus.* Cic. N. D. 1.

43. *vir magnus inprimis.* sed etiam ap. Ciceron. Verr. 2, 27 cum superlativo: *homo inprimis improbissimus.* — *bonus consilio.* cfr. Tac. Ann. 1. 3. *Agrippa bonus consilio.* — *ex providentia.* si Salustio id, quod nonnulli statuunt, brevitatis studium fuisset, et hæc verba et quæ sequuntur *ex audacia* omisisset. *quippe cujus.* pronom. om. Med. 10. quod est durissimum; sed hanc quoque lectionem erant, qui defenderent. *frustra.* ita adverbium cum verbo substantivo apud Plautum et Terentium sæpissime jungitur. *munificentia animi.* hæc addere Salustio solemne. cfr. Cat. 2. et 58.

Cap. VIII. *factiosi domi, potentes apud socios, clari magis quam honesti.* ita hæc interpungenda; quod in contextu incuria librarii non correctum est. *imperii.* miror a nullo adhuc interprete impugnatum fuisse, cum commodissime omitti potuisse videatur. *pro concione.* hæc solemnis formula. sed infra cap. 54. etiam *in concione* dictum. ceterum in rem est conferre Liv. 30. 15. *largiri* i. e. auro corrumpere. cfr. Cat. 39. et infra 13. *in suis artibus permanere* dictum ut in fide, officio, sententia, voluntate, pristina mente, societate; cfr. etiam Cic. Epp. Att. 7. 15. *plerique negant Caesarem in conditione mansurum*, et Offic. 1. 31. *in proposito susceptoque consilio permanere idem dixit.* — *venturum.* Plaut. Capt. 3. 4. 18; *isti morbus interdum venit.* Cic. Verr. 2. 14. *huic hereditas venit testamento.* cfr. Liv. 44. 17. *properantius pergeret* i. e. si consilia nimis maturaret; sed hoc ita expressum, ut sequentibus responderet. *suamet ipsum pecunia.* ita recte Cort. ex Codd. *praecipitem casurum.* cfr. Cat. c. 25. et 31.

Cap. IX. *cum litteris eum.* pron. om. Ven. 3. ceteri Italici libri omnes retinent. poterat quidem omitti, quod *ipsum* modo præcesserat. et cum Ven. 3. ex melioribus libris sit, ejus auctoritatem sequor. *merita sua.* hoc quoque loco Cortius pronomen ejecit, et hunc usum loquendi exemplis confirmat. sed quam perversum sit studium pessimi cujusque libri fide auctores corrigendi, jam sæpius est monitum. quod si enim omnia ejicienda sunt, quæ uno alterove loco auctor consilio omisit et quæ salvo sensu omitti posse videntur, multa editorum inventa pro auctorum verbis erunt recipienda. *ubi ea.* pron. omnes libri Italici confirmant; nisi quod Ven. 1. *rex Micipsa ubi quae fama.* — *virtute viri, tum gratia.* ita Cort. ex solo Fabric. 2. edidit: „quod esse ex numeris Salustianis, quilibet paulo humanior per se ipse sentiet." omnes Italici libri repu-

gnant; quare me inter inhumanos adscribi facile patior. *flexit animum suum*. cur hoc loco Cort. *suum* non delevit? abundat enim ut supra; sed nullius libri, credo, incuria incepto favit. de locutione vide infra c. 64. et Senec. Phoeniss. v. 77. *sed flecte mentem.* — *vincere* i. e. ferocem animum et perversa molientem mollire atque mitigare, similia sunt poetica; Virg. Georg. 1. 559. *viscera — vincere flamma.* Aen. 9. 92. *ne naves turbine vincantur.* — *eum adoptavit. eum* omnes libri Italici præter Barb. 5. qui: *in regnum ad.* et Vat. 3. qui: *adopt. eum.* quare pron. retinendum esse censeo, maxime cum orationis membra satis disjuncta sint, ita ut hoc post *Jugurtham* positum facile patiaris. *itemque. que* om. Med. 1. Vat. 6. probo. *verba habere* i. e. orationem habere, quod legitur infra c. 31. ib. 47. *sermones habere.* sed *verba habere* etiam Cicero dixit Somn. Scip. 1. *multis verbis ultro citroque habitis.* sed maxime insolitum est: *verba habere cum aliquo.* simile. Terentianum Hecyr. 3. 3. 21. *hanc habere orationem mecum principio institit*; et quod vulgo dicitur: *sermones cum aliquo conferre.*

Cap. X. *parvum ego.* pron. delet. Vat. 3. quod absurdum. *te Jugurtha.* Vat. 2. optimus. *in regnum meum* idem. quæ verborum transpositiones leviores sunt, quam ut certi aliquid de iis statui possit. *in meum regnum accepi.* hoc consilio dolose dictum. Jugurthae enim persuadere studet Micipsa, se eum jam puerum eo consilio liberaliore cultu habuisse, ut regni participem eum faceret; quod contra se habuit. *in regnum accipere* dictum ut *in societatem accipere.* Liv. 7. 9. *in amicitiam.* id. 7. 20. *in civitatem.* id. 4. 3. *si genuissem.* inde recte colligitur, Jugurtham jam, antequam Micipsæ filii nati fuerint, ab eo domum receptum fuisse. *me falsum habuit.* Med. 4. Vat. 4. *falsum habuit me.* Med. 8. Vat. 1. qua varietate aliquis confirmari dicat Cortii emendationem, pronomen ejicientis. *falsum habere* i. e. fallere. ita *compertum, cognitum habere* apud alios scriptores dicitur. Cic. Verr. 5. 14. *ut decumas ad aquam deportatas haberent.* vide multa alia exempla apud Forcell. s. v. *habere.* — *egregia tua*, scilicet facinora. cfr. Liv. 30. c. 30. *tibi quoque inter multa egregia non in ultimis laudum hoc fuerit.* Hoc tamen insolens, quod apud nostrum pron. possessivum cum adjectivo junctum est. *rediens.* ἀνελθὼν positum pro *cum rediisses.* quod etiam apud Tacitum occurrit. — *gloria honorare.* usitatius erat *ornasti.* cfr. Cat. 35. *honore honestatos.* id. cap. 12. *gloria decorabant.* — *familiae nostrae.* Vat. 2.

3. 4. 5. *nostrae fam.* Vat. 1. *inter mortalis est.* Vat. a. Eich. *natura mihi.* Eich. *vitae finem facit.* Vat. a. 3. Ven. 1. Med. 5. *vitae.* om. Med. 8. *obtestorque te.* Vat. a. cujus auctoritati Bas. 1. accedit; sed propter sequens *tibi* rectius omittitur. quare recte ex his aliisque colligas, ne optimos quidem libros illis mendis vacare, quæ in deterioribus libris plurima inveniuntur. *adjungas.* pronomen omissum. cfr. Terent. Adelph. 1. 1. 47. *ille quem beneficio adjungas, ex animo faciet — armis cogere.* cfr. Cic. de Legg. 2. 7. *hoc quoque legis putavit esse, persuadere aliquid, non omnia vi ac minis cogere. tuis hostis.* cfr. Liv. 26. 25. *prior es. es* om. Vat. 3. quod haud contemnendum. *opulentior est.* verb. om. Vat. 5. quod miror Cortium non delevisse. *et observate.* Eich. sæpius hæc verba Ciceronem conjungere Cortius docuit. vide loca ab eo laudata. Epp. ad Div. 6. 10; 13. 22, 34, et 78. 5. 8. ad Att. 2. 19. pro Mur. 3. 5. „observantia est, teste Cic. de Jnv. 2. 22. per quam ætate, aut sapientia, aut honore, aut aliqua dignitate antecedentes veremur et colimus." *talis* i. e. tantus, quod satis notum; insolitum tantummodo hoc, quod *talis* et *is* juncta sunt. *virtutem* scil. ejus. talia loca notanda ne in similibus offendas. *enitimini.* cfr. Cat. 1. *sumere* i. e. *adoptare.* id quod rarius occurrit. usitatius *adsumere* aut *eligere. liberos* antiquos scriptores etiam unum filium filiamve nominasse Gellius docet (N. A. 2. 13.). sed tali explicatione ne opus quidem est, cum jam propter oppositum pluralis poni posset.

Cap. XI. *ficta.* ea scilicet, quibus se benevolentem Jugurthæ simulaverat. *pro tempore* om. Vat. 4. i. e. ut temporis ratio ferebat. *paucis post.* præpos. solus Med. 1. omisit, in Ven. 3. locum mutat. ceteri retinent. posse omitti non est dubium; vide loca a Cortio laudata infra cap. 13. 64. 35. Cic. Epp. Div. 2. 7. sed non omnium locorum eadem est ratio, quare cum hoc loco paucissimi libri præpositionem deleant, eam retinendam esse judico. *in unum veniunt.* Med. 11. *convenere.* Med. 7. Vat. 6. Flor. 1. quæ forma historicis usitatior est. *disceptarent negotiis.* Ven. 3. *minimus* scil. natu, quod rarius omittitur cfr. Liv. 1. 53. Just. 42. fin. *obsidem Caesari minimum filium Phrahatis ferens.* Senec. Hippol. vs. 201 *regnumque tantum minimus e superis habet.— quia materno — erat.* hæc Cortius uncinis inclusit, quippe quæ ex capite 108. repetita esse judicavit. sed omnes libri repugnant, neque Salustio dedecori sunt; hæc enim adjecisse videtur, ut, qua ratione in-

ductus Hiempsal Jugurtham ignobilem judicaverit, doceret. *impar.* cfr. Tac. Histor. 2. 60. *pater consularis, avus praetorius, maternum genus impar.* Liv. 6. 34. *quod juncta impari esset.* — *assedit* cum accusativo rarius jungitur. cfr. Liv. 26. 22. Sil. Italic. 9. 623. Aurel. Vict. de Cæs. 10, iterum apud Sal. in fragmentis occurrit Priscian. 8. 419. Edit. Krehl. *apud Numidas honori.* etiam apud alias gentes et haud dubie apud ipsos Romanos. quod ut significaretur, interpretes *et* addi jusserunt, sed recte Cortius hoc superfluum esse judicavit. *Dehinc tandem ut.* Vat. 6. *dein ut.* Vat. 3. *deinde ut* Med. 4. sed bene se habet *tamen*, in quo offendisse videntur librarii, quia sub finem orationis *vix* additum est. sed hoc ipsum quam maxime Salustianum, particulis additis duos sensus in unum contrahere. scilicet *tamen* prioribus oppositum; *vix* ad *fatigatus* pertinet. *fatigatus*, sæpius et instanter rogatus. vide infra c. 66. Justin. 6. 2. apud Liv. 9, 20; 41, 7; 41, 18. vulgo *precibus, interrogationibus, petendo* adduntur. contra Tac. Hist. 1. 29. *fatigare deos* et 3. 32. *lacrimis fatigant.* — *transductus.* libri meliores. „idem sonantius et veteribus usitatum dicit Donat. ad Terent. Phorm. init. cfr. Cassiod. pag. 2294. et Velius Longus p. 2227. ex quo discas *transductus, transmisit, transjicit* scriptum, sed *traductus* et sic deinceps enunciatum esse." Cort. *transductus est* in alteram partem, i. e. se transduci passus est vix permotus est, ut alteram partem occuparet. *jacit.* hujus vocis fidem et libri meliores et Cortius multis exemplis confirmavit. cfr. Cicer. pro Rosc. Com. 9. Tac. Ann. 1. 10. Liv. 34. 5. Seneca Hippolyt. 639. sic *jactare, conjicere, injicere* passim apud scriptores. significat fere: *obiter aliquid commemorare, leviter tangere, non consilio atque de industria rem aliquam tractare.* sed aliis locis pro *proferre, inferre, enuntiare, spargere* dicitur. *consulta et decreta omnia. omnia* om. Vat. 6. sed verborum positum omnes libri confirmant quem Cortius unius libri testimonio permotus corrupit. *consulta et decreta* qua re differant, haud facile explicueris. quod enim discrimen a nonnullis statuitur, illa de plurimorum consensu, hæc unius consilio proponi, id falsum est. rectius dicas, rem eandem modo consultum modo decretum dici; hoc enim id quod jubetur significat, illud ad rationem ineundi consilii pertinet. *parum animo valuisse.* vide infra cap. 66. Cat. 6. *illum tribus proximis.* Med. 7. 8. 11. 4. 2. m. pr. Min. 1. Eich. Vat. 1. 4. 6. Barb. 2. Ven. 1. miror in hoc loco Cortii fidentiam, qui cum pronomen *his*

in multis libris aut omissum sit, aut locum mutet, tamen hoc retinere non dubitavit, *annis* contra, omnium fere librorum consensu firmatum, ejecit, sed hoc utique retinendum, illud propter librorum discrepantiam incertum videtur. Nihil autem mutandum; vix enim probabilem causam invenias, cur *his* a librariis adjectum sit, cum *proximis* idem significet, sed ab auctore addi potuit, ut commotiorem Hiempsalis animum et intentiorem vocem exprimeret. apposite laudat. Cort. Cic. Læl. 2. *eoque magis, quod his proximis Nonis — tu non adfuisti.* solum *his* legitur Cic. Epp. 7. 9. Q. Cic. de Petit. Cons. 5. infra Jug. 31. *in regnum pervenisse* i. e. regni participem factum esse. sæpius dicitur: *res venit ad me.* sed cfr. supra c. 4. *in senatum pervenire.* Nep. Cimon. 2. *ad principatum — ratus erat.* verbum subst. om. Vat. 6. *esse ratus.* Vat. 4. recte igitur verbum delevisse videtur Cortius. *adoptatione.* cujus vocis auctoritas nonnullis dubia visa est. sed et librorum fide defenditur, et Gellius N. A. 5. 19. aliquoties habet. maxime jurisconsultis usitatum fuisse videtur. *descendit.* Liv. 3. 25. *curam in animos patrum descensuram.* 1. 19. *metus deorum ad animos descendit.* — *in animo habere.* Ven. 4. Vat. 4. 5. præpos. om. Vat. 6. accedunt plures Cortii libri. *animo habere* satis usitatum. cfr. Liv. 44. 25. Auct. B. Hisp. 26. sed Liv. 33. 10. *in animum habuit.* et *cum animo habere* insolentius dictum videtur, quam quod librarii inventum habeas. cfr. Catil. 32. *secum ipse volvens.* et infra 93. 13. *cum animo reputans.* et 70. 85. Terent. Adelph. 3. 4. 55. *cum animo cogitare.* Heaut. 2. 4. 5. *mecum in animo considero.* Plaut. Mostell. 3. 2. 13. *ego cogito cum animo.* Mil. 4. 3. 54. *cum egomet mecum cogito.* pro Mur. 25 *vobiscum recordamini.* Offic. 1. 32. *secum dubitare.* Terent. Eun. 2. 31. *mecum stomachabar*, ubi Don. „bene *mecum* quia acriorem dolorem sustinet, qui ipse sibi irasci cogitur." — *statuit* om. Eich. quod absurdum.

Cap. XII. *conventu — factum.* cfr. Cat. 30. *regulis. regibus* Eich. sed illud verius; regulos enim illos dixit Sallustius propter juventutem. cfr. Liv. 29. 30; 45. 14. *concessere* i. e. se contulere, quod frequentissimum apud Comicos, neque ipsi Ciceroni insolitum. *lictor.* nomina magistratuum Romanorum alienis gentibus tribuere scriptoribus solemne. vide de prætoribus, dictatoribus, ædilibus Forcell. s. his vocc. satellites intelligit, cum quibus familiaritatem quandam contrahere regium est. Nam etiam Romanis magistratibus hoc in usu fuisse vix putaverim.

ei, quod pessimus Cortii liber omisit, verissimum. hoc enim omisso, durissima fit structura. *inpellitque*, etiam hanc vocem omnibus libris invitis Cort. delevit. sed quod multi ei laudi tribuunt, mihi maxime temerarium esse videtur. *adulterinas:* eodem sensu apud Ciceronem de Off. 3. 23. *nummi adulterini* dicuntur. *conficit* Eich. *quum — interim.* rarius hæc conjuncta inveneris, multo usitatius *cum subito*, *cum repente*. — *mulieris ancillae*. de hac lectione cfr. Quinctil. Inst. Rhet. 9. 4. et Serv. ad Aen. 1. 409. similia exempla Cort. laudavit. Quint. 9. 3. *hostis homo*. Corn. Nep. Miltiad. 2. *ventus aquilo*, supra Catil. 38. *homines adolescentes*. Gell. 8. 11. *homines Afri*. Terent. Andr. 4. 4. 16. *mulier meretrix*. adde Terent. Phorm. 2. 1. 62. *servum hominem*.

Cap. XIII. *invasit*. Ven. 3. *in duas discedunt partis Numidae*. Vat. 5. simili lectionis varietate inductus Cortius *Numidae* expunxit, quod omittere quidem licuit, si id scriptori fuisset propositum, ut paucissimis omnia absolveret. sed *Numidae* hoc loco additum, ut vis sententiæ augeretur. *bello meliores*. vide supra cap. 7. *bonus consilio*. et 17. *bonus pecori*. Liv. 3. 2. *incursionibus meliores* 25. 18. *uter bello melior sit*. 38. 16. *longe optimi bello*. Tac. Ann. 1. 16. *bonus militia*. unde recte colligas sextum casum *bello esse*. Horat. Epp. 1. 10. 34. *pugna melior*. etiam Græcum hæc firmare videtur: ἀγαθὸς τὰ πολέμια. ubi tertius casus adjunctus est, significatio variat. *partim*, *alius*. in oppositis variare orationem Salustio solemne. *voluntate* i. e. sponte. cfr. Ter. Adelph. 3. 5. 44. *fidem vestram implorat*, *quod vos jus cogit*, *id voluntate ut impetret*. Liv. 21, 57; « eam quoque gentem, sicut Gallos Liguresque *aut vi aut voluntate* adjuncturus." id. Epit. 48. « totam Macedoniam *aut voluntate* incolentium, *aut armis* occupavit." vide infra: *finitimos armis aut metu sub imperium suum cogere*, et 89. *partim vi, alia metu aut praemia ostentando* avortere ab hostibus.» etiam apud alios scriptores hæc constructio satis frequens, sed ita ut verbum et ablativus ad eandem personam referantur. *ac dein Romam*. Vat. 5. *patratis consiliis*. cfr. Catil. 18. 53. 56. apud Ciceron. Epp. Att. 1. 14. *patrare promissa*. Tac. Hist. 4. 83. *jussa*; *sementim patrare*. Cato R. R. 54. *postquam — potiebatur*. haec verba omnes Codd. retinent, nisi quod Ven. 3. *in otio potiebatur*. hæc defendere conatus est V. D. in Miscell. Obss. Crit. in Auct. Vet. et Recent. Amstel. Vol. VI. T. 2. 2. p. 318. 319. et *consilia patrata* proprie pertinere ad ea dixit, quæ a Jugurtha ante peragenda fuerunt, quam potiri Numidia posset. sed quamvis ille

multis locis Cortii temeritatem recte impugnavit, tamen hanc explicationem mihi non satis concinnam videri fateor. sed imperfectum, in quo fuerunt, qui offenderent, bene Latine dicitur. cfr. Liv. 32. 23. *postquam uno animo omnes et Macedones tanquam communem patriam tuebantur*. id. 38. 48. *posteaquam Gallos indomitos atque implacabiles cernebam*. cetera vide, ne per exegesin dicta videantur, ita tamen ut non plane idem significent, quod antecedens ablat. absol. *patratis consiliis*. scilicet ad cladem Adherbali illatam ejusque fugam hæc referri poterant; quod ne quis putet, Jugurthæ consilium fuisse, hoc addit, *postquam — potiebatur*. et tale quid ab auctore fuisse præmissum, ex sequentibus *in otio* recte colligas. hæc enim a scriptore dicta fuisse, nisi pauca præmisisset, vix adduci possum, ut putem. *usquam* i. e. ullam, seu in ulla re. cfr. Terent. Andr. 2. 5. 9. *neque istic, neque alibi tibi usquam erit in me mora*. Cic. de Offic. 2. 1. *cum dominatu unius omnia tenerentur, neque esset usquam consilio aut auctoritati locus*. — *multos Romam mittit, quis*. Vat. 6. *quis* confirmat etiam Med. 5. *praecipit*, idem. sed id quæritur, num Vat. sexti, libri satis boni, et Struviani, ubi primitus *legatos* non fuit, auctoritas tam magna sit, ut hanc vocem deleas. Jam Struviani quidem libri, quem Cortius laudat, fides est levissima et Vaticani testimonium hanc ob rem levius est, quod *multos* pro *multo* legit. accedit, quod accusativus omissus h. l. durior esse videtur; et ut dicam quod sentio, ipsa rei gravitas postulat, ut *legati* adjiciatur. Nam Jugurtha non homines obscuro loco natos, sed haud dubie gravissimos viros Romam misit. quo enim nititur testimonio Cortius, id ipsum infirmum esse, supra docuimus. sed infra certe cap. 93. accusativus omissus est. [neque quæ superiori loco obstabant, etiam hic impedimento sunt. quare hanc rem in medio relinquam. *primum uti*. hunc verborum positum etiam meliores libri ex Italicis confirmant. *ne cunctentur*. notanda brevitas orationis, quam sola apta verborum compositione auctor effecit. *parare* enim et cum *possint* et cum *cunctentur* jungendum. sed in sequentibus vide Cortii levitatem, qui et voces *in senatu* et *munera*, quod alterum in pessimo libro omissum est, priora non placebant, exulare jussit; quæ quidem conjecturæ non refellendæ, vix enim docto viro hæc persuaserit, sed notandæ, ut intelligas quantum tali critico tribuendum sit. *incessit*. vide supra Cat. 8. 12. *lubido*,

gloriae, cupido, lascivia et superbia incessit. — *legati ubi.* Flor. qui verborum ordo a Salustii loquendi usu non abhorret.

Cap. XIV. *praecepit mihi.* hæc sola varietas in libris Italicis conspicitur. ceteri et eundem verborum ordinem et pronomen confirmant. sed pronomen, quod Cortius delevit, vel ideo retinendum, quod *sibi*, non *aliis* hoc præceptum fuisse Micipsa dicit. *regnum — procurationem.* Vat. 2. *regnum.* etiam Min 2. qui soli Cortii conjecturam confirmant. sed *regnum procuratione meum*, ne Latinum quidem, nedum Salustianum esse videtur. nam plane diversa sunt, *usu, fructu meus*, quæ Cortius laudat. contra pronomen *ejus* post *imperium*, quod Vat. 5. om. et Barb. 6. tanquam spurium notavit, jam et ipse delendum esse censeo. *ceterum* enim, quod apud ceteros scriptores sæpius novam periodum incipit, apud Salustium orationis membra arctius conjungit, ita ut genit. *regni* etiam ad *jus* et *imperium* referri possit. *nos adfinium loco.* Vat. 2. *vos in.* om. Vat. 5. sed pronomen hic quoque retinendum, quia in repetitione quædam vis est. *in locum* rarius pro *in loco*, vel loco, quæ mera est interpretatio. cfr. Justin. 12. 12. *Jussus praeesse Macedonibus in Antipatri locum.* Cic. Verr. 7. 28. *in piratarum locum cives Romani hostilem in modum cruciati et necati sunt.* — *munimenta regni.* hæc non per appositionem ceteris addita, tanquam solæ divitiæ et exercitus regni munimenta sint, sed adjuncta sunt, ut numerus plenior fieret. cfr. Tac. Hist. 4. 52. *Non legiones, non classes perinde firma imperii munimenta, quam numerum liberorum.* — *me habere.* quod in duobus Cortii libris legitur, et gravitate Salustii et persona promittentis dignum ille judicavit. Jam hoc quidem non dubium est, infinitivum præsentis pro futuro poni, neque negaverim temporum mutatione id significari, rem esse certiorem; sed duorum librorum testimonium mihi non satis firmum videtur, ut alteram lectionem rejiciendam esse putem. pronomen *me* om. Ven. 1. *praecepta parentis mei.* hæc quoque Cortius subditicia judicavit, et *agitarem* modestius dictum pro: studere, ut agerem. quod si statuimus, fieri non potest, ut voces *praecepta parentis mei* omittantnr. nam pronomen *quae* nihil habet, quo referatur, neque putaveris a librario *parentis* pro *patris* positum fuisse. sed hoc notandum in longe plurimis Ital. libris *patris* inveniri. verborum quidem ordo insolitus; sed hæc verba mihi eodem fere modo, ut supra, addita videntur; ut scilicet explicarent, quod obscurius dictum esse vide-

batur. *sustinet.* hoc ex sermone vulgari petitum; cfr. Plaut. Pœn. prol. vs. 90. *homo, quantum hominum terra sustinet, sacerrimus.* — *atque amicum.* ita scribendum; apud Cortium *et* negligentia librariorum positum esse videtur. *populi Romani.* hanc lectionem longe plurimi libri tuentur, et genitivus dativo præferendus cum aliis de causis, tum propter sequentia *regno fortunisque.* — *expulit.* hoc apud Ciceronem cum *ejicere* junctum, pro Quint. 7. *quoniam* i. e. quandoquidem. *meorum*, quod in uno libro apud Cortium, nescio quo, omissum est, ille ex more delevit. sed parum curavit, hoc loco consilio additum esse, ut accuratius hominis vani ingenium exprimeret, majorum gloria superbientis. *me a vobis. me* om. Vat. a. et Vat. 4. accedunt nonnulli Cortii libri; in aliis *a vobis* omissum est. quam ob rem Cortius hæc omnia ejecit. *me* poterat omitti more Græcorum, quibus solemne, ubi et verbum finitum et accus. c. inf. ad eandem personam referantur, pronomina omittere; sed *a vobis* retinere necessarium. non enim hoc exoptat Adh. ut auxilium sibi petere liceat, hoc enim omnibus concessum, sed ut jure quodam a Romanis hoc petat. etiam *beneficia* citra omnem probabilitatem delevit Cort. Non solum enim librorum auctoritate confirmatur, sed etiam propter sequentia necessarium est. quomodo enim fieri potuit, ut in sequentibus *ea — desideranda — debitis* diceretur, nisi substantivum præcessisset, quo referrentur? *secundum.* cfr. Cic. in Vatin. 6. *secundum ea quaero.* Tac. Hist. 1. 52. *secundum avaritiam et arrogantiam, contumacia Gallorum irritati.* — *probitas est. est* om. Min. 2. probo et propter orationis numerum, et quia propter sequens *fuit* verbum h. l. commodissime omittitur. *misserrimum* i. e. molestissimum. Cic. de Fin. 5. 28. *bonum liberi, misera orbitas, bonum patria, miserum exsilium.* id Cat. 4. 6. *mihi videntur haec misera.* — pronomen igitur, quod in omnibus est libris, tantum abest, ut omittendum sit, ut potius ideo retinendum sit, quod *miserum* multo sæpius sine casu ponitur, neque librario docta hæc emendatio tribui posse videtur. *est* propter sequens *esse* etiam hoc loco libenter deleverim, sed libri nihil adjuvant. sed *sunt*, quod Cort. fide Vin. 2. delevit, omitti non potest. *instituit.* cfr. Cat. 56. *petenda* i. e. appetenda. cfr. Cat. 21. 33. 54. *progeniem* i. e. sanguis, genus, filius, cfr. Cic. pro Cœlio 14. *me Nepotem Massinissae.* etiam hæc ab aliena manu adjecta esse judicavit Cortius. præiverant Gruterus, Bongarsius,

Putschius, neque si abessent, hæc desideraveris. sed possunt addita esse per epexegesin, ut id in memoriam revocaret, quod maximo præsidio sibi fore putabat. id quod ab ingenio hominis ignavi atque imbellis non abhorret. vide supra cap. 13. Ipsum orationis numerum quod attinet, his additis haud dubie multo plenior atque concinnior est, quare hæc ferri posse censeo. *sed si ad impetrand.* Conjunctio a librariis addita, qui vim asyndeti non intellexerunt. *deformatus.* Liv. 38. 53. *legatio deformata filii casu.* Justin. 7. 3. *ne ubique deformis filii damnis haberetur.* Cic. pro Sulla 26. *quae ita a fortuna deformata sunt* etc. *aerumna.* Fest. „labores onerosi, molestia, miseria. Cic. Tusc. 4. 8. *aerumna, aegritudo laboriosa.* id de Fin. 2. fin. *Herculis aerumnas perpeti. sic enim majores nostri labores non fugiendos tristissimo tamen verbo aerumnas etiam in deo nominaverunt.* antiquis maxime scriptoribus hæc vox usitata. vide Lexica. *pati — crescere.* hoc loco Cortius audacissime egit, quippe qui illud ejecit, et hoc in *cresceret* mutavit, durissimamque verborum structuram effecit. Peculiari quidem excursu hanc conjecturam defendit, sed nemini, credo, eam persuasit. Jam hoc nonnullis suspicionem moverit, quod triplicem emendandi rationem proposuit; sed cum prioribus ipse non acquieverit, solam tertiam examinemus. Non insolitam Salustio esse hanc verborum structuram loca a Cortio laudata comprobant. cfr. Hist. Fragm. 1. Or. Lepidi. *nam quid a Pyrrho, Hannibale Philippoque et Antiocho defensum est aliud, quam libertas et suae cuique sedes; neu cui nisi legibus pareremus?* item Hist. 3. Orat. Licin. *et si pertinaciter retinebunt, non arma neque secessionem, tantum ne amplius sanguinem vestrum praebeatis censeo.* Jug. 29. *pauca locutus de invidia facti, atque uti in deditionem acciperetur.* Imo ipsi sæpius notavimus, Salustii studium quam plurimum in hac re versari, ut in oppositis orationis habitum immutaret. Sed his omnibus constans omnium librorum lectio non infirmatur. nam quod unus Cortii liber *pati* nonnisi in margine habet, hinc parum considerate colligas, ab ipso auctore hoc verbum fuisse omissum. neque mihi satisfaciunt, quælaudavit, ut usum rariorem particulæ *neque* explicaret, aliena enim confudit. Solus Livii locus quadrat 24, 3: *persuadent, ut traduci se in Locros paterentur, nec ultima experiri vellent.* Sed primum videndum, an lectio satis firma sit, tum talia loca quidem notanda, sed per conjecturam hæc scriptoribus obtrudere, mihi quidem

perversissimum esse videtur. *iis finibus.* Vat. a. *avus meus.* pron. Cortius suo more expulit. hæc refellere supervacaneum esse duco. sed tanta incuria eum occupavit, ut etiam paulo infra *mihi* deleret, quo omisso sententiæ elegantia perit, sed etiam in Vat. 2. 4. 5. locum mutat. etiam *vos* in Vat. 5. omissum. *Suphacem.* Vat. a. similiter Plautus *Suria* et *Durrachium* alii; quod haud dubie antiquius est. *evasere* i. e. exitum habere; recte laudant Terent. Andr. 1. 2. 1. *heri semper lenitas, verebar, quorsum evaderet.* cfr. Eun. 3. 3. 11. passim apud ceteros scriptores occurrit. *liberis tuis.* pron. om. Vat. a. consentiunt duo Cortiani. quare nescio, an rectius omittatur. ceterum *cum* om. Ven. 1. *que* Eich. unde aliquis novam quandam verborum structuram effecerit: *quem tu parem liberis regni participem fecisti.* i. e. æque ac liberos; cui conjecturæ ut major fides sit, Græca: ὁ αὐτὸς, ὅμοιος ἐκείνῳ ad partes vocari possunt. *exstinctor.* cfr. Just. 16. *Cassander exstinctor regiae domus.* — *nunquamne. ne* om. Vat. a. Haud dubie librarius *semperne* prioribus oppositum esse ratus hoc delevit. particula enim retinenda, ne sententiæ vis imminuatur. *versabitur.* multi Italici libri. Vat. 1. 3. 4. Med. 4. sed prima persona multo elegantior. *in sanguine, ferro, fuga, versari.* nihil in hac verborum structura insolitum, nisi quod *ferro* poetice pro *bello* dictum. cfr. Lucan. 7. 228. *atque omnis Latio quae servit purpura ferro.* dura verborum structura eo mollitur, quod *ferro* ceteris interpositum est. recte comparant Græcum: ἀεὶ δὲ βιώμεθα δι', αἵματος καὶ σιδήρου καὶ φυγῆς. *ab latere.* cfr. Liv. 39. 25. *Procul abesse libertatis auctores Romanos, lateri adhaerere gravem dominum* etc. — *iterat in armis.* Vat. 5. id quod Cortii conjecturam confirmat, qui et hoc loco verbum suspectum habuit. accedit quod orationis numerus multo concinnior fieri videtur. *vos jussissetis. vos.* om. Med. 11. sed unusquisque facile intelligit, cur ab auctore adjectum sit. *ecferens* i. e. exsultans. cfr. Liv. 30. 30. Cic. Tusc. 4. 17. *nec bonum illud esse, quod adeptus efferas te insolentius.* Ter. Heaut. 4. 3. 31. sed multo usitatius est participium perfecti passivi. *non quit.* Vat. a. quod et ipsum antiquius est. *extorrem patria, domo, inop.* etc. ita interpungendum. hujus structuræ concinnitas intelligentes non fugit. *efficere extorrem — coopertum.* circumscriptio poetica. haud absimilis locutio apud Ciceron. Epp. Div. 8. 5. sub fin. *neque adhuc frequentem senatum efficere potuit.* Cæs. B.

civil. *quae res in diem confirmatiorem effecit exercitum.* Ovid. Met. 2. 654. *efficere aliquem patientem mortis.— coopertus mis.* cfr. Cat. c. 23. *patrem meum.* hoc loco nemo in pronomine offendit, quod supra omnes damnarunt. etiam in verbis *meo regno* pron. intactum reliquerunt. *diligenter colerent.* adverb. cum Cortianis nonnullis omiserunt. Med. 7. 8. sed in hoc m. sec. superscripsit. in Commeliano *diligerent, colerent* scriptum est; id autem non comprobat, adverbium ex librarii glossa natum esse. quid enim erat, quod hæc locutio *amicitiam colere* explicaretur, quæ est omnium frequentissima? quare cum meliores libri nil varient, omnia sana esse judico. *tuti sumus in.* Vat. a. id quod est testimonio, vel hunc librum magna inconsiderantia a librariis esse exaratum. *ratus est.* Vat. a. Eich. *conjunctum nobis.* pron. om. Vat. 5. idem et paulo infra *ipse* delevit, sed etiam *suis* poterat omitti, quæ miror a Cortio intacta fuisse relicta. *aut quo* Vat. a. Eich. *naturae concessit.* cfr. Tac. Ann. 2. 71. *fato concedere.* item Plin. Paneg. 11. et Val. Flacc. 1. 554. *ceteros meos.* pronomen om. Vat. a. placet. *anima est.* idem lib. sed in Eich. verbum omissum, cui assentior. *cum moerore.* præpositio eleganter addita. recte laudat Cort. Plaut. Rud. Prolog. vs. 29. *quique aetatem agitis cum pietate et cum fide.— etiamsi omnia.* liber nescio quis. librarii est inventum, cui hæc non satis cum antecedentibus juncta videbantur. *necessariis.* cfr. Fest. „necessarium ait esse Opilius Aurelius, in quo non sit cessandum, aut sine quo vivi non possit, aut sine quo non bene vivatur; aut quod non possit prohiberi quin fiat." hoc rectius, quam ab affinitate primariam hujus vocis significationem repetere. *si quid ex improviso mali.* ita Vat. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Med. 1. Vat. a. Eich. multi alii, qui verborum ordo, ut a vulgari longius recedit, ita concinnior esse videtur; nondum enim adduci possum, ut putem, *mali* rectius abesse; argumentis quidem hæc doceri vix possunt, sed certus quidam animi sensus his in rebus sæpius plus valet, quam ingenii acumen atque doctrina. *et injurias. et* om. Vat. 3. id quod mihi quidem videtur esse abruptius. *accedam.* perperam de hoc loco judicat Ruhnk. ad. Rutil. Lup. pag. 96. 97. cfr. Terent. Hec. 3. 3. 18. et Cic. Tusc. 3. 19; quæ loca quidem similia sunt, sed ad h. l. emendandum nil valent. *plurima sunt.* Ven. 2. Vat. 4. qui ex melioribus libris sunt. Cortius duorum librorum fide verbum omisit; sed orationis numerus claudicat. *neu foedera.* Vat. a. sed *ne* fortius dictum. *huic imperio fort. mutatur.* scilicet in pejus, sed ne quid mali

ominis loqueretur, cautius hoc expressit. *una occidendum nobis fore.* Eich. sed in Vat. 5. infinitivus omissus est; id quod est durissimum. *virtute ac dis volentibus* i. e. propitiis. Liv. 39. 16. hæc componere Romanis scriptoribus usitatissimum. *transvorsos.* vide supra cap. 6. *fingere me verba. me* om. Vat. 4. vide Catil. cap. 47. *fingere alia.* scilicet verba sæpius factis opponuntur; quare etiam apud Ciceronem cum *simulatione* conjunguntur. Ciceron. Verr. 5. 58. *cum hoc verbo et simulatione Apronio, revera tibi objectum esset.* — *quod utinam.* pron. relativum multis particulis jungi ad vim eorum augendam, satis notum est. vide Cat. cap. 18. et 48. *quoius impio.* Vat. a. *miserias projectus.* cfr. infra Hist. Fragm. Ep. Pomp. *projectus ad bellum saevissimum.* et Terent. Andr. 4. 1. 44. *conjectus in nuptias.* Curt. 5. 3. fin. *exercitus conjectus in angustias.* — *aut apud vos. aut* om. Eich. perperam. *ne ille.* Vat. a. *ferox* idem quod supra *se effert, superbit, praeclarus.* cfr. Cat. cap. 53. *clarus atque magnus habetur.* — *sceleribus* non cum *praeclarus* jungendum; nam quod apud poetas occurrit: *bello seu armis praeclarus*, non est hujus loci. *tibi immaturo.* pronom. delet Vat. 6. in eodem paulo infra *est* desideratur. neutrum placet; verbum enim necessarium, ut sententia plenius atque numerosius terminetur; *tibi* propter sequens *tuum*, cui respondet, retinendum est. cum enim Adherbal fratrem absentem alloquatur, multum facit ad orationis nervos augendos. *sed omnis has.* Vat. a. quod multo ornatius dictum, quam *et — spectaculum praebeo* i. e. spectaculo sum, quam fluxæ et mobiles res humanæ sint. cfr. Propert. 4. 8. 21. et 56. *Patres conscripti subvenite.* Vat. a. omnibus, quæ in reliquis libris interposita sunt, omissis. hæc medela vexatissimo huic loco adhibita, in quo libri multum variant. *per liberos. per* om. Vat. 3. *vestros* delet Min. 1. sed omnia mihi sana esse videntur. consilio enim et *per* sæpius posuit auctor, et *vestros* adjecit. quod qui non intelligunt, eos frustra refutare studeas. *tabescere.* hæc locutio historicis maxime frequentata, sed substantivo sæpius quam verbo utuntur. *omnia paulatim tabescere* etiam Lucret. dixit. 2. fin. ceteri scriptores ad animum solum et corpus hujus verbi vim referunt. — Ceterum hæc oratio, cum in argumento leviore versetur quam ceteræ, tamen et ipsa magna cum arte composita est. Cum enim et hominis, quem loquentem inducit Salustius, ingenium et causæ, quæ agitur, ratio minus esset idonea, ubi eloquentia majore quadam vi flueret, abundans sonantibus verbis uberibusque sententiis, tamen vide quanto cum

ingenio et argumenti tenuitatem et personæ levitatem ornaverit. recte quidem dicitur sæpius eodem redire orationem, unde profecta sit; sed hoc vix aliter fieri potuit. Hæc enim omnium orationum est ratio, quibus id est propositum, ut in suam sententiam orator audientes trahat. Romani enim etiam atque etiam rogandi et sæpius officii atque Masinissæ virtutis admonendi erant, ut, si minus justi amore, ignominia certe moti, illius nepotis causam defendendam susciperent.

Quare non solum Jugurthæ scelus conqueriturAdherbal et majorum virtutem laudibus celebrat, sed nihil omittit, quo aut iram accendat aut misericordiam commoveat. Hoc consilio se Romanorum clientem et illorum tantum auxilio confisum esse dicit, et majestatis Romanæ esse docet, prohibere injurias. plurimum autem in eo versatnr, ut ipsos Romanos Jugurthæ sceleribus læsos fuisse ostenderet, ne suam injuriam, tanquam alienam, parum curarent. Hanc enim fœderis cum Romanis compositi esse rationem, ut, quod illi potentissimi atque fortissimi haberentur, ceterorum regum atque populorum amicitiæ a sociis plane negligerentur. Quæ omnia eo pertinent, ut auxilium sibi a Romanis ferri oportere, firmissimis ad probandum argumentis doceret. Sed plurimum valet lucidus argumentorum ordo aptaque dispositio, qua in re singularem quandam artem auctor ostendit; doloris enim impetus et querelarum, quas Adherbal fundit, acerbitas tam scite precibus temperata est, ut omnibus, quæ Romanorum indignationem commoverent, remotis, miseranda regis fortuna ornatissimis verbis descripta sit. Quæ quidem commiseratio, si cui mollior atque mulierculis quam viris dignior esse videtur, id reputet, hac potissimum re animi infirmitatem, quæ in Adherbale fuit, ab auctore esse illustratam. Quæ omnia si animo reputamus, non ita multa in hac oratione inveniri posse putaverim, quæ in justas reprehensiones incurrant.

Cap. XV. *suam.* hoc pronomen notandum, ab Cortio non impugnatum; sed non solum ex hoc, sed etiam ex multis aliis exemplis recte colligitur multo sæpius a Salustio pronomen additum fuisse, quam vulgus interpretum autumat. *ne alium.* Med. 8. Vat. 11. *is ne al.* Med. 11. sed quam facile fieri potuerit, ut librarius pron. omitteret, neminem fugit. quare hunc errorem potius quam orationis elegantiam putaverim. *ante — ponerent.* præpositio a verbo disjuncta more scriptorum antiquiorum. cfr. ad Cat. 53. Liv. 35. 14. Tac. Ann. 13. 54. *senatus*, quod longe plurimi libri re-

tinent, recte a Cortio deletum esse videtur. quis enim in alio scriptore, nedum in Salustio ferat, paucis intermissis eandem vocem bis positam; accedit quod facile credideris, *fautores* senatores fuisse. quare sive orationis elegantiam, sive sensum spectaveris, alieno loco ista vox posita esse videtur. Vellem tamen me cautiorem in hac voce expellenda fuisse; nam movet me asperior verborum structura: *praeterea magna pars* nullo genitivo addito; et *praeterea* etc. pro *multi alii ex senatu* dictum esse statuo. *depravata* rectius quam *depravati*; non enim ad *fautores legatorum* hoc referendum est; neque aliorum locorum comparatio magno est usui, cum his in rebus verborum positio maximi momenti sit. nullo libro ex nostris Cortii conjectura confirmatur. *carius erat*. verb. om. Vat. 3. placet. *Scaurus*. cfr. Val. Max. 4. 4. 11. Vellej. 2. 9. Cic. Brut. 29. et Ern. Clav. Cic. ex ipsius Salustii verbis facile intelligas, cur hujus viri sæpius cum summa laude fiat mentio. Cic. pro Font. 7. pro Mur. cap. 8. scilicet simulata priscorum morum severitas, et partium studium effecit, ut summus vir haberetur, quod tribunorum plebis actionibus magna cum animi fidentia atque constantia obviam ivit. *impudentem* i. e. quæ non satis caute agat, sed aperte pecunia gratiam fautorum Jugurthæ comparet. *polluta licentia.* proprie ita dicuntur sacra, fœdera, manus, animus. cfr. Sil. 11. 322. Senec. Octav. vs. 723. Herc. Fur. 1261. Virg. Aen. 7. 4. Sil. 11. 46. *sed enim temeraria pubes delicta augebat, pollutior ipsa senectus.* quod igitur proprie ad homines pertinet, scelere infames, hoc loco ad vitia ipsa transfertur. id quod in adjectivis sæpissime fit. quare non est, quod ad conjecturam confugiamus, et *polluctus* corrigamus, quod et ipsum dubiæ significationis est.

Cap. XVI. *quae — anteferebat.* Cortius contra omnium librorum auctoritatem *qui* correxit, quia in Bas. 1. *anteferebant* legitur. sed hoc durissimum est. fieri enim vix potuit, ut post *illa qui* sequeretur. *L. Opimius.* cfr. Ernesti Clav. Cicer. Vellej. 2. 6. Flor. 3. 15. *exercuerat.* similia sunt. Liv. 29. 17. *scelus, libidinem, avaritiam in socios.* id. 6. cap. 22. *victoriam in captis.* alio sensu Tac. Ann. 6. 31. *fretus bellis, quae secunda adversum circumjectas nationes exercuerat.* iterum Annal. 12. 32. *in inimicis.* quæ lectio in solo Commeliano est, valde probabilis est, cum vix assequaris, cur in sequentibus *tamen* positum sit, si Scaurus amicus Jugurthæ fuit. Hoc enim non insolitum, ut amicos colamus, quare ita corrigendum esse statuo. quod in plurimis optimisque libris *in*

amicis scriptum est, librariorum errore factum esse videtur, qui propter antecedens *in* primam syllabam sequentis vocis omiserunt et pro *imicis*, *amicis* emendarunt. *multa*, quod Cort. delevit, omnes libri servant, et nihil habet, in quo offendas. *fama*, *fide* cum in optimis Codd. sit, vera lectio habenda est. recte Cortius Ciceron. pro Balbo cap. 8. laudavit: *cum magna pars in iis civitatibus foederis sui libertatem civitate anteferret*. cum enim multis locis ad liquidum perduci non possit, tertius an sextus casus huic verbo jungatur, tum hæc structura eo defendi potest, quod ex Græco πρὸ πάντων ποιεῖσθαί τι, πρὸ πάντων ἑλέσθαι τι expressa esse videtur. *Mauretaneam* quæ forma in Bas. 1. est, antiquior esse videtur. *virisque*. *que*. in paucis Cortii libris omissum est, sed nullus ex Italicis libris consentit, et quamvis sæpius ita locutus sit Salustius, tamen non ubique conjunctiones omisit; ut igitur certam quandam normam sequamur, meliorum librorum auctoritate standum esse censeo. Cortius ipse cap. 57. comparavit: *armis virisque opulentum*.— *illum alterum*. *ille* aliquoties redundat. Tac. Annal. 14. 55. *quicquid illud et qualecunque tribuisset*. Terent. Adelph. 3. 2. 8. *quem neque fides, neque jusjurandum, neque illum misericordia repressit*. Eun. 1. 3. 8. *illum alterum*. et Cic. in Cat. 4. 5. qui locus nostro est simillimus. Virg. Aen. 11. 808. significari videtur hoc additamento, auctorem hanc rem legentibus notam esse statuere. *possedit*. non tantummodo occupatum tenere, sed etiam *occupare* significat. cfr. Cic. de Orat. 2. 70.

Cap. XVII. *postulare*. longe usitatior ea est verborum structura, ubi *ut* sequitur, altera magis poetica et Plauto inprimis atque Terentio usurpata. vide indices. *gentis*. Vat. 5. liber optimus; veram igitur hanc terminationem judico. *plerique partem tertiam Africam posuere*. Ven. 4. *parte tertia*. Ven. 1. Flor. 1. reliqui e. gr. Med. 2. 4. Vat. 4. 3. alii, receptam lectionem confirmant, neque est dubium quin potior sit. Accusativum enim pro ablativo multis in formulis ponere antiquioribus scriptoribus usitatissimum, vide supra ad Cat. 19. *frequentata sunt*. neutrum hoc loco melius quam foemininum. ad *loca* enim totam sententiam ab auctore referri, vel ex verbis *ob calorem* etc. patet. *compertum* i. e. certi aliquid. cfr. Liv. 29, 21. *comperta oculis perferre Romam*. id. 3. 48. *sed certis quoque indiciis compertum se habere*. Sueton. Nero. 31; *polliceri pro comperto*. — *in partem tertiam* confirmant ex Italicis libris Med. 2. 4. Vat. 3. 4. Ven. 1. *plerique partem*

tertiam Africam posuere. Ven. 4. quæ quidem lectio longe elegantissima, dummodo plurium librorum auctoritate confirmaretur. *ponere* enim sæpissime pro certo asserere, statuere, dicitur. sed illa altera, ut insolentior et asperior, ita Salustii consuetudini magis consentanea, verborum structuram in oppositis sæpissime mutantis. vide supra ad Cat. 19. et de mutata structura infra 78. ceterum notanda lectio Vat. 5. *Asiam et Europam. Ea* etc. ceteris omissis. pronomen quidem *ea* a Substantivo longius remotum, sed defendi posse videtur, quia etiam aliis locis *ea* pro *illa* auctor ponere solet. accedit, quod hæc, si omissa essent, vix desideraveris. nihilominus tamen unius libri parum firma auctoritas; et talia per *sed* particulam conjungere a Salustiano dicendi genere non alienum. Ceterum quos auctores sententiæ, quam et ipse amplectitur, laudaverit, incertum. Eudoxum Cnidium in γῆς περιόδῳ et Erotosthenem ἐν τοῖς γεωγραφουμένοις, et maxime Agatharchiden Cnidium hac de re egisse existimo. quos secuti sunt, qui postea eandem rem tractarant, Strabo et Plinius. vide Duker. ad Flor. 2. 8. 1. Sed de iis, qui duas tantum orbis terræ partes esse statuerunt, vide Broukhus. ad Tibull Carm. 4, 1. 176; et cfr. Isocrat. Panegyr. 48; Agathemer. 2. 2. Varro de L. L. 4. 13. Ed. Bip. *Catabathmos.* etiam de hoc loco fluctuant veterum scriptorum judicia. Ptolemæus enim (4. 5.) duas regiones conmemorat, quæ hoc nomine appellatæ fuerint. Neque Strabo accuratius de his finibus egit, quippe qui Cyrenensium fines usque ad Catabathmon pertinere dicat. cfr. Geograph. XV. 3. p. 498. Ed. Tauchn. etiam Pompon. Mela. 1. 8. 2.. nihil aliud quam: *Catabathmos, vallis devexa in Aegyptum, finit Africam* «dicit. *mare saevum.* hoc maxime ad syrtes regionesque vicinas pertinere videtur; vide infra cap. 78; sed non ita multos portus in ista regione inveniri, satis constat. *bonus pecori.* Liv. 29, 31. addit *alendo.* sed infra Sal. simili ratione. 92. *aggeribus locus importunus.* Virg. 2. Georg. 222. *ferax oleo*, et id. ibid. 223. *facilis pecori.* — *arbori infecundus.* ex Italicis longe plurimi libri. *arboribus* Barb. 4. Med. 2. *arboris* Med. 1. 10. Ven. 3. 4. Vat. 4. Min. 2. *arborum* Med. 9. Barb. 2. primum quidem singularis numerus, quamvis est insolitus, tamen bene se habet. qua de re jam Charisius Jnst. Gram. 4. 241. multa exempla, quæ apud poetas occurrunt, laudavit. Ruddim. Jnst. L. L. 1. 160. — aut *arboris* igitur aut *arbori* verum. Dativum si veram lec-

tionem esse statuis, vix idoneis exemplis hunc usum loquendi confirmaveris. quæ enim Cortius congessit, parum certa sunt. sed cum *infecundus* ne cum genitivo quidem vel cum ablativo sæpius jungatur, facile fieri potuit, ut dativus huic adjectivo, ut aliis multis, apponeretur. cfr. Tac. Ann. 11. 10: *intolerantior subjectis*. Senec. Herc. Oet. 1027. *patriae scelestus*. Cic. pro Plancio 8. *multitudo vobis supplex*. Ovid. Epp. ex Ponto 4. 6. 32; *sontibus esse trucem*. — *coelo et terra* Ven. 4. *coelo, terra* Vat. 5. quod probo. *salubri corpore*. cfr. Herod. 4. 187. εἰσὶ γὰρ ὡς ἀληθέως οἱ Λίβυες ἀνθρώπων πάντων ὑγιηρότατοι, τῶν ἡμεῖς ἴδμεν. *dissolvit*. vide supra Cat 50. *mors cuncta mortalium mala dissolvit*. Lucan 4, 332. *quoque magis miseros undae jejunia solvant*. Flor. 4. 11. *sic morte ut somno soluta est*. et *solvi* sæpissime dicuntur apud poetas et qui somno indulgent, et quorum vires laboribus aerumnisque franguntur. *superat*. hujus usus loquendi exemplum non est in promptu; vinci quidem sæpius ita dicitur. Cic. Off. 1. 20. *non est consentaneum qui invictum se a labore praestiterit, vinci a voluptate.*—*maleficus* i. e. noxius, perniciosus; Plin. H. N. *malefica sidera*. id. 33. 4. *malefica vis*. 12. 17. *caprae maleficum frondibus animal*. cfr. Pompon. Mela. 1. 4. Cic. Off. 2. 5; et Manil. 4. 600 sq. — *aut quomodo* — *sint*. haec apud Cortium per incuriam librariorum videntur esse omissa. *quae plerosque obtinet*. locutio quam maxime insolita. aliis locis neutrorum more, ut *tenere* apud Livium dicitur. cfr. Liv. 21. 46. *malim equidem de filio verum esse, quod et plures tradidere auctores, et fama obtinuit*. id. 1. 4. *fama tenet*; et apud juris consultos sæpissime impersonale est, pro usus, consuetudo est. a nostro loco non plane aliena, quæ apud Livium leguntur. 9. 43. *omnia obtinet caedes*. 29. 27. *noctem insequentem eadem caligo obtinuit*. 8. 16. *cum omnia non opes magis Romanae quam beneficiis parta gratia bona pace obtineret*. *occupare* ita dicitur apud Virg. Aen. 3. 294. *incredibilis rerum fama occupat aures*. Tac. Hist. 1. 76. *occupaverat animos prior auditus*. pari modo ceteræ animi perturbationes, iracundia, superstitio, ira etc. sæpissime animos hominum occupare dicuntur. hanc analogiam secutus esse videtur Salustius, et quod græce innumeris locis κλέος, φῆμις ἔχει με dicitur, minus insolitum hoc loquendi genus erat. *diversum est*. verb. subst. om. Ven. 2. *regis Hiempsalis qui*. hunc verborum ordinem

habet Vat 6. *est nobis* Eich. *quum paucis absolvam* Fl. 17. *fides ejus rei.* etc. solemnis formula historicorum, ubi rem dubiam pro certo affirmare volunt. cfr. Senec. Q. N. 4. 3; Plin. H. N. 28. 1.

Cap. XVIII. *Gaetuli et Libyes.* cfr. Pompon. Mela 1. 4; Plin. H. N. 5, 4, 6 et 8. id. 5, 2. et 21, 13; Herod. 4, 159. 168 — 189. *incultique. que* om. Vat. 5. placet. *quis* confirmant Vat. 1. 2. *legibus aut imperio* Ven. 1. *humi pabulum.* vide Festum s. v. «Numidas dicimus, quos Græci Nomadas, sive quod id genus hominum pecoribus negotiatur, sive quod herbis ut pecora aluntur.» *qua nox.* Vat. 1. 2. 3. 4. 6. Med. 2. 4. 5. Ven. 1. Eich. *quo* Med. 9. Vat. 5. Neap. 4. *quas* Med. 11. Flor. 1. Barb. 2. 4. 5. ceterique Italici libri. Quænam lectio præferenda dubium. sed *quo* librariorum errore scriptum fuisse videtur. *quis nox* etc. elegantissime dictum, neque a Salustii consuetudine alienum. Sed ne Cortii quidem interpretationem improbraveris, qui locum, in quem convenerint, designari statuit; hoc enim Salustium significare, nullas domus a Numidis exstructas fuisse; quod quidem adverbio accuratius quam relativo exprimi dicit. cui rei præsidio est hoc, quod tum *cogere* primaria significatione, dictum est; quod et ipsum Salustiano dicendi generi consentaneum. accedit quinque Vaticanorum librorum auctoritas. quare prope abest, quin et ipse in Cortii partes transeam. *Hercules.* de tanto heroe silere, quam parum dicere melius puto. cfr. Heeren Ideen über Politik. Th. 1. p. 646; *sibi quisque. quisque* om. Med. 7. ceteri omnes ad unum retinent. Cortius *quique* reposuit, quæ conjectura ut a Codd. testimonio recedit, ita incertae auctoritatis formam Salustio obtrudit. sed facile locus explicari potest, si *quisque* pro *quibusque* dictum esse putas. ad quam interpretandi rationem proxime Justini locus accedit, a Cortio laudatus: *tamen in suorum quisque majorum vestigia nitentibus* vide Justin. 29, 1. 8; Liv. 21. 33. *sibi quoque tendente, ut pericula prius evaderet.* Tac. Annal. 1. 59. *Fama dediti Segestis, ut quibusque bellum invitis aut cupientibus erat, spe vel dolore accipitur.* Flor. 1. 9. *proximis quibusque correptis etc.* — *Medi, Persae et Armeni.* haec omnia fabulosa; sed jam supra est monitum, Salustium in antiquis fabulis, quæ ad gentium origines pertinent, illustrandis esse diligentissimum. *intra Oceanum.* in iis regionibus, quae Oceano proximae sunt, sed meridiem versus, quod ipse auctor in sequentibus di-

*

cit. *qui alveos* Ven. 1. cfr. Thuc. 1. 50. qui et ipse σκάφη dixit pro navium carinis; ad quem locum Schol. σκάφη καλεῖ τὰ κοιλώματα τῶν νεῶν, ἃ ἡμεῖς γαστέρας καλοῦμεν. *copia erat. fuit* Eich. quare nescio, an alicui verbum dubiæ fidei videatur. *ignara.* i. e. ignota. cfr. Gell. 9. 12; id quod Tacito usitatissimum; cfr. Ann. 2, 13. et 3, 69; *Gaetulos miscuere* Eich. *secum* omisso. *se Gaetulis miscuere* Med. 11. ceteri libri Italici nihil variant. neque, quae laudavit Cortius loca auctoritatem lectionis ab eo propositae confirmant; recte quidem apud Liv. 21. 7. *mixtique etiam ab Ardea Rutulorum quidam generis* nullo pronomine addito, sed Cicero de Div. 1. 30. *cum matre corpus miscere*, et Ovid. Met. 13, 867; *sic se tibi misceat.* et Liviani loci diversam esse rationem neminem fugit. Ipsae lectiones variantes, *se Gaetulis miscere* et *sibi Gaetulos miscuere* testimonio sunt, in omnibus libris pronomen fuisse; quare hoc retinendum esse censeo, cum maxime vel haec verborum structura satis sit insolita. *temptantes* i. e. eorum naturam explorantes, si melius pabulum inveniretur. *Numidas.* παρὰ τῶν νόμων i. e. pascuis populi nomen derivandum esse statuit Salustius. Sed ridicule agit in hujus nominis veritate inquirenda; necesse enim erat, ut Persae isti, quos dicit, Graece loquerentur; si ea de causa, quod saepius loca mutabant, Numidarum nomen sibi imposuerant. *Mapalia.* cfr. Fest. «Mapalia casae Poenicae appellantur, in quibus, quia nihil est secreti, solet id vocabulum solute viventibus objici.» Cato libro IV. Origin. «mapalia vocantur, ubi habitant. ea quasi cohortes rotundae sunt.» sed Serv. ad Aen. 1. 421. Catonem *magalia* scripsisse judicat, et ipse Virgilius magalia dixit; cujus scripturæ auctoritas eo firmatur, quod Serv. animadvertit, *magalia* esse antistoechon; debuisse enim *magaria* dici, quia *magar*, non *magal* Poenorum lingua villam significet. Etiam Cornel. Nepos in libro qui *vitae Illustrium inscribitur*, testis est, interiorem Carthaginis urbis partem *Byrsan*, exteriorem *magalia* dictum fuisse. cfr. Serv. ad Aen. 1. 372. sed recte idem. ad Aen. 4. 259; «magalia, Afrorum casas, et mapalia idem significant, sed *magalia* ma producit, *mapalia* vero corripit, ut 3 Georg. 340. *et variis habitata mapalia tectis.*» ceterum neminem fugit, quam infirmum sit hoc argumentum, ab tuguriorum forma petitum; omnium enim casarum agrestium eadem fere forma esse videtur; cfr. Columella 12. 15; Curt. 7. 3. 9; *Armenis ac-*

cessere. i. e. consanguinitatis foedus cum iis junxerant, cum iis coaluerant. *agitabant* pro aetatem agere, habitare, sæpius apud Salustium et Tacitum occurrit. vide Aen. 1. 50. etiam *agere* ita dicitur, imprimis apud poetas. vide infra c. 89; Ovid. Heroid. 1. 66. *sub sole* significanter et naturæ rerum convenientius hoc dictum, quia, quo quis longius meridiem versus progreditur, eo propius solem accedit, ita ut sub ipso sole esse videatur. *ardores*. intelligit loca exusta solis ardoribus; sed *ardores* non pro desertis dictum. *ardores* κατ' ἐξοχὴν pro flagrantissimo solis calore dictum esse videtur. *freto*, scilicet angusto; seu potius fretum Gaditanum significat, quod simpliciter *fretum* dixit. *Mauros* etc. vel ex hoc exemplo intelligas, parum subtiles esse scriptores antiquos in verborum originibus excutiendis. *adolevit*. cfr. Cat. 51. *adpellatur*. haec est lectio plurimorum librorum et constanti omnium fere scriptorum usu firmatur. *sub imperium suum coegere*. Cortius non solum *suum* delevit, quod pauci deterioris notae libri omiserant, sed etiam *coegere* in *cogere* corrupit. cujus conjecturæ veritatem paucis credo persuaserit. nam asyndeton vel in hac verborum structura, quæ nunc est, duriusculum; sin perfectum in præsens infinitivi mutatur, durissimum est. *concessere*. vocabulum hac in re proprium. cfr. Liv. 29, 29. *gens Massyliorum omnis in ditionem imperiumque Mezetuli concessit*. id. 39, 2; 42, 53; 38, 16; Justin. 4, 2. *postquam singulae civitates in tyrannorum imperium concesserunt*.

Cap. XIX. *imperii cupidine*. quænam coloniis deducendis causæ fuerint, ex multis scriptorum antiquorum locis intelligitur, quæ Cortius collegit. vide Tac. Ann. 4, 55. Cæs. B. Gall. 1. 2. Justin. 24, 4. Flor. 3, 10; Senec. ad. Helv. 6. Vellej. 2, 108; Tac. Germ. 29. *Hipponem*. duæ urbes hoc nomine fuerunt; Hippo Zarytos non procul ab Utica situs et propter frequentes fluminum inundationes διάῤῥυτος dictus; altera Hippo regius, regni Numidici caput et sedes regia. hoc loco prior urbs significatur cfr. Strabo. XVII. 3. 448. *Hadrumetum*. cfr. Auct. Bell. Afric. 3. Nep. Hannib. 6. græce Ἀδρύμη, Ἀδρυμητὸς seu Ἀδρυμήτους. *Leptim*. minorem intelligit, quæ sita inter Adrumetum et Tharsum. Leptim majorem, quæ est inter syrtes, mox commemorat, ae de ejus origine plura infra cap. 78; de illa vide Liv. 34, 62. Cort. *origines*. sunt urbes, unde profectae sunt coloniæ, μητροπόλεις. cfr. Liv. 38, 39; *Iliensibus Rhoeteum et Gergi-*

thum addiderunt, non tam ob recentia ulla merita, quam originum memoria. id. 26. 13. *decori.* parum recte hoc Cortius spectare putat ad honores, qui urbibus a suis cuique coloniis habebantur, de quibus vide Thuc. 1. 38; Freinsheim. ad Curt. 4. 2. 10. *tempus monet.* id cum infinitivo jungere poeticum est. cfr. Virg. Aen. 10. 439. *Interea soror alma monet, succurrere Lauso Turnum.* — *secundo mari.* hoc Cortius ita explicuit, ut mare sit secundum, proximum sit post „Cyrenen," quod ita dici posse, mihi quidem parum probabile esse videtur. multo rectius J. Fr. Gronovius, qui mari *secundo* ut *flumine secundo* dictum esse putat, quia mare ab Asiæ angelo repressum in partem illam, quæ est Carthaginem versus, feratur. Scilicet ut flumina in lacus se effundunt, ita maris mediterranei ostium fretum Gaditanum esse videbatur. *Cyrene.* vide infra 79. cfr. Strabo 17, 3. p. 497. Ed. Tauch. *Thereon.* cfr. Herod. 4. 156; 164. 203. et 109. duæ *Syrtis.* vide infra 78. et Strabo 17, 3, p. 492, et 494. *Philenon* vide infra 79; *novissime* i. e. ante secundum bellum Punicum. *Numidae,* quod plurimi libri Italici confirmant, vera est lectio. *Numidiae* et *Numidae* quam facile mutari potuerint, per se patet. id quod ipse Cortius concedit, qui levioribus argumentis lectionem satis probam impugnavit. *Mulucha* apud Strabonem 17, 3. 484. Μολοχάθ dicitur.

Cap. XX. *legati* om. Min. 1. *discessere* multi ex libris Italicis Min. 2. Med. 2. 8. 9. 11. Ven. 1. 3. 4. Vat. 2. 3. 4. 5. *discesserunt* Vat. 1. sed alii lectionem receptam confirmant, et ut librorum auctoritas variat, ita, qua in re hæ voces differant, accuratius vix docueris. *timorem animi.* de hoc additamento vide supra cap. 8. *expleverat.* vide c. 13. *animum intendit* cum tertio casu jungit Tac. Ann. 2, 61. *miraculis intendit animum.* idem Agric. 18. *redigere in potestatem animo intendit.* infra ipse Sal. 43. *ad bellum — animum intendit.* ita etiam Justin. 21. 1. *animum prius ad favorem populi conciliandum intendit* apud Liv. 9. 31. *omnium curae eo sunt intentae.* cfr. 25. 9; etiam apud ipsum Ciceronem Acad. 4. 15. *parum defigunt animos et intendunt in ea, quae perspicua sunt*; id Ver. 2. 3. *quid iste speret, et quo animum intendat facile perspicio.* — *opportunus.* cfr. Senec. de Clem. 1. 8; *adjice nunc, quod privatos homines ad accipiendas injurias opportuniores acceptarum injuria facit.* Liv. 28. 19. *ne quis unquam Romanum civem militem-*

que in illa fortuna opportunum injuriae duceret. Flor. 4. 4. 2. *tenerum, obnoxium et opportunum injuriae juvenem.* — *hostiliter accedit* i. e. incursat. *dolore permotum Adherbalem.* hunc verborum ordinem pauci ex Italicis libris confirmant. ex. gr. Med. 4. 6. 9. ceteri nil variant. *fretus erat.* verbum substantivum hoc loco insolentius, cum aliis locis non adjici soleat. recte Cortius statuit a librariis esse appictum, qui hoc ad *quod* referebant; sed participii eadem vis et in oppositis orationem variare ex more Salustii est. *sumere.* vide infra 83. etiam Livius ita dixit. cfr. 1, 42. 36, 2; 38, 19; Tacito hæc locutio usitatissima. cujus quidem origo a dictione *arma sumere* repetenda esse videtur. *secus cesserat.* vide infra c. 25. *quod ubi secus procedit.* Epp. 2. ad Cæs. de Rep. Ord. fin. *si morte aut fato huic imperio secus accidat.* cfr. Tac. Ann. 13, 6; id. 2, 50; et 2, 80. *quanquam incepta secus cadebant.* est certum quoddam εὐφημίας genus. — *magis* non cum *minuebatur* jungendum, quod Cortius judicavit, sed cum *eo*; similis locus apud Corn. Nep. Eum. 4. *ab hoc aliquot plagis Eumenes vulneratus; neque eo magis ex praelio excessit, sed acrius hostibus institit.* id. Pelop. 1. *neque eo magis arcem Thebanis reddiderunt.* Pausan. 3. *neque eo magis carebat suspicione.* quare, si quid in hac locutione suspectum, *tamen* potius, quam *magis* ejecerim. *animo invaserat.* i. e. apud Ciceron. Epp. Att. 1. 16. *spe devoraverat.* cfr. Phil. 2, 16; « in multas præterea pecunias alienissimorum hominum, ejectis veris heredibus, tanquam heres esset, *invaserat* » Sueton Cæs. 9. *invadere dictaturam.* Ceterum hae locutiones *animo videre, peragere, bellare, cogitatione complecti,* aliæque his similes sunt usitatissimæ. *cum praedatoria* i. e. parum numeroso exercitu, quantus in præda agenda comparari solet. Ceterum hæc vox rarius occurrit. *terrorem hostibus.* hunc ordinem solus Academ. Cortii exhibet, cujus auctoritatem ille secutus est.

Cap. XXI. *eo processum.* i. e. rem eo esse deductam; sed quamvis activum hoc sensu satis frequens sit, passivum rarissime occurrit. *obvius* poetice dictum pro obviam. vide innumera loca apud Virgilium. *haud longe a mari.* contra Strabo 17, 3. p. 488. Κίρτα τε ἔστιν ἐν μεσογαίᾳ τοῦ Μασσανίσσου καὶ τῶν ἑξῆς διαδόχων βασιλέων, πόλις εὐερκεστάτη. κατασκευασμένη καλῶς τοῖς πᾶσι καὶ μάλιστα ὑπὸ Μικίψα, ὅστις καὶ Ἕλληνας συνῴκισεν ἐν αὐτῇ καὶ τοσαύτην ἐπόιησεν ὥστ᾽ ἐκπέμπειν μυρίους ἱππέας διπλασίους δὲ πε-

ζους. sed recte jam Cortius monuit, non strictissimo sensu has particulas esse intelligendas. cfr. infra 47. 55. Cat. c. 57. Serv. ad Aen. 5. 124. et 6. 10. «procul est et quod procul oculis est, et quod procul ab oculis: unde et duplicem habet significationem.» ceterum de urbe Cirta cfr. Auct. de B. Afric. 25. *die* confirmat Med. 8. *Sed ubi. sed* in uno libro per librariorum incuriam omissum Cortius delevit, quod ut defenderet, etiam alia loca corrupit. vide infra cap. 39. *procedere* i. e. præterire, exigi, cfr. infra 59, 109; Virg. Aen. 3. 356; *jamque dies alterque dies processit.* Liv. 3, 27; *jam et processerat pars major anni.* — *lumen.* cfr. Hist. fragm. 4, 23. *quum interim lumine etiam tum incerto.* ubi ceteri scriptores *luce* dicunt. illud poeticum Cic. pro Rabir. Posthumo c. 11. ex Ennio: *Regum sunt illae minae, si te secundo lumine hic offendero, moriere;* Aen. 6, 356. *vix quarto lumine perspexi Italiam.* — *togatorum.* Virg. Aen. 1, 286; *Romanos, rerum dominos gentemque togatam.* — *prohibuit.* cfr. Cat. 18; *ita ille janua prohibiti*; Justin. 14. 5; *cum prohiberi finibus coepisset.* Cæs. B. G. 1, 11. *ab oppidis vim hostium prohibere*; Cic. Verr. 5, 64. *quod praedones procul ab insula Sicilia prohibuisset Verres.* — *foret.* cfr. Tac. Ann. 12. 16; «ac ni prœlium nox diremisset, coepta patrataque expugnatio eundem intra diem foret." de voce *patrare* vide Cat. c. 18; et Quinctil. 8, 3; *vineis* vide infra 37, 92; Veget. 4, 15; *turribus* Veget. 4, 17; Liv. 26, 47; 24, 19; 26, 26; *antecapare.* cfr. Cat. 21 et 55. *noctem antecapere.* — *ab Adherbale.* præpositionem etiam hoc loco Cortius ejecit; sed alienissima confudit. etiam in vocibus *tres adolescentes* ejiciendis audacissime egit. Nam, si quid aliud, hæc voces veræ sunt. *ambos* omnes libri Italici. quare nil mutandum. ceterum alteram terminationem apud poetas satis esse frequentem, loca a Cortio congesta comprobant. cfr. Sil. 17, 792; Liv. 25, 8; Cic. Epp. 5, 8; Ovid. Met. 7, 792; ubi Heins. vide eundem ad Trist. 4, 10, 81; sed aut omnia loca, ubi accusativus in *os* desinent corrigenda, aut statuendum scriptores his in rebus εὐφωνίαν quandam esse secutos; quæ cum a nostris auribus percipi non possit, ad Codd. auctoritatem judicii norma referenda est. *verbis* alicujus aliquid nunciari dicitur, cum ejus, qui mandatum dat, verba referuntur. cfr. Liv. 6, 17; *denunciatum senatus verbis, facesserent ex urbe.* Cic. Epp. Div. 9, 6; *Caninius noster me tuis verbis admonuit.*

id. 15, 8; *Gratum mihi feceris, si uxori tuae meis verbis eris gratulatus.* — *velle et censere.* illud populi, hoc senatus est. ceterum hanc formulam sæpius *ut cum conj.* sequitur. cfr. Cæs. B. Civ. 3, 107. *ostendit sibi placere, regem Ptolemaeum atque sororem ejus Cleopatram exercitus, quos haberent, dimittere et de controversiis jure apud se potius, quam inter se armis disceptare.* Auct. de bello Gallico. VIII. fin. *quoad sibi spes aliqua relinqueretur jure potius disceptandi, quam belli gerendi.* — *dignum fore* Med. 8. 9. 11; quamvis popter hanc varietatem verbum substantivum aliquis suspectum habuerit, tamen hoc omittere durius videtur.

Cap. XXII. *maturantes veniunt.* cfr. infra 62. *festinans pergit.* et 101. *simul undique speculatores citi se ostendunt.* et 44. *pecoris et mancipiorum praedas certantes agere*; Plaut. Casin. 5. 1. 14; *lubens fecero ac solens.* Ut enim adjectivum sæpius pro adverbio ponitur, ita participium aliquoties eodem modo usurpatur. *parare* apud Sal. sæpius cum infinitivo jungitur. cfr. Cat. 46. supra. 13. Nep. Datam. 4. *audiebatur.* rarius passivum cum præpositione *de* jungitur. *clemens erat.* Priscian. 18, 26. p. 250. Ed. Krehl. recte per *non nimius* explicat et Græcum πράως apposite confert. scilicet ut vita urbana apud Terent. Ad. 1. 1. 17. et amnes, auræ, gradus, collis etc. sæpius apud poetas *clementes* dicuntur, ita hoc loco rumor; i. e. rem non exaggerabat, sed potius extenuabat. quod nonnulli statuunt, *clemens* idem significare, quod *parum divulgatum esse*, id longius a primaria hujus vocis significatione recedere videtur. *se enisum.* pronomen omnes libri retinent; quod immerito Cortius delevit, similitudine loci in Cat. 31. in errorem inductus. sed hæc diversa esse unusquisque intelligit. hoc enim loco tertius casus antecesserat, sed in sequentibus accusativus supplendus est. hoc fieri posse facile largior; sed cum tres deinceps sententiæ sequerentur, ubi mutata erat constructio, pronomen quarto casu repetere scriptori necessarium visum. *probaretur ab.* hæc constructio rarior; tertius enim casus huic verbo jungi solet. Ablativi pauca inveneris exempla. cfr. Plin. Epp. 9. 19; *familiariter ab eo dilectus probatusque.* — *malitia* virtuti opponitur, ut apud Gellium (N. A.) 2. 6; *inculpatus instar est absolutae virtutis, illaudatus finis est extremae malitiae.* cfr. Senec. Epp. 106; *quicquid facimus, aut virtutis aut malitiae geremus imperio.* cfr. id. Epp. 31. et Tac. Ann. 13, 30. *in regnum adoptatum.* cfr. Ju-

stin. 9. 2. *in successionem regni.—in familiam nomenque.* Sueton. Cæs. 83. de verbo substantivo *esse*, quod et hoc loco omnes libri retinent Cortius: «Expungent mecum verbum substantivum, qui Latine sciunt et Crispum norunt; ceteros nil moror.» hoc est criticum agere. *sceleri ejus.* pronomen om. Vat. 5. sed unius libri auctoritas non satis firma. *obviam isse.* cfr. Gell. (N. A.) 7. 5. *summa enim professio stultitiae est, non ire obviam sceleribus cogitatis, sed manere opperirique.* Liv. 7, 9; 9, 26. *pro bono.* cfr. Sueton. Tito. 7. *At illi ea fama pro bono cessit.* scilicet præpos. *pro* alias nil aliud quam certam quandam similitudinem significat, sed hoc loco ita posita, ut quod par, æquale atque idem est, exprimat. cfr. Cat. 15. *pro certo creditur.* Curt. 2. 1. 6; *eundem conjurasse cum Pausania pro comperto fuit.* Tac. Agric. 30. *atque omne ignotum pro magnifico est.* Cæs. B. G. 5. 7. *nihil hunc se absente pro sano facturum arbitratus.— prohibuerint*, quod Cortius e Fabric. 1. recepit, nullus ex Codd. Italicis habet. quare non adduci possum, ut pluralem numerum verum esse judicem; maxime cum in illa verborum structura defendenda priores interpretes sæpius modum excesserint.

Cap. XXIII. *discessisse.* Med. 7. Ven. 3. Vat. 1. 2. 4. 5. ceteri *decessisse* retinent. *armis* i. e. manu seu vi. simile proverbium apud Cic. de Off. 2. 24; *armis et castris tentata res est ab omni genere hominum.* cfr. cap. sq. — *ostentare.* vide infra c. 66. Tac. Hist. 3. 78; et 5. 24. *Batavis pacem, Civili veniam ostentans.* — *erigere* ex Italicis Codd. habent Med. 1. 2. 7. 8. Ven. 3. Vat. 2. 3. 4. 5. Min. 1. 2. Flor. 1. vide Catil. c. 39. *vetus certamen animos eorum arrexit*, et infra 84; utrumque et *arrigere* et *erigere* bene Latine dicitur, sed illud retinendum videtur quod magis est insolitum. *prorsus intentus.* vide infra 30. ita *prorsus* sæpissime apud Ciceronem occurrit. *in extremo sitas* i. e. in extremum adductas, quod sæpius legitur. *duos* omnes libri Italici habent. *miserando* i. e. conquerendo. cfr. Tac. Ann. 3. 17. *ipsius — gravem casum miseratus*; et sæpius alibi. ceterum in hac locutione neque *multa*, neque *suum*, quod aliis locis suspectum visum, Cortium offendit. *proxumum mare* i. e. mare ubi proxumum fuit, seu proxuma via ad mare tenderent. similia sunt *summus mons*, *infima vallis* etc. *efficiunt.* i. e. perficiunt, exsequuntur. Cic. Epp. Attic. 1. 14. *mandata effice, quae recepisti.* id. de Legg. 1. 5. *cujus muneris colendi efficiendique causa*

nati sumus. — *recitatae.* recte hoc loco verbum substantivum omissum est.

Cap. XXIV. *oratum mitto.* ut in tota epistola, ita etiam in hac locutione simplicitas quædam orationis animadvertitur. ceterum *orare* non pro *rogare* dictum esse videtur, sed quia *oratores* sæpius legati dicuntur, hac voce auctor usus est. *in animo hab.* i. e. respiciat, eorum memor sit. aliis locis *in animo habere* est statutum habere: *socius atque amicus.* his nominibus senatus populusque Rom. reges ornare solebat, qui potentiores erant, quam ut facile armis vinci possent. seu quibus falso honoris nomine illudere e republica visum. hæc enim delinimenta servitutis erant. cfr. Cæs. B. Gall. 1. 43. *patris mei.* pronomen omnes Italici libri confirmant, etiam Vaticani; quare incertum, qui ille Vaticanus Putschii sit, quem sæpius laudat. potest consilio appositum esse ab auctore, ut sequenti *vestra* respondeat. *dehortatur me* Vat. a. sed quamvis multi alii boni libri accedunt, tamen hoc quam maxime inconcinnum videtur. *Nisi.* vide infra cap. 100. *quod multi per ambitionem fieri ajebant* — *nisi tamen respublica pariter ac saevissimo imperio bene atque decore gesta.* Cic. Epp. 13, 1. «cum Patrone Epicureo mihi omnia sunt communia, nisi quod in philosophia vehementer ab eo dissentio.» habet eandem verborum structuram aliquoties Plinius. cfr. Epp. 6. 21; «circa me tantum benignitate nimia modum excessit, nisi quod tamen poetis mentiri licet.» id. 8. 17. «parvulum differt, patiaris diversa an exspectes: nisi quod tamen est dolendi modus, non est timendi.» Panegyr. 93. „ullamne pro beneficiis referre gratiam parem possumus, nisi tamen illam, ut semper nos meminerimus consules fuisse.» cfr. præterea Cic. Epp. 13, 76. «de re nihil possum judicare, nisi illud mihi certe persuadeo etc.» vide etiam Terent. Hecyr. 1. 2. 117. Adelph. 1. 2. fin. Eun. 3. 4. 10. et 5. 1. 10. Omnibus his locis vis particulæ adversativa est et exceptionem addit. *supra*, ut sæpius, adjectivi loco positum est. Cic. Verr. 5. 33. *supra adjecit Aeschrio* i. e. majus pretium. vide supra Cat. 5. et Jug. 5. *dein patrio.* ita Vat. a. *quem vos imperat. vos* om. Vat. 5. parum recte, cum hoc loco pronomen consilio sit additum. *posuistis.* cfr. Nep. 23. 2. *te ipsum frustraberis, si non Hannibalem in eo bello principem posueris.* — *quanti fecerit.* quam parum curaverit. *pericula mea declarant.* hæc omn . sine pigmentis et fuco puerili expressa, sanguine et viribus nitent. *relicum nisi vis commoveri* Vat. a. unde

aliquis conjiciat, pronomen ab aliena manu esse additum. sed *vis vestra* dictum est elegantius, quam quod a librario inventum esse putaveris. ita enim et mutatio generis in relativo facilius explicatur, et bene pronomen *vestra* antecedenti *pericula mea* respondet. Ceterum *quo* recte scribi, cum alia, tum auctoritas Cod. Vaticani a. comprobat. vide loca a Cortio laudata. infra cap. 38. *locum hostibus introeundi dedit, eaque Numidae cuncti irrupere.* et 103. *obsessum turrim regiam, quo Jugurtha perfugas omnis praesidium imposuerat.* Cic. Epp. 13. 75. *summa est, in quo mihi gratissimum facere possis.* id. l. l. 3. 5. *ut dicerem, me libenter ad eam partem provinciae primum esse venturum, quo te maxime velle arbitrabar.* ceterum *vis vestra* dictum pro vi, a vobis inferenda. quod enim nonnulli statuunt, vim pro opibus dictum videri, id armis expressum esse videtur. *moveri* i. e. cogi ad obediendum: sed hoc minus accurate expressum; proprie enim movere nihil aliud significat, quam *perpellere. et haec quae. et* om. Ven. 3. *et ea quae ante.* Vat. 4. *et quae ante* Vat. 5. *et quae ante* Med. 11. Min. 1. e quibus lectio Vatic. 5. videtur esse præferenda. sed cum longe plurimi iique præstantissimi libri pronomen retineant, id ejicere nolui. sed Cortius etiam *forent* suspectum habuit; quo omisso elegans orationis numerus fit impeditior. *quam miseria* etc. qui ubique Salustii brevitatem jactant, eos hæc et alia loca hujuscemodi accuratius inspicere velim. Est scilicet etiam hic locus testimonio, Salustium multo magis id studere, ut sensuum vim exacuat, quam paucissimis verbis illos exprimat. vide supra ad cap. 1. fin. *ostentui.* cfr. Tac. Ann. 12, 13; *auribus decisis vivere jubet, ostentui clementiae suae et in nos dehonestamento.* similia sunt derisui et contemtui esse. *cruciatum* Vat. a. etiam infra cap. 70. *proinde reputaret cum animo suo, praemia an cruciatum mallet.* quod ex ceteris libris hac in voce nulla varietas laudatur, id potius editorum incuriæ, quam librorum constantiæ tribuam. *ex manibus.* Flor. 1. Med. 4. 7. 11. Ven. 3. Vat. 4. Min. 1. præterea Med. 1. et Vat. 3. m. sec. *manibus ex impiis* Ven. 1. sed meliores et plures libri receptam lectionem confirmant. *manet avi* Ven. 1. *remanet memoria* Ven. 3. ceteri libri omnes ad unum et verborum positum et ipsum verbum defendunt. quare nisi in tot locis maxime temerarium se Cortius praebuisset, hic ejus audaciam mireris, quippe qui, ut emendandi studium expleret, et orationis numerum et elegantiam neglexerit.

Cap. XXV. *uti cons.* de mutata structura vide cap. 7. initio. *isdem illis. illis* om. Ven. 4. Vat. 2. 5. falso. nam *illis* additum, ut significaret, eorum jam sæpius mentionem esse factam. *isdem* simpliciter ponere durius erat, cum in proxime antecedentibus eos non commemorasset. vide cap. 28. init. *idem illi ministri regis. tale* cum omnes libri Itall. retineant, unius codicis fide hanc vocem ejicere non ausus sum. Neque id laborabant regis fautores, ut nullum decretum fieret, sed ne in ejus sententiam, qui primus Jugurtham puniendum esse censuerat, discederent. *in plerisque negotiis* i. e. plerumque; jam sæpius est monitum, Salustium hac voce sæpissime uti, ubi ceteri scriptores *rebus* vel solum adverbium habent. *devictum.* i. e. perversum Plaut. Pseud. 1. 3. 12. *certum hominum consilia sola devincit fortuna.* etiam *superare* sæpius ita dicitur. *senatus princeps* Med. 7. *in senatu potens* Vat. 2. 5. sed receptam lectionem longe plurimi libri defendunt. *quod rex in invidia* Ven. 4. Vat. 1. 2. id non pro varietate lectionis habendum, sed solemni permutatione literarum *s* et *x* in textum venit. *ascendere* in omnibus est libris et quamvis *escendere* aliis locis Codd. auctoritate satis est comprobatum, tamen hoc per conjecturam auctori obtrudere temerarium est. *contra inceptum* i. e. inceptis ejus obviam irent; similis est locutio: *facere contra aliquem* Cic. Epp. 10. 9; auctor simplicitatem quandam prisci sermonis exprimere voluisse videtur. *diversius agitab.* cfr. Cat. 2. init. cfr. Liv. 26, 5; *animus* om. Ven. 3. *rapiebatur* Med. 4. 7. Vat. 1. 2. 3. 4. 5. Flor. 1. sed ceteri vulgatum comprobant. *ni — legatis.* hæc Cortius nulla idonea causa permotus uncinis inclusit. nam quod initio capitis similia leguntur, hoc argumento esse non potest. *porro* habet vim conjungendi sermonis; sed inest in his quoque certa quædam orationis simplicitas. apud alios scriptores et supra Cat. c. 46. *autem* additum est: *diducta* i. e. in omnes partes mœnium dispersa; cfr. Tac. Ann. 2. 11. *distantibus locis invecti, ut hostem diducerent.* Cæs. B. G. 6. 33. *dimittendae plures manus diducendique erant milites. — casum victoriae.* vide Liv. 4, 27. *noctu adorti castra consulis, rem in casum ancipitis eventus committunt.* id. 22, 32. *in casum universae dimicationis, quam omnibus artibus petebat, non veniebant.* Tac. Ann. 12, 14. *rem in casum dare proelioque experiri,* et id. 11. 9. *casus Mithridati datus est, occupandi Armeniam.* qui locus nostro est simillimus. *secus.* vide supra c. 20; et Liv. 10, 19. *rei bene aut secus gestae*

decus dedecusque. Ann. 13, 6. *honestis an secus amicis. secus loqui* id. 2. 50. i. e. maligne. *senati verbis.* vide supra c. 21.

Cap. XXVI. *Italici* eosdem intellige, quos supra togatos nominaverat. *defensabantur.* verba frequentativa usurpare Salustio usitatissimum. *tamen,* quod unus Cortii liber, Fabr. 2. omisit, ceteri constanter retinent; quare hoc delere nolui. *cogundi* Med. 10. *excruciatum necat.* cfr. Cic. pro lege Man. 5. *legatum P. R. vinculis ac verberibus atque omni supplicio excruciatum necavit.* — *negotiatores* Romani seu Italici sunt. *armatus fuerat.* Ven. 4. *interfecit* Vat. 2. 3. 4. miror neminem in hac voce offendisse, præsertim cum *necat,* quod præcessit, etiam ad hæc referri posset. Sed Salustius hoc iterum posuisse videtur, ut diversitatem mortis significaret; ceteri enim captivi pecoris instar trucidabantur, sed Adherbalem exquisitis suppliciis affectum interemit. nam non solum *necatus* dicitur, qui sine vulnere interfectus est, veneno aut fame. cfr. Fest. s. v. *neci* et *occisum,* et Prisc. 9. p. 861. Ed. Putsch. sed maxime ad tormenta referri, multa scriptorum loca docent. vide Cæs. B. G. 1, 52. et 7, 4.

Cap. XXVII. *est cognitum* Med. 4. *est* om. Vat. 5. probo. *coepta. coepit.* Med. 11. Vat. 1. 3. 5. falso. illud enim antiquorum scriptorum orationi convenientius, qui et alia verba ita flectere solent et v. c. *nequitur* dicunt. *interpellando.* vide Liv. 4, 43. *tribunis interregem interpellantibus, ne senatusconsultum fieret.* sed ad omnes magistratus hoc pertinet. *jurgiis trahendo tempus.* cfr. supra 23. *trahere bellum,* infra 36. *Jugurtha trahere omnia.* id quod aliis locis *diem eximere* dicitur. Cic. Epp. Att. 4. 3. *Metellus calumnia dicendi tempus exemit.* ad Q. Fratr. 2. 1. *Clodius rogatus diem dicendo eximere coepit.* — *atrocitatem facti leniebant.* i. e. id efficere studebant, ut hoc facinus minus atrox esse videretur. *C. Memmius* apud Cic. de Or. 2, 59. mordax dicitur. id in Bruto 36; « Tum etiam L. et C. Memmii fuerunt oratores mediocres, accusatores acres atque acerbi. Itaque in judicium capitis multos vocaverunt, pro reis non sæpe dixerunt.» pro Fontejo. c. 7. narrat M. Scauri testimonium in C. Memmium nihil valuisse, cum is accusatus esset. interfectus a C. Saturnino. cfr. Cic. Or. Cat. 4, 2. *dilapsa foret.* hanc lectionem omnes libri Italici confirmant. *erat,* quod nonnulli apud Cortium habent, satis elegans, sed plurium meliorumque librorum major auctoritas. id quod etiam ad sequens *erat,* pertinet, quod et ipse vellem abesse, sed omnium librorum obstat auc-

toritas. *Sempronia.* «ex qua provinciæ magistratibus nondum creatis a senatu decernebantur idque præcipuum ejus caput fuit.» cfr. Ern. Clav. Cic. pro Domo. 9. «provincias consulares C. Gracchus non modo non abstulit a senatu, sed etiam, ut necesse esset, quotannis constitui per senatum, decreta lege sanxit.» cfr. Epp. 1. 27. pro Balbo 27. et Orat. de provinciis consularib. *P. Scipio Nasica.* cfr. Cic. Brut. 34. et de Off. 1. 30. *L. Bestia Calpurnius.* de inverso nominum ordine vide præfat. p. 32. de ipsius natura Cic. de Or. 2, 70; Brut. 34. *declarati.* id ad præconem pertinet cfr. Virg. Aen. 5. 245. «victorem magna præconis voce declarat Cloanthum.» et Cic. pro Muraena 2. ubi hoc quidem ad ipsum, qui comitia habet, consulem refertur; sed etiam eo loco proprie præco intelligendus est, qui eum, qui plurimis suffragiis creatus est, consulem renuntiat. *portaretur.* similiter Cæs. B. Gall. 5, 23. *ut nulla navis, quae milites portavit, desideraretur. aliaque. quae* om. Ven. 2. *que* om. Vat. 1. probo.

Cap. XXVIII. *contra spem.* recte Cortius pro adjectivo positum esse statuit; *insperato.* sed minus idoneis exemplis hunc usum loquendi confirmat. *venum ire.* quod optimi Codd. habent, similes locutiones, *venum dare, pessum ire* et *pessum dare* et aliorum scriptorum auctoritas satis defendit. cfr. Gell. 7, 4; *pileatos servos venum ire solitos.* Plaut. Merc. 2. 3. 19; *illam abstrahat, trans mare hinc venum asportet.* Liv. 3. 55. *Ut ejus familia ad aedem Cereris venum iret. — in animo haeserat.* cfr. Curt. 6. 2. 8. *ad hoc in animo regis tenues reliquiae pristini moris haerebant.* Cic. Ac. Quæst. 1. 1; *haeret in memoria.* Tac. Hist. 1. 72; *haesere animo convicia.* etiam a reliquis scriptoribus præpositio plerumque omittitur. *duo,* quod Cortius receperat, nullus ex nostris Codd. tuetur. *ut omnis.* Vat. 1, 3. 4; *ut adgrediantur.* Vat 2. *ut pecunia* Vat. 5. qua lectionis varietate comprobatur, ab auctore conjunctionem fuisse omissam. *pecunia adgrediantur.* simile Virgilianum Aen. 4. 92. «aggredi aliquem dictis.» sine casu infra c. 46. legatos *alium ab alio diversos aggreditur.* Cic. Epp. Att. 12. 33; *si nec Drusus facilem se praebuerit, Damasippum velim aggrediare. — adventabant.* consilio imperfectum hoc loco positum; legati enim nondum Romam pervenerant. *consultus est. est* om. Vat. 4. non placet propter sequens *hique.* sed eo loco *hique* an *iique* scribendum sit, dubium. *hi* est in Med. 9. Vat. 2, 3. sed ne id quidem satis elegans est. pro-

nomen omissum esse vellem, sed librorum obstant testimonia. *ipsumque*. *que* om. Med. 8. 11. quod sensu caret. *in diebus proxumis*. *proxumis* Cortius falso suspectum habuit, nullo alio argumento usus, nisi quod in uno libro recentiore manu adscriptum esse videtur. sed tantum abest, ut ab aliena manu sit additum, ut potius senatusconsulti, ab iratis patribus facti, hac voce adjecta, formula acrior atque severior fieri videatur. *nunciari*, ut *comperire*, *explorare*, sæpius apud historicos sine casu ponitur. *infectis rebus*. ceteri scriptores fere *re infecta*. — *munita*. cfr. Q. Cic. de Petit. Cons. 7. ubi homo nullis amicis *septus* atque omnium bona existimatione *munitus* dicitur. et Cic. Epp. 9. 18. *munio me ad haec tempora* dicit. *de natura et habitu*. hæc etiam Cicero junxit pro Archia 7. *naturae ipsius habitu prope divino* etc. cfr. Cic. de Inv. 2. 53. «habitum autem appellamus animi aut corporis constantem et absolutam aliqua in re perfectionem, aut virtutis aut artis perceptionem alicujus, aut quamvis scientiam.» *multae bonaeque*. hoc ex Græco expressum πολλαὶ καὶ ἀγαθαί. *praepediebat*. cfr. Flor. 2. 8. 17. *sed haec omnia praepedita magnitudine sua*. etiam apud Ciceron. uno loco occurrit. pro Rabir. 7. sed Plauto imprimis atque Terentio et antiquæ dictionis imitatori, Tacito, usitatum est. *acri ingenio* i. e. magno animi vigore. *providens*. cfr. Cic. Epp. 6. 6. *homo est valde acutus et multum providens*. idem est quod *providus* et *cautus*. — *firmissimus* i. e. minime timidus, animo forti atque obfirmato. *insidias* credo addidit, ut varia periculorum genera significaret. *Siciliam*. præpositio in optimis libris omissa; id quod sæpius fit in minoribus insulis, sed etiam in nominibus regionum atque provinciarum hoc passim apud optimos scriptores occurrit. cfr. Ruddim. Inst. Gr. Lat. 2, p. 283 et 84. et infra 33. *pugnando cepit*. vide Cat. 7.

Cap. XXIX. *administrabat*. i. e. gerebat. ita etiam Cæs. B. Civ. 1. 25. locutus est. etiam Livius 10, 24; sed maxime ad imperium pertinet. cfr. Cic. de Div. 2. 36; *bella a proconsulibus et propraetoribus administrantur*. — *asperitatem* i. e. difficultatem; cfr. infra 92. et Cat. 10. *aeger avaritia*. hoc ita dictum, ut *aeger amore* apud Livium 30. 11. neque potuit auctor hoc loco iterum dicere *avaritia* consulis animum fuisse conversum, cum jam supra hoc vitio eum laborasse dixerit. contra si *avaritia* cum *aeger* conjungitur, auctor iis, quæ jam supra docuerat, consentanea dicit. *administer* i. e. qui omnia consilia effecta daret. Cic.

de Legg. 3. 19. *Jovi se consiliarium et administrum datum.* id. Verr. 4, 28. *rerum hujusmodi omnium transactor et administer.* — *abstractus est.* de hac re Flor. 1. 3. *cum in Scauro ipsos Romani imperii mores expugnasset Jugurtha. acceperat* ex libris Italicis solus Med. 7. et multo sæpius, cum *postquam* præcesserit, perfectum in plusquamperfectum mutatum invenias, quam contrarium. *pactionibus fidei causa.* «ut Jugurtha fidem haberet Bestiae, missus Sextius Quæstor quasi obses in oppidum Jugurthæ» C. *Vacca.* ita omnes fere libri Italici. ceteri quidem scriptores, Ptolemæus, Plinius, Plutarchus, Silius, Augustinus frequentius *Vaga*, sed his in rebus optimi cujusque libri maxima auctoritas. *cujus rei species.* hæc loquendi ratio quam maxime notanda; frequentior enim substantivorum abstractorum usus serioribus inprimis scriptoribus convenit. *species* veritati opposita. Cic. N. D. 2. 3. *veritas auspiciorum spreta est, species tantum retenta.* vide supra Cat. 38. *specie senatus.* vulgari sermone hoc ita dici potuit: quod factum esse simulabant, quasi frumentum acciperet. *deditionis mora.* casus sextus est, i. e. quia moræ deditioni objectæ fuerant. *induciae agitabantur.* bellum et pacem agitare apud Sal. sæpius occurrit. vide Cat. 61. et infra 109. *consilio.* qui in consilium adhibiti fuerint, vide infra cap. 62. et 104. ceterum *consilio*, non *concilio* hoc loco scribendum esse per se patet. de discrimine utriusque vocis acutissime egit Gronov. ad Liv. 44. 2. *facti sui.* pronomen omnes fere libri retinent; neque assequaris, qua causa inductus Cortius id ejecerit, nisi brevissima quæque dictio ei maxime probaretur. sed pronomine omisso obscurius est, quod factum sit intelligendum. *quasi per saturam.* Fest. s. v.: «Satura et cibi genus, ex «variis rebus conditum est, et lex multis aliis legibus conferta. Itaque «in sanctione legum adscribitur, neve per saturam abrogato aut dero«gato. S. Annius Luscus in ea, quam dixit adversus Tib. Grachum: im«perium, quod plebes per saturam dederat, id abrogatum est: et C. Læ«lius in ea, quam pro se dixit: dein postero die, quasi per saturam ex«quisitis sententiis, in deditionem accipitur." ubi recte Cortius: «manifesto Salustii nomen, et ante illud verba Laelii omissa sunt.» — Ex veterum auctorum locis hoc patet, *per saturam aliquid facere* significare confuse, nullo ordine aliquid tractare multaque conjungere, quæ melius disjungantur. parum usitatam hanc fuisse dictionem, eadem auctorum testimonia docent; Salustius, ut verbi insolentiam molliret, *quasi* adje-

cit. *pro consilio.* vide Fest. s. v. «*Pro* significat *in*, ut *pro rostris*, *pro aede*, *pro tribunali*», et infra cap. 67. præterea Gronov. Observat. IV. 1. *imperatum erat.* etiam hoc loco Cortius verbum contra Codd. auctoritatem delevit. *parvo argenti pondere.* bene hæc lectio se habet. scilicet ex hac quoque re perspectum est, Jugurthæ deditionem simulatam fuisse, quod non magna pecuniæ vis ei imperata fuerat. *ad magistratus rogandos.* hæc vox propria. vide Fest. s. v. „rogat est consulit populum, vel petit ab eo, ut id sciscat, quod ferat.“ et s. v. *rogatio.* „rogatio est, cum populus consulitur de uno pluribusve hominibus, quod non ad omnes pertineat, et de una pluribusve rebus, de quibus, non de omnibus sanciatur.“ cfr. Liv. 6, 42. *ut duos viros aediles ex patribus dictator populum rogaret.* id. 4. 2. *nunc rogari, populus consules creet. et* 10. 7. *cum plebejus consulatus rogabatur.* ex quibus locis patet, quæ primaria hujus vocis significatio fuerit.

Cap. XXX. *quoque modo actae forent. que*, quod pauci libri omittunt, retinendum. recte enim Cortius dicit, *agere* hoc loco ad conditionem rei gestæ declarandam pertinere. *conventus.* vide Fest. s. v. «significatur multitudo, ex compluribus generibus hominum contracta in unum locum.» *agitare* i. e. agere, disputare, conqueri; cfr. Liv. 30, 3. *saepius ultro citroque agitantibus rem conventuram.* id. 9. 5. *quum de foedere victor agitaret.* — *solliciti erant.* hæc Cortius expunxit, eandem hujus loci conditionem esse ratus, quam supra Cat. c. 46. vidimus. sed primum omnes libri ad unum hæc verba tuentur, et ne in verborum quidem ordine variant, nisi quod in Med. 4. et hæc et vox *patres* omissa sunt, unde hoc incuria librariorum factum esse intelligitur. tum sæpius quidem *sollicitus* pro *dubius* sive *anxius* dicitur, ita ut conjunctivus sequi possit; sed cum Cortius ipse hanc verborum structuram improbet, vix causam probabilem attuleris, cur haec a librariis interposita fuerint. Quæ enim Cortius disputavit, ea parum firma jure dixeris. Quare nihil est, quod hunc locum suspectum habeas. Asyndeton Salustianæ orationi quam maxime consentaneum; neque, si verba *solliciti erant* suppositia essent, auctor *probarentue*, credo, dixisset. hæc enim verborum compositio duriuscula. *subvorterent* i. e. irritum facerent; cfr. Justin. 6. 3. *ne tot bellis quaesitum imperium brevis momenti culpa subverteret.* — *parum constabat.* hoc ad ipsos patres pertinet. scilicet ipsis non deliberatum, non certum fuit, ut apud Liv. 30, 28. *nec*

satis certum apud animum constare poterat. — *ferebatur.* rarius hoc verbum ipsis substantivis jungitur; plerumque verbum substantivum interponitur. cfr. Horat. Od. 2. 19. 26. *non sat idoneus pugnae ferebar is.* — *vero bonoque.* conjunctionem Cortius in uno libro omissam delevit. sed fac in nominativo vel accusativo hoc sæpius fieri, hoc ad alios casus non pertinet; quod enim in solemnibus formulis est usitatissimum, hoc ab aliis locutionibus alienum; *impediebat* i. e. prohibebat. ita etiam apud Ciceronem hoc verbum jungitur. cfr. Or. pro Balbo. 20. pro Mur. 19. *de cujus — odio potentiae nobilitatis.* memoranda hæc trium genitivorum conjunctio. sed hæc omnia *cujus de — diximus* Gruterus ab aliena manu adscripta statuit, non dissentiente Cortio. *dubitationes* Ven. 1. hoc a librariis mutatum, ut vocum terminationes aequarent. *hortari; monere ne rempublicam, ne libertatem suam desererent.* quod in hoc loco libri variant, et alii alia omittunt, Cortius hunc locum ita refingendum esse statuit: *hortari, rempublicam, libertatem ne desererent.* tantum opinionum, quas quis animo præcepit, perversitas ad ingenii acumen perturbandum valet. fugit eum, quanta vis insit in verbo *monere* post *hortari* apposito; etiam hoc neglexit, consilio particulam *ne* ab auctore bis positum esse. præterea pronomen *suam* quam significanter dictum sit, parum intellexit. populi enim libertas in eo erat posita, ut omnium rerum summum penes illum esset arbitrium. Omnia igitur magistratuum decreta aut rata habere aut abrogare populo licuit. hoc jure ut uterentur, plebem admonuit Memmius. *superba et crudelia.* copulam, quam tres Cortii libri delent, nostri omnes retinent. solus Vat. 3. *ac* habet. *ostendere.* i. e. exponere, quam multa superbe et crudeliter ab illis acta fuerint. *prorsus intentus.* cfr. cap. 23. *Romae.* poterat quidem hæc vox omitti, quod hoc facile intellexeris; sed cum omnes libri Italici præter Ven. 4. qui *Cai. Memmii* habet, eam tueantur, duorum librorum fide omittere nolui. licuit enim auctori hoc addere, ut accuratius diceret. *orationem ejus.* pronomen omittunt Guelf. 9. 10. id quod et ipse deleverim, si plures Codd. consentirent. *ea dicam.* unus Guelf. 7. *dicam* omittit; ceteri nihil variant. quare haud facile dixeris, quid Cortii conjecturæ, hæc verba ejicientis, opponendum sit. Ac primum quidem, quamvis hæc verba omitti posse recte dixeris, tamen a Salustii oratione haud aliena sunt; quippe qui talia multa addidit, quæ, si ad solam brevitatem retulisset orationem, omittenda erant. Neque in eo aliquis offendat, quod auctor *dicam* pro *scri-*

bam seu *scripturus sum* posuit. Nam hoc quoque alibi occurrit. Necesse igitur non est, ut hæc deleantur, sed ne elegans quidem. *potissimum* enim cum *decere* jungere, vide ne durius sit. quare omnium librorum lectionem probam esse judico.

Cap. XXXI. *me dehortantur*. Cortius, qui falso Bas. 1. verborum ordinem mutare dicit, pronomen ex more delevit; quo omisso totius sententiæ elegantia perit. sed quod idem *multa a vobis* conjungi posse statuit, tota via erravit. simillimum est initium orationis Catonis contra Servium Galbam: vide apud Aul. Gellium 13, 24; „*multa me dehortata sunt huc prodire, anni, aetas, vox, vires, senectus*. sed idem locus luculenter docet, Salustium quidem flores Catonianæ orationis collegisse, non autem omnia immutata in suum librum transtulisse. *opes factionis*. *factionem* Salustius ad senatum retulit, populi *partes* esse dicit. vide infra. cap. 41. et spectant fere factiones ad ὀλιγαρχίαν, quare sæpius *paucorum* addi solet. *jus nullum*. ita apud Ciceronem sæpius, *nulla respublica*, *nullus senatus*, *nullus imperator*. sed hoc loco abruptius dictum pro *omnis juris eversio*. ceterum *patientia* hoc loco in malam partem esse accipiendum non est, quod moneam. *his annis quindecim*. in paucis libris numeri variant, alii enim X. alii XII habent. illud utique rectius; haud dubie ad caedem C. Gracchi hoc referendum, qui decem annis ante occisus fuerat. *quindecim*, quod auctor dixit, videtur ad injurias spectare plebi post Tiberii mortem illatas. sed recte Cortius monet, viginti annis rectius dictum esse; poterat adjicere, idem oratoris ingenio multo aptius esse, quippe qui rem atrocem potius auxisse, quam minuisse putandus sit. accedit, quod in sequentibus haud dubie etiam Tiberii Grachi cædis mentio fit. quare haud scio, an rectius XX scribatur. *defensores*, Tiberium et Cajum Gracchos puta. *ut vobis animus*. hoc significantius pro: ut vester animus. *ab ignavia*. præpositio adjecta, ut vis causalis ablativi fortius exprimatur. ut enim sæpius rebus personarum vim tribuit auctor, ita etiam hoc loco præpositionem adjecit. multa, quæ Cortius congessit loca et ad hunc locum et ad Cic. Epp. 13. 10. et ad 11. 13. et 10. 8. non ejusdem sunt generis. *obnoxius inimicis*. recte Cortius: cum inimici vestri delicti conscientia vobis subjecti sint. cfr. Cat. 20. et Fragm. Hist. IV. Ep. Mithrid. *ille enim obnoxius, qualem tu voles societatem accipiet*. item Liv. 23. 12. *si reticeam, aut superbus aut obnoxius videar*.—*eos, quibus*. pronomen demonstrativum, quod omnes

libri tuentur, magna cum vi additum, id quod fugit Cortium. pro *quibus* cum paucis libris *quis* scribendum esse videtur. *potentiae factionis.* hoc ordine Vat. a. *subigit.* cfr. supra cap. 24. verborum structura poetica. cfr. Virg. Aen. 3. 257. *dira fames subigat malis absumere mensas.* — *ob rem.* cfr. Cat. 20. ceterum Cortius etiam hoc loco contra Codd. auctoritatem et pronomen *meo* et verbum subst. *est.* delevit. *neque ego vos hortor.* — *vos* et Italici libri, et ipsius orationis concinnitas satis defendit. *uti* Ven. 3. Vat. 4. 5. *contra injurias armati eatis* i. e. ut armis captis vi injurias vindicetis. *est opus* Med. 4. *praecipites eant.* cfr. Cat. 25. et infra 41. *regnum parare.* cfr. Cic. Lael. 12. *Tib. Gracchus regnum occupare conatus est, vel regnavit is quidem paucos menses.* Sal. ipse infra 42. rectius hac de re judicat. Ciceronis enim fluctuat judicium. aliter sentit, cum in senatu, aliter cum pro rostris verba facit. *in plebem.* cfr. Vellej. 2, 17. *crudelesque mox quaestiones in amicos clientesque Gracchorum habitae sunt.* — *M. Fulvi.* uno i. scriptum, ut omnes hi genitivi in optimo quoque codice. ceterum res ipsa satis nota. cfr. Cic. Or. in Cat. 1. 2. et 4. 2. Appian. de Bell. Civ. 1. 26. Καὶ τοὺς συμφρονήσαντας ὁ Ὀπίμιος συλλαβών, ἐς τὴν φυλακὴν ἐνέβαλε καὶ ἀποπνιγῆναι προσέταξε. *nostri ordinis.* Vat. a. quod quamvis recte dici potuit, (tribunos plebis enim ex plebe creatos fuisse satis constat) tamen plurimorum librorum adversatur auctoritas. neque statuendum est, in hac quoque re tribunum plebis gratiam captasse, quod se eodem genere natum dicat. Contra, cum ipsorum inertiam accuset, se ipsum libertatis studiosissimum professus sit, suam ab illorum causa segregasse putandus est. *utriusque cladis.* usitatior in hac verborum structura est dativus. ita supra cap. 5. dativum et genitivum habet Senec. de Clem. 1. 12. «cui occidendi finem fecit inopia hostium.» *nequitur* passive dictum, ut *coeptum est*, *potestur* etc. cfr. Lucret. 1. 1045. *dum veniant aliae et suppleri summa queatur.* Plaut. Rud. 4. 4. 20. *Ut nequitur comprimi.* Cum alios scriptores antiquos, tum Catonem ita locutum auctor est Festus s. v. cfr. Non. Marc. 10, 8, 35. et Struve de Latin. Declin. et Conjug. s. v. *queo.* — *ulcisci.* passive dictum, quod alibi non occurrit, præter participium perf. apud Liv. 2. 17. *ob iras graviter ultas.* sed participii alia est ratio. activum Ennius usurpavit. cfr. Non. Marc. 4, 155. «nisi patrem materno sanguine exanclando ulciscerem.» *paucis nobilibus.* quod Cortius etiam hoc loco *nobilibus* suspectum habet, ex more facit, cum iisdem ubique dicendi formulis auc-

rem usum esse statuat. *haec talia.* cfr. supra c. 10. Terent. Eun. 1. 2. 81. *parum habuere.* idem, quod infra *illis parum est.* cfr. Vellej. 2. 76. *qui natus obscurissimis initiis parum habebat summa accepisse* etc. apud Quinctil. Declam. 14. 5. est *parum putant.* Senec. de Ben. 2. 12. *parum judicavit.* oppositum est *satis habere*, quod Cato dixit apud Gell. 17. 13. et apud Cornelium Nepotem ipsumque Ciceronem passim occurrit. cfr. etiam infra cap. 85. *parum id facio.* — *qui ea fecere. ea* in Med. 2. m. sec. adjecit, Ven. 3. om. quare Cortio assentior, qui hanc vocem dubiam esse judicavit. *per ora vestra.* dictum ut *fabulantur per vias*, *invitati per domos.* cfr. Cic. Epp. 1. 7. Horat. Sat. 2. 1. 65. *nitidus qua quisque per ora incederet.* — *pars* semel positum et ipsum a vulgari dicendi ratione abhorret. cfr. Virg. Aen. 1. 215. *magnifici.* quanto hoc sit significantius quam adverbium, neminem fugit. Cortius, cum et hoc loco aliena, non hujus loci naturam spectaret, scriptoris elegantiam corrupit. *ea honores non praedas.* ita Vat. a. quæ pessima lectio iterum comprobat, vel optimos Sal. Codd. parum inter se consentire et passim esse corruptos. *Vos in imperio nati.* Vat. a. sed vel hæc lectio parum probabilis. *Quirites* enim, quod magna cum vi additum est, omitti non debuit, et *in imperio nati* h. l. commodum sensum non habet. Dativus solus huic loco aptus est. *qui sunt ii* Vat. a. *qui sunt*, *qui* Med. 8. neutrum placet. *hi* enim magis δεικτικῶς positum et majorem vim locutioni addit. *sceleratissumi.* hanc terminationem Vat. a. confirmat. *immani.* unde hæc vox derivanda sit, incertum; alii ab ἰμμανής, alii ab *manus* seu *manis* i. e. bonus deducunt. sed neutrum satis probabile. Immanitas proprie est quidam animi stupor, unde oritur crudelitas et saevitia. Cic. Partit. 23. *prudentiam malitia*, *temperantiam immanitas in voluptatibus aspernandis imitatur.* — *nocentissumi.* nocens dicitur is, qui injuriam aut maleficium committit. cfr. Cic. de Off. 2. 42. *ita esse habendum religioni, nocentem aliquando et nefarium impiumque defendere.* cfr. Non. 5. 64. — *Ita quam quisque pessime fecit*, *tam maxime tutus est.* cfr. Terent. Heaut. 5. 3. 44. *namque adolescens, quam in minima spe situs erit*, *tam difficillime patris pacem in leges conficiet suas. quam* — *tam* pro *ut* — *ita* ponitur. sed hoc rarius occurrit. Cato R. R. c. 65. *quam acerbissima olea oleum facies*, *tam oleum optimum erit.* Varro R. R. 2. 9. *quam paucissimos reliqueris*, *tam optimi fiunt.* — sententiam quod attinet, recte Cortius eandem dicit, quæ in Hist. Fragm. 1. brevius ita

expressa est: *injuria gravitate tutior est.* — *transtulere.* vide supra cap. 1. *idem cupere* Vat. 2. *tam — haberetis* pro tantum. cfr. Cat. 7. *magis lubidinem habebant.* et 58. — *ad dominat. accens.* i. e. quanta cupiditate imperandi isti flagrant. similia sunt: *accensa studia in Agrippinam* Tac. An. 3. 4. *accensus ad certamen.* Hist. 2. 68. *in arma* Vell. 2. 98. *amicitia est.* Vat. 4. 5. quo solo loco recte poni posse verbum Cortius statuit. *vastaretur.* vide infra cap. 41. *invadere, polluere et vastare omnia.* et Cat. 15. i. e. labefactaretur, everteretur. *beneficia populi* sæpissime magistratus et imperia dicuntur; vide infra cap. 85. *parandi juris.* Antea enim, cum nulli plebis defensores essent, plebis jus nullum, lubido patriciorum pro legibus fuit. *majestatis constituendae gratia.* cfr. Cic. ap. Quinctil. Jnst. Rhet. 7. 3. fin. *majestas est in imperio et in omni populi R. dignitate.* Cic. de Inv. 2. 17. «majestatem minuere est de dignitate, aut potestate populi, aut eorum, quibus populus potestatem dedit, aliquid derogare.» *Aventinum.* cfr. Cat. ad cap. 33. *non* pro *nonne,* quod duo libri apud Cortium habent, nullus ex Italicis libris defendit. *quod majus* Ven. 1. Vat. 4. 5. *quia* Vat. 2. alii apud Cortium *quoniam.* quæ quidem variantes confirmare videntur lectionem ab eo receptam *quod.* sed cum difficillimum sit, de ejusmodi lectionibus certi quid statuere, plurimorum optimorumque librorum lectionem sequor. ceterum in rem cfr. Thuc. 2. 62. αἴσχιον δὲ, ἔχοντας ἀφαιρεθῆναι ἢ κτωμένους ἀτυχῆσαι. *vindicandum in eos.* ita hæc vox etiam apud Ciceronem construitur. *quod magis fecisse quam accidisse indignum est.* Vat. 5. en! lectionem brevissimam eandemque pessimam, nervos enim orationis incidit. *vobis fecisse.* Vat. 2. et Ven. 3. quam lect. Cort. potiorem judicavit; sed bene se habet *vos,* quod librarii, quod insolentius visum est, in *vobis* mutarunt. *pervenerant.* Med. 7. quæ lectio haud contemnenda. *damna in remp. perveniunt.* ita dicitur *in timorem, in senatum, in amicitiam, in odium pervenire,* sed sensus est diversus, quia hoc plerumque ad personas refertur. *obediens erit.* rarius participium præsens facit periphrasim. cfr. Ter. Andr. 3. 2. 28. *ut sis sciens.* Ovid. Pont. 4. 3. 35. *omnia sunt hominum tenui pendentia filo.* — *bella atque paces.* conjunctionem, quam Cortius delevit, aliorum locorum analogiam secutus, omnes libri retinent. *paces.* vide Non. Marc. 2. 621. qui locum ex Varronis libro de vita populi Romani laudat, ubi pluralis hujus vocis est positus. cfr. Plaut. Pers. 5. 1. *pacibus perfectis,* Horat. Epp. 2. 1. 121. *hoc paces habuere bonae,* Lucret. 5. 247.

et 1228. *ventorum paces.* — *penes paucos.* hoc loco libri nil variant, quod luculento est testimonio utramque dicendi rationem Salustio placuisse. *Atq. ego.* ita longe plurimi Itall. Codd. *At ego* Vat. 5. *Atque* Min. 2. quod nunc mihi præferendum esse videtur. nam nihil in præcedenti sententia inest, cur sequentia ei opponat orator. *virum flagitiosissimum.* ita etiam longe plurimi ex Ital. libris. sed verum, quod Rivius restituit *viro flagit.* ferri etiam potest nonnullorum librorum lectio *in virum flagit.* sed illa vera lectio, quam corruperunt librarii, verborum structuram leviter oculis perlustrantes. *casura esset* eodem sensu dictum, quo supra *evadere.* ita dicitur: *cadere in irritum*, *incassum.* Tac. Ann. 15. 39 et 51. Plaut. Poen. 1. 2. 147. nam *in morbum* et *in offensionem cadere*, quod dicitur, alienum est. sensus igitur hujus locutionis est: misericordia hunc exitum est habitura, ut perniciem afferat. — *importunitatis.* de hujus vocis significatione jam sæpius est expositum. *intellegetis.* ita etiam Vat. a. *per manus* i. e. manu, per vim. *impunitum omitt. amitt.* Vat. a. *aerari* idem liber. *gravia sint* Med. 4. *per consuetudinem* Ven. 3. glossa, quæ multæ in hoc libro leguntur. *ni vindicat.* Vat. 1. 4. *et nisi vind.* Vat. 2. 5. *nisi vindicantur* Vat. a. *ni* pro *nisi* videtur scribendum. *quid relicum* Vat. a. *erit* omisso. quæ melior lectio esse videtur. *obedientes vivamus.* recte Cortius: «plus est quam obedientes simus, et perpetuitatem simul denotat.» idem recte laudat Lucan. 3. *pacique intentus agebat.* et Plaut. Casin. *malo hercle vestro tam versuti vivitis.* cfr. Cort. ad Cic. Epp. 4. 9. *vos*, *Quirites.* pron. om. Ven. 1. quod hoc loco mihi quidem elegantius esse videtur. consentit Guelf. 4. *si injuriae — egens.* bene Cort. «præfracta hæc sententia et ante exspectatum cadens nec semet satis explicans.» sed in hac ipsa figura maxima vis est, eaque sæpissime summi oratores usi sunt. Scilicet quod supra dixerat, in gravissima injuria summum nobilitatis esse præsidium, huic sententiæ jam contrariam opponit: quo gravius vindicentur injuriæ, eo tutiores fore plebejos. hoc igitur dicit: prohibeatis injurias. his enim sublatis, satis firmo præsidio eritis muniti. qua quidem sententia commode oratio claudi potuit; hoc enim firmissimum fuit argumentum ad plebis animos movendos, quod summa poenæ severitas et reipublicæ et ipsis saluti erat futura. — Ceterum hanc orationem sapientissimis sententiis gravibusque verbis ornatam esse et perpolitam, nemo est, quin intelligat. quare de flumine et varietate orationis fusius disserere super-

vacaneum duco. genus orationis forte, vehemens et incitatum. Ut enim audientium animi moveantur, ipsum oratorem et animo commotiorem atque acriorem esse oportet. Quare non tam aptis verborum numeris et orationis concinnitati studet, quam id agit, ut animi ardorem sermonis gravitate effingat. Abruptum igitur sermonis genus, quod Salustio proprium esse Quintilianus judicavit, in hac oratione imprimis expressum est. Ita enim et ingenii libertas et nobilitatis odium, quo Memmium flagrasse auctor supra memoravit, luculentissime sese ostendit. Quare si quis est, qui hanc orationem asperam et horridam, incultam minusque conclusam dicat, tantum abest, ut auctoris laudes imminuat, ut potius ejus artem aperiat, qua diversissimorum hominum naturas atque ingenia orationibus depingat; ita dicuntur omnia cum rei, tum personæ accomodata. Plebis inertiam acriter incusat, dolore acceptæ injuriae eorum animos pungit, nobilitatis avaritiam et saevitiam gravissimis verbis illustrat, eorumque scelera vindicanda esse docet. Sed cum plebis animi, timore perculsi, a seditione abhorrerent, non turbarum est auctor, sed ut populus jus suum persequatur, id suadet ipsisque atque reipublicæ utilissimum esse comprobat. Non autem de singulis sententiis separatim disputat, sed modo hæc, modo illa illustrat, ita ut dolore et ira animus abripi, et magis mentis quodam impetu quam cogitatione uti videatur. —

Cap. XXXII. *eumque*, quod in duobus Cortii libris omissum est, Italici tuentur; solus Med. 11. *que* omittit. sed vel hoc mihi durius videtur, nedum ipsum pronomen ab auctore omissum esse statuerim. *interposita* i. e. data, seu aliqua re fide publica confirmata; sed major vis in verbo inest, quo auctor usus est. *Scauri*, *reliquorum*. idem Cortii liber, in quo supra pron. omissum fuerat. quod qui ferre potest, eum Latini sermonis ignarum dixerim. *imperatoris sui*. pronomen hoc loco omnes libri retinent, neque id abundare dixeris, quamvis ejus vim magis sensu percipere, quam verbis illustrare possis. *plurima et flagit.* et Ven. 1. et 2. perperam omittunt; jam supra enim de hoc usu loquendi memoratum est. — *fuere qui* — *traderent* — *vendere agebant*. hæc varietas constructionis Salustio usitatissima; quamvis igitur omnes fere libri *venderent* habent, tamen *vendere* veram lectionem esse judico. post *alii* enim conjunctivus locum habere non potest. *veluti tabes*. cfr. Cat. c. 36; et supra cap. 14. ceterum præpositionem, auctoritate meliorum librorum

permotus, delendam esse censeo. *At Cassius* [*praetor.*] etiam vox *praetor*, quam perquam dubiam, delere nolueram, haud dubie a librariis ficta, qui literas P. R. quæ sunt in Vat. 3. 4. et in Barb. 2. prave interpretati sunt; accedit, quod in Med. 1. et 7. et istæ literæ et explicatio leguntur *p. r. perl. rog.* vel. *perl. rog. p. r.* et quod in Vat. 5. et Ven. 3. hæc vox plane omissa est. *eique timido. que* solus Eccard. omisit, liber haud ita magnæ auctoritatis. quare hoc quidem loco copula retinenda. sed sequens *et* Ven. 2. et Vat. 2. omittunt. *quod se.* vide Cat. cap. 34. sed hoc insolitum, quod hoc loco non particula negativa præcedit, quod alibi fieri solet. vide Horat. Tursell. pag. 763. seq. et 1152. exempla, ubi nulla negatio antecedit, non sunt in promptu. *misericordiam ejus.* pron. om. Med. 7. et Vat. 5. cum hic liber sit e melioribus, ejus auctoritati cedo.

Cap. XXXIII. *in ipso magna vis animi erat, confirmatus.* hæc Cortius jungenda esse judicat, et nominativum absolutum esse dicit. id quod falsissimum. quodsi enim in ipso magna vis animi erat, quid ei opus ceterorum confirmatione? sed ad sequentia hæc pertinent. scilicet tribunum plebis corrumpere Jugurtha non ausus est; sed cum animum ei adderent tot viri nobiles, eorum consilio ad tantum facinus se impelli passus est. *cuncta ea gesserat, quae supra diximus.* in hoc loco libri Italici nihil variant, nisi quod Vat. 5. *ea* omittit. quod videtur esse delendum. sed cetera expungere, quia in aliis libris est *memoravimus*, in nonnullis *narravimus*, mihi quidem videtur esse audacius. facile enim fieri potuit, ut librarii hoc modo verbum *diximus* non satis usitatum interpretarentur. *jus et injurias.* opposita jungere amat Salustius. cfr. supra cap. 14. et sæpissime alibi. *sceleris sui. sui* om. Vat. 5. *socios suos tanti sceleris* Ven. 2. cum accedat varietas librorum Rivii, pronomen delendum esse censeo. *animos eorum.* pronomen unius libri fide Cortius expunxit; sed hoc est elegantius, quam quod a librariis additum statuas. *Numidiaeque.* Nomina terrarum sæpius ut nomina urbium construuntur; vide, quæ loca Cortius laudat, B. Gall. 8. 1; Justin. 14. 5. Cæs. B. Civ. 3. 106. Flor. 1. 18. et Editt. ad hæc loca, quibus adde Ruddim. Inst. L. L. 2. p. 284. *ea egerit.* pronomen vel hoc loco ejiciendum esse putavit Cortius. sed falso. perversum emendandi studium virum doctissimum in errorem induxit. *verum aperiat.* Med. 2. 5. 8. 9. Flor. 1. quod recipere non dubito, cum etiam Bas. 1. auctoritas accedat. *aperiret* Med. 4. Ven. 1. *sed se suasque.* nullus ex Italicis libris Cortii emendationem *sese* exhibet.

quæ quamvis haud omnino improbanda sit, tamen paucorum Codd. fide eam non receperim. *suasque spes. suamque spem.* Ven. 3. *opes* Med. 1. 7. Ven. 1. *res* Med. 9. sed recepta lectio bene se habet. cfr. loca a Cortio laudata Cat. 21. 20. Fragm. Hist. 3. Ep. Pompej. adde Cat. cap. 35.

Cap. XXXIV. *atque aliis omnibus.* de hac formula jam supra est expositum. *quae ira fieri amat.* ex Græcis hæc expressa sunt. i. e. ἃ ὑπ' ὀργῆς γίγνεσθαι φιλεῖ. quæ enim Cortius laudat Thucydidis loca, non quadrant, cum nominativus singularis antecedat. similem locum laudat Quinctil. Inst. Rhet. 9. 3. 17. *vulgus amat fieri*, quod perperam a librariis exaratum puto pro: *quae in vulgus amat fieri.* Exempla hujus locutionis apud alios scriptores frustra quaesieris. *discessit* Med. 1. 4. 8. 9. Ven. 1. 4. Vat. 2. 4. Flor. 1. sed ceteri præsens confirmant.

Cap. XXXV. *erat ea temp.* ordo verborum apud Cortium corruptus est. *Massiva.* de alio Massiva, Massinissæ fratris filio, vide Liv. 27. 19; et 28. 35. *profugus abierat.* vide infra c. 56. *profugi discedunt.* Prop. 4. 1. 39. *profugos misisti Troja penates.* — *Sp. Albinus.* ex gente Postumia. *Q. Minuc. Rufo.* apud ceteros scriptores prænomen *Marcus* scribitur. de his consulibus vide Pighii Annal. Tom. III. pag. 120. *cum metu.* sensu passivo dictum. cfr. Non. Marc. 2. 554. qui *metus Pompeji victoris* recte explicat, *quod de Pompejo metuerent.* cfr. Gell. 9. 12. «metus hostium recte dicitur et cum timent hostes, et cum timentur.» etiam Quinctilianus ita præcipit: «metum duplicem intelligi volo, et quem facimus, et quem patimur.» *urguent.* hæc antiquior scriptura. urgere idem est, quod premere; et sensus totius sententiæ hic est: cum Jugurtha et in odio esset, et metueretur. *movere quam senescere.* duplex constructio cum verbo *malle* conjuncta. nam et infinitivus et acc. cum inf. sequi potest. *omnia movere* i. e. perturbare. ita Cat. 22. *quieta movere.* Liv. 35. 13. *ne quid, absente se, a tergo moveretur.* dixerit aliquis *movere* hoc loco dictum esse pro *suscipere, moliri,* quæ significatio et ipsa satis frequens, sed huic loco parum accomodata est. *senescere* i. e. deficere, viribus destitui. cfr. Nep. Alc. 5. *Atheniensium opes senescere. laus oratorum sen.* Cic. Tusc. 2. 2. *pugna, bellum.* Liv. 30. 19; 5. 21. — *conscientia,* ut in Catilina *animus conscius* scil. mali facinoris. *impediebat.* vide infra cap. 70. *metus rem impediebat* et supra 30. *eos potentia Scauri a vero bonoque impediebat.* ceterum etiam apud ipsum Cic. *impedire* cum accus. personæ et absolute quidem ponitur. cfr. Epp. Fam. 9. 19. *me quotidie*

aliud ex alto impedit. — *Bomilcari.* de eo vide infra cap. 49 et 61. 62. 70. 71. 72. *proxumo* i. e. qui ei in intimis erat, quo plurimum utebatur; sæpissime ita regum amici et ministri dicuntur. *paret* omisso *ut*; cfr. supra *persuadet* — *petat.* id quod sæpius fit. cfr. Ruddim. 2. 235. 243. 350. *insidiatores Massivae. Massivae* tertius casus. haud raro enim substantiva verbalia verbi casum regunt. cfr. Ruddim. Inst. Gr. L. 2. 88. cfr. supra Cat. 32. *ac maxume occulte* i. e. et potissimum quidem id occulte fieri voluit. ita supra cap. 14. *aut quo potissimum infelix accedam.* vide infra cap. 46. *persuadet, uti Jugurtham, maxume vivum, sin id parum procederet, necatum sibi traderent.* — *artifices.* hæc vox ad varia studiorum genera refertur; pictores, statuarii, saltatores, medici, multique alii hoc nomine appellantur. v. c. Tac. Ann. 12. 66. *locusta artifex veneni* Sueton. Calig. 32. *miles decollandi artifex.* — *insidias tetendit* Vat. 5. cui pauci ex Cort. adsentiunt. sed prævalet plurimorum librorum auctoritas. *qui ad caedem parati erant.* hæc Cortius suspecta habuit, quia commode omitti posse videbantur. brevitatis studium etiam hoc loco eum in errorem induxit. — *indicium profitetur* i. e. facere indicium. cfr. Tac. Ann. 6. 3. *summum supplicium decernebatur, ni professus indicium foret.* — *indic. offere.* Tac. Ann. 11. 35. habet. Cic. Epp. Att. 2. 24. *indicium postulare. ex aequo et bono.* Vat. 5. *aequo bono.* Vat. 4. sed in solemni formula hæ voces copula junctæ sunt; id quod innumera scriptorum antiquorum loca docent. *manifestus.* cfr. Cat. 41 et 52. Plaut. Truc. 1. 2. 50. — *manifestam mendacii mala te teneo. obmissit.* Med. 8. *niti.* cfr. supra 31. *pro libertate niti.* Cat. 28. *contra eos summa ope nitebatur nobilitas.* - *supra gratiam.* hæc præp. sæpius occurrit in formula: *nihil supra.* Cic. Epp. Att. 13. 19. *ita accurate, ut nihil possit supra*; et sæpius alibi. *in priore actione.* actio est juris persequendi ratio in judicio; sed quia de eadem re sæpius judicium fiebat, plures actiones numerantur. cfr. Cic. Actt. in Verrem, et cum alios, tum Brisson. accuratissime hac de re disputantem. *metus* — *parendi.* metuens, ne animi popularium a se abalienarentur, vel ne ceteri, metu perculsi, parere sibi nollent. *urbem venalem.* cfr. Liv. Epit. 64. qui interjectionem O præponit. cfr. etiam Oros. 5. 15. sed Liv. in ea quoque re dissentit, quod Jugurtham clam urbe profugisse dicit.

Cap. XXXVI. *alia quae.* Vat. 4. m. pr. probo, cum etiam aliis locis copula omissa sit. *instare* i. e. hostibus. obviam ducere et fugientes per-

sequi. cfr. Liv. 10. 36. *diversique integri atque intacti abiissent, ni cedenti instaturum alterum timuissent.* Cæs. B. Civ. 1. 86. *instabat agmen Caesaris atque universum imminebat.* id. 3. 46. *audacius nostros premere atque instare coeperunt.* — *alios, deinde alios.* idem quod alios atque alios. cfr. Liv. 1. 8. ceteræ formulæ, quæ laudantur, *alius super alium* et *alia ex aliis*, diversæ sunt. *qui tum.* proprie ad *fuere* pertinet; sed ejus positus insolitus. *ex tanta prop.* i. e. *post.* Cæs. B. Civ. 1. 70. *ex magnis rupibus nactus planitiem.* Cic. de clar. Orat. 92. *ex consulatu profectus in Galliam.* — *dies comitior.* i. e. tempus. Cic. Epp. 7. 28. *dies stultis mederi solet*, et 1. 6. *dies debilitat.* recte Cortius monuit, hac significatione *dies* singulari numero usurpari. *Roma discessit* Vat. 5. *Romam discessit* Med. 2. Flor. 1. Ven. 1. 3. *recessit* Med. 8. Ven. 4. Vat. 1. 3. 4. 2. m. pr. sed receptam lectionem bene Cortius explicat: «Africa decedere et se Romam conferre.» recte confert Cat. 27. *in Apuliam dimisit*, et 57. *reliquos in agrum Pistoriensem abduxit*, et supra 8. *in praetorium abduxit.* Thuc. 1. 55. οἱ δὲ Κορίνθιοι ἀποπλέοντες ἐπ' οἴκου. sed hoc non negligendum, proprie magistratus *Romam decedere* dici, aut exacto anno imperii, aut perfecto, cujus perficiendi causa electi fuerant, negotio. cfr. Liv. 8. 13; 9. 16; 10. 46. ubi *Romam ad triumphum decessit* dicitur.

Cap. XXXVII. *Romae.* miror Cortium, quod in hac voce non offenderit, quæ quidem haud dubie vera est lectio, sed multo majore probabilitatis specie sollicitari potuit, quam multæ aliæ a Cortio exagitatæ. *continuare magistratum.* cfr. Vellej. 2. 6. *quin alterum etiam continuavit tribunatum.* ceterum *tribunatum* etiam Livius *magistratum* dixit. vide Lib. 4. c. 2. *comitia impediebat.* qua quidem re factum est, ut Albino in Africam redire non liceret. *quem — diximus.* Hæc quoque ingeniosis istis Salustianæ brevitatis artificibus dubia videri debebant, sed ea intacta reliquerunt. *magnisque. que* om. Med. 11. Vat. 5. copula omissa Auli properantiam designari putabat Cortius. *Suthul.* plures urbes memorantur, ubi regis thesauri fuerint. vide infra cap. 75. de Thala et cap. 92. castellum eidem rei inservisse dicitur. Strabo Capsam τὸ γαζοφυλάκιον τοῦ Ἰουγούρθα nominat, Lib. 17. p. 488. Ed. Tauchn. quod nullus alius scriptor hanc urbem nominat, hujus rei causam recte Strabo l. l. explicuisse videtur: συνηφανίσθησαν δὲ τοῖς ἡγεμόσι καὶ αἱ πόλεις. *montis praerupti extremo.* mons præruptus est, qui aliis locis dicitur præcisus.

vide infra cap. 92. *iter castellanorum angustum admodum, utrinque praecisum.* Virg. Aen. 8. 233. *acuta silex praecisis undique saxis.* jam extremum prærupti montis non radices intellexerim, (quid enim hoc faciat ad urbis munitiones firmandas?) sed in *montis extremo* recte scholiastes interpretatur *in margine.* scilicet in summo montis cacumine, qui non acutissimus putandus est, urbs erat posita; hanc murus circumdedit, ita ut in summi montis parte extrema ædificatus esset; ita enim plane non fieri posse videbatur, ut aliquis murum ascenderet. *situs* pro *positus* dicit etiam Tac. Ann. 2. 7. *veterem aram Druso sitam disjecerant.* cfr. Donat. ad Terent. Adelph. 3. 2. 33. „situm est, quidquid suo loco positum non evertitur.“ *hiemalibus aquis.* ita ap. Ovid. Met. 9. 105. *nimbi hiemales.* Apud Cic. Epp. 6. 20. *navigatio hiemalis,* etiam *hiemantibus aquis* Salustium dixisse Seneca Ep. 94. auctor est. sed hoc contra omnium librorum auctoritatem pro *hiemalibus* reponere ut audacissimum, ita perversissimum est. *planit. limos. fecerat* i. e. in planitie, ubi aqua hieme stagnabat, palus orta erat. *simulandi gratia* i. e. ut simularet consilium oppidi oppugnandi. *formidinem adderet.* sæpius occurrit, animos addere. cfr. apud Liv. 2. 45. *impetum addere.* et 44. 3. *nuncio fiduciam.* — *ob thesauros oppidi potiundi.* ne unus quidem Cod. Ital. hæc omittit, et fides Wassii, hæc in duobus libris omissa esse asseverantis, mihi quidem dubia esse videtur. Cortius autem, qui hæc Latine dici posse negat, falsus est. Fac enim verborum positum esse insolitum, tamen talia multa apud Sal. occurrunt; quæ omnia si delenda sunt, editorum conjecturis nihil non concedendum est. *aliaque incepto.* Med. 4. Ven. 2. *et alia, quae* Med. 9. *alia quae* Ven. 4. Vat. 4. m. pr. propter hanc varietatem *que* ab alia manu additum esse statuo.

Cap. XXXVIII. *subdole ejus augere ament.* Cort. emendat: *subdolus.* qui supra adjectivum, pro adverbio positum, improbaverat, hoc loco contra Codd. testimonia adjectivum pro adverbio reponit. tanta inconstantia viri, qui multo plus ingenio, quam librorum testimoniis tribuit. *ejus,* quod nonnulli libri omittunt, deleri non potest, cum maxime in sequentibus, *missitare supplicantes legatos,* pronomen omissum sit. *quasi vitabundus. quasi* Cortius suspectum habet, cum hoc omisso oratio corrumpatur. *ita delicta occultiora fuere.* — *fore* Med 1. 2. 4. 7. Barb. 1. Ven. 1. 2. 3. Vaticani omnes. *ita delicta fuere occultiora* Min. 2. *ita delicta auli occultiora essent* Med. 9. manifesta glossa, id quod

cum ex aliis multis, tum ex lectionis varietate perspicitur. Cortius hæc paulo infra post verba *uti desererent* posita esse voluit; sed additamentum sunt, ab insulso grammatico interpositum. *exercitum temptabat* i. e. fidem exercitus temptabat, labefactabat. *corrumpere.* etiam hæc vox Cortio dubia visa est, quod in Eccard. omissa fuit, hoc non est criticum agere, sed levissima opinionum commenta proferre. *instruit.* præsens etiam infra 52. *postquam* sequitur. *tumultu percussi insolito* Ven. 2. *tum. perculsi insol.* Vat. 2. 4. ceteri vulgatum ordinem verborum retinent. *anceps periculum.* non duplex periculum intellexerim, sed incertum, dubium, ut apud alios scriptores *incertus casus* et *anceps belli fortuna* dicitur; scilicet quæ periculi ratio esset, parum certum erat. *ex eo numero, quos* i. e. ex illis, quos; quæ figura apud Salustium sæpissime occurrit. *cohors — cum* etc. plures personas hoc modo compositas modo pluralis, modo singularis sequitur. vide Ruddim. Inst. L. L. 2. p. 29. n. 1. 62. *primi pili.* de variis honorum militarium gradibus vide locum luculentissimum apud Liv. 42. 34. *primi pili centurio* erat centurio primæ centuriæ triariorum, qui etiam *pilani* dicebantur. cfr. Varro de L. L. 4. 16. pilum proprium Romanorum telum. cfr. Liv. 9. 19. de ejus ratione cfr. Veget. 2. 15. cfr. etiam Serv. ad Aen. 7. 664. pilum aeque ac vexillum dictum pro iis, qui illud gerebant. cfr. Cæs. B. G. 5. 35. *primum pilum duxerat. — quam uti defend. acceperat* i. e. quæ ei defendenda tradita erat. *remorata sunt* i. e. retardarunt, prohibuerunt. post duo feminina posuit neutrum plurale. cfr. Cat. 5. 20. 31. et apud alios scriptores passim. *verba facit.* sæpius est: orationem in publico habere. cfr. cap. 52. *multa verba in hoc ordine feci.* sed hoc loco nihil aliud, quam dixit, cfr. supra 9. *dicitur hujuscemodi verba cum Jugurtha habuisse*, et quæ ibi laudavi loca. *ferro, fame.* Min. 2. *fame ferro* Med. 2. 7. *et ferro* Med. 4. 5. 8. Vat. 1. 2. 3. 4. *tenebat* Barb. 2. *teneret* Ven. 4. *tenent* Vat. 5. ceteri vulgatam lectionem confirmant; qua varietate primum id satis certum esse videtur, copulam inter *fame* et *ferro* ab auctore fuisse omissam. etiam *tenet* melior lectio esse videtur; quæ enim leguntur variantes, inde ortæ esse videntur, ut insolentia structuræ molliretur. ea ex Græco expressa esse videtur, ubi in oratione obliqua sæpissime indicativus ponitur. cfr. Math. Gr. Gr. §. 607. sed quod in Leid. l. etiam *foedus fecit* legitur, id sensu caret. *fame clau-*

sum proprie dici non potest; simili ratione paulo infra dixit cap. 42. *multos mortalis ferro aut fuga exstinxit*, et 49. *uti quemque pecunia aut honore extulerat* et supra 14. *semper in sanguine, ferro, fuga versabimur*, et cap. 17. *posuere.* Cat. 51. *quae belli saevitia esset, quae victis acciderent, enumeravere*, et Cat. 36. *instituta — disserere. — humanarum rerum memorem.* cfr. 104. *sub jugum missurum.* laudant de hoc more Liv. 3. 28. et Dionys. Ant. Rom. 3. 21. videtur Jugurtha imitatus esse Romanorum morem, ut eorum animos gravius vulneraret. *decederent.* Med. 8. 11. Ven. 1. *a Numidia discederet.* Med. 9. Ven. 3. *discederent.* Vat. 5. sed pluralis numerus h. l. nullam vim habet; et *decedere* vocabulum proprium est. *plena forent.* Med. 11. quæ varietas nescio, an verbum substantivum suspectum reddere possit. *mutabant* Min. 1. quam Cortius veram lectionem habuit. sed quamvis multis exemplis comprobavit, *mutare* et verbum neutrum et verbum activum esse, tamen hæc omnia non sunt hujus loci: cum enim *mutare* idem significat, quod redimere, verbum neutrum esse non potest. hoc eum docere poterant exempla ab ipso laudata Catil. 58. *nemo nisi victor bellum pace mutavit*, et Hist. Fragm. 3. Or. Lic. Macri: *cunctaque praesenti ignavia mutastis.* et Catull. c. 12. *qui tua facta vel talento mutari velit.* cfr. Plaut. Capt. prol. 28; id. 1. 1. 35. et 1. 2. 62. quibus locis *mutare* pro *permutare* dictum est. sensus igitur totius loci est: quia hoc modo mortis metu liberabantur. absurdum, quod editor Bipont. prætulit: *nutabant.*

Cap. XXXIX. *dolere pro.* vario modo *dolere* construitur. sequitur accusativus, ablativus, cum præp. de, ex, a, vel sine præpositione. sed *dolere pro*, quantum equidem scio, nullo loco occurrit. simile hoc: *pro salute securi* Tac. Agric. 26. et Liv. 4. 54. *non pro communicatis, sed pro omissis honoribus fremere.* Cic. de Fin. 1. 9. *dolorem suscipere pro patria, pro suis. — timere libertati* i. e. timebant, ne servitutis jugum Romanis a Jugurtha imponeretur. *praeclari fuerant.* i. e. qui in bellis præclaros sese præbuerant. *manu* i. e. virtute, fortitudine, cfr. cap. 98. *manu consulere militibus. — ob ea — timens.* omnia sana. quæ recte Cort. contra Gruteri temeritatem defendit, qui, ut sæpe alias, ita hoc loco multa abundare dixerat. *exercitui.* cum etiam hoc loco *i* litera in Naz. desit, in Fabr. 1. ab alia manu adjecta sit, *exercitu* scribendum esse videtur. *supplementum* dicuntur milites ad justum legionum numerum

explendum scripti. socii sunt civitates in Italia, fœdere cum Romanis junctæ. *nomen Latinum.* ita sæpissime Latini dicuntur. ita nomen Romanum, Volscum, Cæninum, Etruscum; dicuntur etiam socii Latini nominis; dictionem ex Græco expressam statuunt. *omnibus festinare.* omisso *modis.* Med. 10. pluralis ab antiquioribus scriptoribus potissimum usurpatur. Terent. Hecyr. 4. 4. 79. *omnibus modis miser sum.* et 2. 3. 7. *filium multis modis jam exspecto.* ita *modis indignis.* Plaut. Mostell. 4. 3. 39. *modis malis.* Bachid. 3. 3. 86. *modis omnibus.* Pseud. 4. 6. 12. *modis veris.* Cas. 3. 5. 4. *impeditur — ne.* satis constat, verbum *impedire* non solum *quo minus*, sed etiam *ne* et *quin* sæpius sequi. *Numidia deductus.* ita sæpius apud Livium deducere præsidia *ab* vel *de* oppidis. *in animo ardebat* Med. 9. Fl. 1. *animus ard.* Med. 1. 2. 5. 8. 11. Ven. 1. 2. 4. Vat. 2. 3. 4. *animus ejus* Med. 4. quorum librorum auctoritati cedo. cfr. Cat. 25. *lubido sic accensa.* et Ep. de Rep. Ord. 1. 8. *ardet omnibus animus.* Liv. 38. 25. *ardentibus ira animis.* — *ex copia rerum* i. e. cum hæc rerum conditio esset, pro re et tempore. *copia* in hac dictione vox media est, qua et major et minor facultas rei alicujus peragendæ designatur. cfr. cap. 54. 98. Cic. Epp. 4. 12. *pro ea copia, quae Athenis erat, funus faciendum curavi.* Curt. 9. 10. *vehicula pro copia cujusque adornata.*

Cap. XL. *G. Mamilius Limetanus.* ita ex Italicis libris soli Vat. 2. 4. Med. 5. et Min. 2. qui *C. Mamillius L.* habet; ceteri plerumque *Mamillus.* illam scripturam esse præferendam docuit Pighius Ann. III. p. 123. cfr. Cic. Brut. 33. 34. cfr. Gruter. ad Cic. de Or. 1. 58. Interpp. ad Liv. 27. 35. Gell. 6. 11. *neglegisset.* ita Med. 1. m. pr. ita etiam Aemil. Macer. apud Diomed. p. 366. Putsch. *omnium nostrum neglegerit auctoritatem*, qui recte animadvertit, «quod analogiæ propius, quia et *legerit* dicimus.» idem exemplum Prisc. laudat. 10. p. 895. Ed. Putsch. hunc auctorem Sal. secutus esse videtur, et talia multa, credo, antiquitatis vestigia jam ab antiquis grammaticis in Salustio deleta sunt. *in legationibus.* i. e. cum legati essent. recte laudat Cort. Cic. Epp. 6. 7. *nisi forte aut in miseria nimis stulte, aut in amicitia nimis impudenter onus tibi impono* id. 5. 9. *non puto, repudiabis in honore.* licet etiam conferre dictiones *in pueritia, in toga, in armis, in officio, in vitio* esse. *ex partium invidia.* quæ Cortius perperam interpretatur. «quia nempe in iis partibus nobilitatis erant, quæ se invidia oneraverunt.» sed partes, ut

jam supra est monitum, ad populum pertinet. invidia igitur partium est odium populi. *illa et alia talia sc.* scelera, quæ a ducibus, legatis et militibus commissa fuerant. *impedimenta parabant.* per eos, qui jus suffragii habuerunt, efficere studebant, ut lex a Mamilio lata antiquaretur. *plebes.* ita Ven. 1. Vat. 2. 5. *quantum intenta.* Vat. 5. quod fortasse a librariis propter sequens *quantaque* emendatum est. *intenta.* i. e. quam acer et diligens in jure suo defendendo fuerit. *quantaque vi* i. e. studio et ardore. *jusserit, decreverit, voluerit.* cumulata sunt verba ejusdem significationis, quia hoc in edictis fieri moris est. cfr. Liv. 1. 12. *id modo sciscerent juberentque.* Iuv. Sat. 6. 222. *hoc volo, hoc jubeo.* jam *velitis jubeatisne* solemnem formulam fuisse in rogationibus ad populum ferendis satis cōstat. vide Liv. 22. 10. Cortius ita de hoc loco statuit: «tum ardoris causa, quam ut rogationis perlatio eo melius notaretur, conjuncta ea esse putamus.» *mala illa* i. e. judicia, damnatio, exilium, id quod ex antecedentibus intelligendum est. *lubido* i. e. effrenata licentia. cfr. Liv. 2. 3. *quorum lubido in regno solutior fuerat.*— *docuimus.* etiam hoc loco libri variant; alii *diximus*, alii *memoravimus* habent; sed omnia sana sunt, quod et ipse Cortius judicavit; unde perspicitur, parum recte ex lectionis varietate colligi, aliquam vocem esse suspectam. ceterum *fuisse* hoc loco nonnulli ex optimis libris omittunt, quare Cortium secutus sum. *inter laetitiam plebis et suorum fugam.* recte hæc Cornel. Fonto interpretatur: cum plebs læta esset et sui fugerent. *inter* scilicet, ut sæpius, tempus significat. *suorum fugam* i. e. timorem, formidinem, terrorem; nobiles enim terrore perculsi, animum desponderunt. *trepida etiam tum civitate.* hoc additum, ut clarum fieret, quo modo Scaurus, qui et ipse suspectus erat, inter quæsitores eligeretur; scilicet *trepida* i. e. incerta etiam tum civitas fuit. cfr. Aen. 4. 642. *trepida Dido.* Lucan. 7. 297. *spe trepidus.*—*in eo numero* i. e. inter quæsitores. *quaesitores*, dicebantur ii, qui, prætore præside judicii, quæstionem exercebant, qui etiam judices quæstionis dicuntur. sed maxime extraordinario judicio constituto, id nomen iis erat, ad quos potestas quæstionis exercendæ pertinuit. *exercitata*, quod multi libri confirmant, orationi Salustianæ magis consentaneum esse videtur. sed etiam *exercita* multis iisque optimis libris defenditur. *quaestione* etiam ex Italicis multi libri, ex. gr. Vat. 1. 3. 5. Flor. 14. alii. sed pessime; nam ablativo absoluto nullus est locus. *ex rumore.* recte Cortius: prout quis-

que conscius delictorum fama ferebatur, ita in eum animadvertebatur. *ex secund. reb. insolentia. ex.* cfr. Cat. c. 12. *insolentia.* arrogantia, superbia, contumacia.

Cap. XLI. *mos partium.* hæc Grutero et Cortio suspecta visa. sermonis enim simplicitatem et proprietatem non ceperunt. *partium* ad populum spectare, jam supra monui, quamvis non negaverim, eadem voce in universum dissensiones civiles et diversa principum studia in republica significari. sed hoc certe loco et supra solius populi *partes* dicit, et *factionem* ad senatum refert. *paucis ante annis* etc. ne quis in hoc Salustii judicio offendat, qui usque ad finitum tertium bellum Punicum rempublicam quietam fuisse dixerit, cum alii jam inde a bello Macedonico luxuriam atque malos mores Romam invectos fuisse statuant. sed primum hoc notandum, hoc loco eum tantummodo de concordia civili disserere. aliis autem locis aperte etiam mores tum temporis optumos fuisse dicit. cfr. Hist. Fragm. I. 7. *optumis autem moribus et maxuma concordia egit P. R. inter secundum atque postremum bellum Carthaginiense.* cfr. l. l. 8. et 9. scilicet hæc est ratio humanæ naturæ, ut majorum virtutes laudent. Cato morum integritatem laudibus celebravit, qua Romani excelluerint tempore belli contra Pyrrhum gesti; Salustius idem laudis præconium patribus, qui Carthaginienses vicerant, tribuit; Tacitus vel extrema reipublicæ tempora virtutibus clara putavit, quod postea multa major luxuria morumque corruptio invasisse putabatur. *otio et abundantia.* hoc idem Salust. in Cat. judicavit, ubi pluribus hac de re disseruit. *earum rerum, quae.* constructio ad sensum, quæ dicitur. cfr. loca a Cortio laudata Liv. 22. 29. «rebusque aliis divinis humanisque, *quae* per ipsos agenda erant.» Cic. Epp. 16. 4. «*illud* mi Tiro, te perrogo, sumtui ne parcas ulla in re, *quod* ad valetudinem opus sit.» A. Gell. 1. 14. « rebus — *quae* bene fecisset.» cfr. Cort. ad Cic. Epp. 16. 4. *placide modesteque.* placide i. e. nulla dissensione seu discordia civili orta. *modesteque.* ut sæpius apud Sal. pro *moderate*, sic etiam apud Liv. aliosque auctores. cfr. Liv. 30. 42. «rebus secundis modeste ac moderate uti.« cfr. Hist. Fragm. 1. 8. *aequo et modesto jure agitatum.* — *tractare rempubl.* cfr. Cat. 51. *inter se* est conjunctim, ita ut et populus et senatus rempublicam capesserent. aliis locis et sæpius quidem *invicem* significat. *neque gloriae.* intellige falsæ gloriæ, quæ magnis opibus in republica nititur. id quod additamento *dominationis* significatur; quare

hæc non sunt contraria iis, quæ Cat. 7. dixerat: *sed gloriae maximum certamen inter ipsos erat.* ibi enim gloriam veræ laudis studium dicit. *metus hostilis* i. e. hostium; ita supra: *partium popularium.* Hist. Fragm. 1. 9. *remoto metu punico.* de re vide Flor. 3. 12. *Poenorum hostium imminens metus disciplinam veterem continebat.* Vellej. Paterc. 2. 1. — *mentibus decessit.* Flor. 14. 15. quod fortasse rectius. cfr. Liv. 2. 29. *ea cura decessit patribus.* cfr. Gronov. et Drakenb. ad Liv. 4. 2. et Cæs. B. G. 2. 7. *hostibus eadem de causa spes oppidi potiundi discessit.* ubi Davisius et unus Cod. *decessit.* etiam infra Jug. 88. *postquam invidia decesserat.* Curt. 8. 1. *postquam ira mente decesserat.* cfr. Burm. ad Quintil. Decl. 6. 6. Oudend. ad Lucan. 4. 284. Cort. ad Plin. Epp. 6. 26. *scilicet ea.* hæc elegantissime a Salustio dicta, Cortius ab aliena manu apposita esse statuit. *quae res secundae amant* i. e. quæ rebus secundis fieri solent. Plin. 13. 4. *palma toto anno bibere amat.* Horat. Od. 3. 16. 9. *aurum per medios ire satellites et perrumpere amat saxa.* Tac. Ann. 4. 9. *ut ferme amat posterior adulatio.* cfr. Hor. Od. 2. 3. 9. — *lascivia atque superbia.* opposita sunt: morum severitas atque modestia. *incessere.* cfr. Liv. 2. 27. *timor incessit Sabini belli.* — *otium.* cfr. Cat. 10. ubi eadem sententia aliis verbis expressa. Cat. 30. Tac. Hist. 1. 15. *pax et quies acrioribus stimulis animos explorant* etc. — *asperius acerbiusque* fuit. *asperius.* cfr. Cat. 10. 21. Cic. pro Balbo 9. *in periculis et asperis temporibus. acerbum* i. e. grave, durum, molestum, calamitosum; otium igitur, quod in optatis fuerat, gravius atque perniciosius fuit. *dignitas.* intellige auctoritas et gratia, qua sola valent principes liberarum civitatium, jure omnium æquato. *populus*, penes quem omnium rerum arbitrium fuit, hac potentia male usus, modum excessit; nihil igitur est, cur in hoc loco offendas. *sibi quisque ducere* etc. cfr. Cat. 11. Plaut. Trin. 2. 2. 10. recte Cort. *trahere*, *rapere* violentiæ, *ducere* astutiae et occulte sibi trahentium esse dicit. cfr. Ter. Andr. 4. 1. 20. *etiam nunc me ducere istis dictis postulas.* Phorm. 1. 2. 15. *ut phaleratis dictis ducas me.* Prop. El. 2. 13. 57. *mentiri noctem, promissis ducere amantem.* — *respubl.* nota orationis vim atque elegantiam. apte comparant Liv. 2. 57. *dum tribuni consulesque ad se quisque omnia trahant, nihil relictum esse virium in medio, distractam dilaceratamque rempublicam.* cfr. Gronov. ad Liv. 4. 43. *in multitudine* i. e. cum multi essent, quamvis multi essent. cfr. Cic. Epp. 5. 2. „hoc non potest in te non honorifice

esse dictum, me in clarissimis atque amplissimis rebus, tamen aliquod testimonium tuæ vocis habere voluisse.» *agitabatur.* sine casu addito Hist. Fragm. 1. 8. cfr. supra 18 et 19. *gloriae.* cfr. supra 31. *paces.* cfr. Tac. Ann. 3. 45. *memorarem veteres Gallorum glorias.* Cic. pro Plancio 24. *honorum gradus pares sunt, gloriae dispares.* Gell. 2. 27. *quaestus atque compendium gloriarum.* etiam *praedae* sæpissime occurrit. *urguebatur.* ita Ven. 1. Vat. 4. cfr. loca luculentissima Quinctil. Declam. 13. et Horat. Od. 2. 18. Appian. B. Civ. 1. 7. Duker. ad Flor. 3. 14. et Senec. Ep. 90. ceterum *militum*, quod aliquis in *clientum* mutare voluit, optime se habet; potentiores scilicet, quo tempore patresfamilias in Italia præsentes aderant, sedibus eos pellere non ausi sunt, sed dum illi stipendia faciebant, eorum uxores liberosque injuriis affecerunt. *modo modestiaque.* cfr. Cat. 11. *nihil pensi.* cfr. Cat. 5. *praecipitavit.* cfr. Cat. 25. Jug. 14. et 31. *ex nobilitate*, quæ voces omnes libri habent, Cortio ab aliena manu addita videbantur; quia recte statuit hoc non solum ad nobilitatem, sed etiam ad plebejos pertinere. sed eum fugisse videtur, *injustam potentiam* nonnisi nobilium esse, et auctorem in antecedentibus dixisse, nobilitatem semet ipsam præcipitasse. Tam firma enim eo tempore nobilitatis potentia videbatur, ut homo obscuro loco ortus, nullaque majorum commendatione usus ad eam evertendam nihil valeret. recte igitur auctor verba *ex nobilitate* adjecit. *dissensio civilis quasi permixtio terrae.* hæc omnium fere librorum lectio. quam Cortius correxit, et *permixtio civilis, quasi discessio terrae* legi jussit; quae quidem acutissime esse dicta nemo non concedit. sed vera sint, nec ne, hæc alia est quæstio. *permixtio*, quæ vox rarioris est usus, ita dicitur ab Augustino Civ. D. 15. 22. *facta est permixtio, et iniquitate participata, quaedam utriusque confusio civitatis.* etiam Aurel. Vict. 41. *cujus gratia reipublicae permixtionem fore, ostentorum mira prodidere.* quorum scriptorum cum per se parva sit auctoritas, tamen hoc non omittendum, eos fere insolentissimam quamque antiquorum scriptorum locutionem solere imitari. Accedit, quod *permixtio terrae* vix dici posse videtur. contra *discessio terrae*, quam finxit Cort. lectionem, elegantissima est. cfr. Cic. Off. 3. 9. sed locutionem *permixtionem terrae* ab usu linguæ Latinæ non plane abhorrere, docent quæ apud Virgilium occurrunt. Aen. 1. 107. *coelum terramque miscere.* l. l. 128. *magno misceri murmure pontus.* Aen. 9. 714. *miscent se maria.* alii Græcum proverbium γῆ γῇ

τὸν οὐρανὸν ἀναμεμῖχθαι. et Liv. 4. 3. *quid tandem est, cur coelum ac terras misceant* contulerunt; quare, quamvis sit insolita locutio, tamen non temere mutanda esse videtur. quod autem Cortius vocem *dissensio* non satis concinnam putavit, *discessio*, quod ipse reposuit, non magis convenit. Salustio autem haud dubie hoc satis significanter dictum videbatur; *dissensio* enim atque *permixtio*, quamvis inter se pugnare videntur, tamen notio turbarum atque discordiæ utrique voci inest. cfr. de significatione dissensionis Cæs. B. Civ. 3. 1. Hist. de B. Alex. 42. Senec. de Ben. 4. 32. et sæpius ipse Cortius animadvertit, ἀντιθέσεις istas, quas rhetores captant, a Salustio esse alienas. quare nihil est, quod ad conjecturas confugiamus.

Cap. XLII. *majores.* cfr. Vellej. Paterc. 2. 2. et Plut. Vita Tib. Gracch. 1. de patre Gracchorum vide, quæ loca Ernesti laudavit in clave Ciceron. *addiderant.* i. e. opes reipublicæ auxerant. ita etiam auctor Ep. de Rep. Ord. ad Cæs. vindicare in *libert.* i. e. servitute eximere et in libertat. asserere. etiam libertatem vindicare dicitur. Cæs. B. G. 7. 76. *noxia.* i. e. culpae obnoxia. *spes societatis* i. e. cum nobilitate jungendæ. *dimoverat.* i. e. alienaverat; etiam apud Cic. sæpius occurrit. *perculsa.* vide supra cap. 22. Cort. „recte Gronov. ad Liv. 3. 30. *percelli* esse dicit, everti, subverti, affligi.“ Cat. 2. 1. „loco ille motus est, cum ex urbe est depulsus — jacet ille nunc prostratus et se perculsum atque abjectum esse sentit.“ ceterum de equitum Romanorum et de senatus dissensionibus sæpius scriptores R. egerunt. Satis constat legibus Gracchorum judiciis ad equites translatis perpetuam discordiæ causam in civitatem esse inductam. Cic. Or. in Cat. 4. 2. et interpp. ad h. l. Plin. H. N. 33. 2. Cic. Epp. 1. 8. Flor. 3. 12. *paucos post annos* i. e. decem annis post. *triumvirum colon. deduc.* more obtinuit, ut tres viri hoc negotio perfungerentur. cfr. Liv. 8, 16. 3, 1. 34, 53. 39, 22. Flor. 3. 14. Sigon. de jure Ital. 2. 2. *actionibus.* vide Cat. 43. *eadem ingredientem.* pronomen haud dubie quarto casu positum, quamvis casus sextus Salustio est usitatior. cfr. Cat. 11. Jug. 16. *ferro necaverat.* non temere *ferro* additum, cum *necare* proprie pertineat ad mortem illatam sine vulnere. *sed bono vinci satius est.* sententia, de qua multi interpretes fuerunt, nihil habet, in quo offendas; sed in quem finem hæc dicta sint, latuisse videtur interpretes. plerisque persuasum fuit, his dictis auctorem improbare Gracchorum consilia, quippe qui malo more injuriam vincere voluerint. quod quidem contra se habet; cum enim

morte poenas dederint, manifestum est, hæc in eorum laudem esse dicta. scilicet post verba *moderatus animus fuit* hæc erant adjicienda; *quamobrem a nobilitate interfecti sunt;* sed hæc omisit, quia paucis hac de re absolvere animus fuit. Et mihi quidem hac ipsa brevitate auctoris judicium multo gravius fieri videtur. *ferro aut fuga exst.* cfr. cap. 38. *fame, ferro clausum. — plusque — timoris — sibi addidit.* ut supra c. 35. metus, ita hoc loco *timoris* passive positum. Scilicet severiores poenæ, quas senatus a Gracchi amicis repetebat, id effecerunt, ut senatus magis a populo timeretur, sed ejus potentia non aucta est. necesse enim est, quem multi timeant, eum et ipsum multos timere. *Quae res plerumque* etc. præclaram hanc sententiam etiam Thucydides 3. 82. expressit; ex quo forte si qui sunt, qui Salustium hæc hausisse dicunt, iidem concedant necesse est, qui ita alium scriptorem imitari calleat, eum dignum esse, quem et ipsum alii imitentur. *singulatim.* vox ab antiquis maxime scriptoribus usurpata, cfr. Non. Marc. 2. 820. apud Ciceronem bis occurrit. Divin. in Verr. c. 15. et ad fin. *parem disserere.* hæc dicendi ratio, quamvis etiam apud pedestris orationis scriptores passim occurrit, tamen poetis usitatior est. cfr. supra Jug. 13. Cæs. B. Civ. 1. 83. Nep. Dat. 4. *me deseret. desereret* plures libri Italici. v. gr. Ven. 2. Min. 2. *deserat* præferrem, si melioris libri auctoritate confimaretur.

Cap. XLIII. *Q. Met. et Sil.* Med. 10. *G. Metell. et M. Sill.* Ven. 4. *Q. Metell. et M. Sil.* Vat. 4. quæ præstantior lectio esse videtur, cum etiam aliis locis Sal. prænomina consulum aliorumque magistratuum addat. Q. Cæcilius Metellus, postea Numidicus cognominatus, vir gravissimus. de quo vide infra cap. 64. Cic. pro Sextio 16. Flor. 3. 16. Senec. Epp. 24. Appian. de B. Civ. 1. 29, 30. 31, 32. *provincias inter se partiverant.* ita omnes libri Italici. pari modo Liv. 9. 41. *Consules partiti provincias. Etruria Decio, Samnium Fabio evenerat.* neque probabile, eo loco *parare* pro *partiti* scriptum fuisse, cujus vocis literarum ductus dissimiles sunt. accedit, quod activum verbi *partire* per se satis est insolitum, ita ut vix a librariis fictum esse possit. antiquissimi maxime scriptores eo utuntur. cfr. Non. Marc. 7. 33 et 64. Quare mihi quidem neque Gronov. Observat. 1. 10. neque Victor. ad Cic. Epp. 1. 9. persuasit, *paraverant* hoc loco ab auctore esse scriptum. neque fidem habendam esse puto Victorio, qui hoc in Codd. se invenisse dicit. in Sal. enim libris a Cortio aliisque interpretibus et a me ipso inspectis nullum hujus lectio-

nis vestigium; alterum autem ipsi Grammatici antiqui confirmant. *evenire* et de sorte et de partitione dicitur. altera significatio usitatissima, alteram plura Livii loca confirmant. cfr. Liv. 32. 8. ubi idem est, quod obvenire, obtingere, accipere. *adverso* populi *partium.* haud dubie vera lectio. secundus casus pro tertio positus; quod cum in multis adjectivis fiat, qui dativum regunt, veri non absimile est, eandem hujus vocis esse rationem. quem loquendi usum, cum exemplis confirmare non possis, tamen adjectiva similis significationis enumerari possunt. *adversus animi* apud Tac. Ann. 14. 26. *diversus morum.* id. 14. 19. et *contrarius* apud ipsum Ciceronem cum genitivo conjungitur, de Inv. 2. 54. et de Fin. 4. 24. *quae sunt virtutum contraria. adversus* igitur pro *adversarius* positum. *aequabili.* falso Cortius: «*aequali apud nobilitatem et plebem.*» cfr. Tac. Annal. 4. 20. «aequabili auctoritate apud *aliquem* vigere.» id Ann. 6. 31. *fidus Romanis, aequabilis in suos* Hist. 4. 5. *cunctis vitae officiis aequabilis.* Scilicet idem famæ tenor jam per se magnam habet laudem; cum leviores homines variis rumoribus flagrent. sed de gravissimis viris constans populi judicium. *inviolata* hanc significationem confirmat. æquabilis enim famæ ea est ratio, ut sincera et integra sit. *alia omnia sibi cum collega ratus.* singularis dictio neque satis accurata; sola verba, quae opposita sunt, illorum verborum sensum explicant. ad quæ illustranda loca a Cortio laudata nihil faciunt. sensus igitur is est: alia omnia etiam collegæ curæ fore ratus, negligenter tractavit, sed in bello parando summam animi curam adhibuit. *scribere, eligere.* solus Vat. 4. *eligere* om. quod pro glossa habendum; ceteri nihil aliud, quam in ordine verborum variant. *praesidia,* ut auxilia et supplementum pro militibus, qui præsidio sunt. sed hoc loco sensu generali, ut ap. Cic. Epp. 2. 17. *praesidia, quae magna et firma paraveram, dimisi. — commeatum affatim.* usitatius erat genitivum ponere. *vario.* «varium dicitur bellum, ubi non uno prælio debellatur, sed cujus multae sunt formæ.» ita recte Cort. vide infra cap. 51. *facies totius negotii varia.* Flor. 4. 2. *anceps variumque et cruentum in Hispania bellum.* præpositionem nostri omnes retinent, et quamvis aliis locis Sal. tertium casum posuit, (cfr. Cat. cap. 32 et 39) tamen hoc loco, ubi *bello* plura addita sunt, præpositio consilio ab auctore posita esse videtur. *mittendo,* ita longe plurimi ex Italicis libris. *mittendo* Med. 10. *mittebant* Med. 4. *mittere* Med. 1 2. Min. 1. Vat. 1. 3. 5. Barb. 4. 5. Ven. 3. 4. quam quidem lectionem, Salustii orationi magis

consentaneum esse puto. altera docti librarii videtur esse emendatio, qui hoc ita correxit, ut duo membra orationis magis inter se convenirent. ceterum *mittere* haud dubie et ad *socios* et ad *nomen Lat.* et *ad reges* pertinet, sed opposita sunt *senati auctoritate* et *ultro.* variata est oratio, cum infinitivum historicum imperfectum sequatur. *nomenque. que* delet Ven. 4. *bonas artes.* Ven. 4. Min. 2. Flor. 14. *anim. invict.* Vat. 1. 2. 5. Med 4. *gerere animum.* ita Enn. ap. Cic. Tusc. 1. 18. Liv. 32. 4. Justin. 17. 1. *cupiditatem gerere.* Curt. 4. 14. *spem futuri temporis.* Liv. 28. 21. *odium.—invictus in* vel *contra* Cort. exemplis illustravit. cfr. Senec. ad Helv. 5. Justin. 12. 15. Thucyd. 2. 60. χρημάτων κρείσσων. adde Plin. 8. 25. Ovid. Met. 12. 167. *invictus ad.* Tac. Ann. 15. 21. *invictus adversum gratiam — animus. contusae* i. e. eversæ, fractæ, labefactatæ. vide loca a Cortio laudata, Prop. El. 4. 2. 52. Virg. Aen. 1. 268. Cic. Philipp. 2. 12. adde Tac. Ann. 12. 31. et 4. 46.

Cap. XLIV. *a Spurio Alb. proconsule.* Vat. 1. 2. 4. 5. Med. 1. 4. 7. Min. 2. Flor. 1. veram puto Turicens. 1. lectionem, *Spurii Albini Proconsule*, quam hanc varietatem peperisse recte monuit Cort. *lingua promtus.* cfr. Liv. 2. 46. 22. 44. Sil. Italic. 14. 31. *praedator ex sociis.* substantivum adjectivi loco positum. structura eadem, quæ verbi esse solet. *modestia* pro *moderamine* dici notat Donatus nescio quo loco; sed exquisitius est, *modestiam* ad milites referre; quemadmodum *imperio* et *modestia* etiam apud Liv. opponuntur. cfr. Liv. 8. 7. *exanimati tam atroci imperio, metu magis quam modestiâ quievere.* quod Cortius animadvertit, *habitus* duplici notione esse accipiendum, id Salustii orationi quam maxime consentaneum est. *spei bonae.* Ven. 3. 4. Min. 2. Flor. 1. Med. 2. 4. *bonae* om. Med. 10. falso. ita enim loquuntur scriptores. vide infra 113. Cæs. B. Civ. 2. 5. Græce ἐλπίδες καλαὶ χρησταὶ dicitur. *aestivorum tempus.* i. e. integrum æstatis tempus, quod ad res gerendas aptum est. cfr. Vellej. 2. 105. *perducere aestiva in mensem Decembrem.* Cic. Epp. 3. 9. *aliis rebus additis aestivisque confectis.—exspectatione intentus.* pari modo Tac. Ann. 16. 8. *Silanus intentus metu et exitio patriae ad praecavendum. bellum attingere.* i. e. aggredi, initium belli facere. *labore coegisset.* Flor. 1. sed *laborare* recte dictum. pertinet et ad labores proprie sic dictos, et ad varia exercitia, quibus occupati milites prohibebantur, ne lascivirent. *subegerat.* cfr. Cat. 10. 51. supra Jug. 24. *sed neque ea, neque more.* Med. 10. ceterorum nullus lectionem

receptam *neque muniebantur ea* confirmat. videtur hæc glossa inde orta, quod vim particulæ *neque* librarii non perceperunt. sed *neque* hoc loco pro simplici non positum esse videtur. cfr. Cic. pro Quinct. 4. *quo mortuo, nec ita multo post in Galliam profectus est Quinctius.* Cato de R. R. c. 141. *si quid tibi in illisce suovetaurilibus — neque satis factum est.* cfr. Vellej. 2. 67. *et libelli conjurationem nuntiantes dati, ab eo neque protinus lecti erant. — deducebantur.* dictum ut militem in aciem, deduci in coloniam. cfr. Hist. Fragm. 1. 19. p. 222. *praesidia deducta atque imposita.* sed alia exempla hujus locutionis desidero. *lixae* recte Cortius explicat, de Usu Orth. Lat. cap. III. XI. 9. et 10. qui Festo assentitur. apud eum est ita: *lixae, qui exercitum sequuntur quaestus gratia, quod extra ordinem sint militiae eisque liceat, quod libuerit.* quare Cortius originem vocis a *laxa* repetendam judicat i. e. *solutus.* contra Non. Marc. 1. 238 et 309. a *lixa,* quæ veteribus significaverit aquam, derivat, et officium eorum fuisse ait, militibus aquam vehere; Petrus Burm. ad Quinctil. VIII. 6, p. 744. verissimum putat a *lixando* vel *elixando* deducere et proprie fuisse adserit, qui carnes elixas et assas militibus praebebant. Suidas: Λεῦξαι, στρατιῶται. τοῦτο δὲ ἦν τὸ γένος τῶν ἐργαστικῶν καὶ παραστρατευομένων ἀνθρώπων, ὁ πάσης τάξεως ἐκτὸς ὑπάρχων διὰ τὸ μήθ' ὅπλα μήτε πίστιν ἔχειν. cfr. multa antiquorum scriptorum loca a Cortio laudata, Polyb. 3. 82. Tac. Ann. 2. 62. Curt. 10. 1. 15. Sil. 5. 31. Suet. Aug. 19. Tac. Hist. 2. 87. Veget. de R. M. 1. 10. quæ quidem omnia, si accuratius examinaveris, Cortii sententiam confirmant. recte enim ille: «Et in hoc, quod sint soluti ordine, omnis vis vocabuli lixarum sita est. Possunt illi quæstus gratia exercitum sequi, possunt mercari et cum pretio etiam servilia præstare.» cfr. Le Beau Mémoires de l'Acad. des Inscript. T. XXXVII. p. 222 — 229. *frumentum publice datum.* scilicet in singulos fere menses militibus frumentum metiri imperatores solebant. cfr. Schelius de frumento et veste in Grævii Thes. Ant. Rom. T. X. et Le Beau de la nourriture du soldat légionaire in Mém. de l'Ac. des Inscript. T. XLI. p. 129. seq. *probra.* vide Cat. 38. *in dies* i. e. in dies singulos. vide infra cap. 74. Cic. Epp. Att. 14. 23. *consilia temporum sunt, quae in horas commutari vides. cuncta fuere et alia amplius.* cfr. Thuc. 3. 81. Καὶ οἷον φιλεῖ ἐν τῷ τοιούτῳ γίγνεσθαι, οὐδὲν ὅ,τι οὐ ξυνέβη καὶ ἔτι περαιτέρω. *amplius* est *plura* ut Cat. 20. C.

Cap. XLV. *res hostiles* i. e. bellicæ. cfr. Cic. de Off. 3. 29. quid sit *ambitio* ex opposito intelligitur; scilicet nimia lenitas, qua militum gratiam affectabat. sed non sunt hujus loci, quæ Cort. laudavit, Hist. Frag. 3. 11. Ep. Pomp. *ex ambitione mea egi.* ibi enim ambitio ad alia spectat. *ambitioso imperio regere milites* Tacit. dicit. Hist. 2. 12. *moderari* absolute positum, ut Justin. 9. 4. *atque ita inter tacitam laetitiam et dolorem hostium temperavit* etc. Justin. 2. 7. *tanto temperamento inter plebem senatumque egit.* — *ceteris arte modum statuisse.* id Cort. ita explicat: «ceteris, qui non essent gregarii, arctum servorum jumentorumque numerum permisit, præfinivit, quot quisque haberet», id quod ferri potest, quod Sal. sæpius adverbium loco adjectivi posuit. similiter dicitur Plaut. Merc. prol. 64. *cohibere aliquem arcte.* Plaut. Asin. 1. 1. 63. *arcte contenteque habere aliquem.* tamen rectius *arte* prudentia explicueris, idque *edicto* oppositum esse credideris; scilicet *centuriones* et et *tribunos* edicto monere seu cohibere non potuit nec voluit. *eas ipse cum legatis circumire. eas* om. Vat. 5. probo. *cum signis frequentes.* i. e. ne dispersi et procul a signis singuli incederent. alio sensu Cic. Off. 2. 17. esse *frequentem cum aliquo* dicit, i. e. sæpius, assidue; sed idem Epp. Fam. 11. 10. *est numerus veteranorum satis frequens cum Ventidio.* — *quispiam ordine.* Heind. ad Cic. N. D. 3. 4. 11. negat *quispiam* locum habere posse, ubi sententia negans sit; sed cfr. Justin 38. 7. *neque Alexander, neque quispiam successorum ejus. quisquam* et *quispiam* mutari etiam V. Cl. Creuz. monuit ad Cic. de Legg. 3. 8.

Cap. XLVI. *innocentia* avaritiæ opposita, ut apud Cæs. B. G. 1. 40. et Tac. Ann. 1. 44. *suppliciis* i. e. ἱκετηρίαις frondes laureæ vel oleaginæ, quas manibus tenentes supplices pacem petebant. cfr. Fest. s. v. „supplicia sunt, quæ caduceatores portant; ea sumebantur ex verbena felicis arboris, nec enim ex alio supplicia fas erat, quam ex verbenis sumi." *genus Numidarum.* cfr. Cat. 6. Jug. 2. infra 47. *adgreditur.* i. e. adpellat. cfr. Cic. Epp. Att. 12. 33. *si nec Drusus facilem se praebuerit, Damasippum velim aggrediare.* — *opportunos cognorat.* Ven. 2. *sibi opport.* Min. 2. 1. haec varietas, tantum in duobus Codd. ex tanto librorum numero inventa, me non adducit, ut pronomen omittendum esse statuam. satis est, quod in sequentibus bis pronomen omissum est. *maxume vivum.* vide supra cap. 39. *persuadet — traderent.* imperfectum et præsens componuntur, quod id loco temporis historici positum est. vide su-

pra cap. 31. et Cat. 24. *quae ex voluntate forent.* quibus rationibus adductus Cortius hæc ad Metellum referenda esse censuit, iisdem impellor, ut hæc ad Jugurtham spectare existimem. Quodsi enim hæc ad Metellum pertinerent, accuratius de iis exponendum erat, et indicativum potius quam conjunctivum ponendum fuisse putaveris. sed hæc verba pertinent ad ea, quæ Jugurtha a Metello petiverat, vide infra c. 48. *quippe cui verbis pax nunciabatur.* — *paucis diebus.* vide supra c. 11. *intento atque infesto exercitu. cum*, quod nonnulli libri addunt, rectius omittitur; ut enim Sal. sæpius præpositiones addit, ubi ab aliis omittuntur, ita aliis locis contra vulgarem usum loquendi, eas delet, quod non mirum te habebit, si reputaveris, quam insolita ejus oratio sit. vide supra cap. 38. *multitudine circumvenit*, et Ruddim. G. L. Inst. 2. p. 336. *intentus* dicitur exercitus, qui non est remissus, sed animum ad res bellicas intentum habet. cfr. Liv. 24. 35. et infra c. 49. 57. *infestus* est, qui animo hostili in hostes fertur, et hostium more agit. Tac. Ann. 1. 69. *infesto agmine Gallias petere.* cfr. ad Cat. 15. et 19. et Nonium ibi laudatum 1. 255. Gell. 9. 12. *belli faciem.* sæpissime apud Tacitum occurrit. cfr. Cat. 31. et infra 78. *in agris erant.* verbum om. Cortius, contra omnium librorum auctoritatem. *mapalibus.* vide supra cap. 18. *procedebant.* ridiculus est Gruterus, qui *procedebant* suspectum habuit, quod paulo ante positum fuerat; quasi id non sit Salustio proprium, ut rhetorum illam elegantiam, varietate verborum orationem illustrandi, consilio negligat, iisdemque verbis sæpius utatur. *parati* cum inf. vide Ruddim. 2. p. 225. constructio hæc usitatissima. *commeatum portare.* Cortius hoc proprio sensu intelligit, scilicet eos paratos fuisse putat frumentum portare, ut et milites et jumenta onere levarent. quod si auctor significare voluit, dicere poterat, *frumentum dare et portare.* sed *commeatum portare* est in certa loca ab imperatore designata deferre. vide infra cap. 75. *quam plurimum quisque aquae portaret, diem locumque ubi praesto fuerint, praedicit.* — *munito agmine* i. e. agmine quadrato, quo contra omnes hostium impetus tutior esset. vide infra cap. 89. et supra 33. ceterum *munito agmine* ab alio scriptore dictum esse dubito. *ostentui.* scilicet *esse*, quod deteriores libri apponunt. signa illa deditionis in speciem composita esse putavit, ut in fraudem illiceretur. ceterum quamvis simulationis notio huic verbo inest, ut etiam verbo frequentativo *ostentare* et *ostentatio*, tamen vix apud ullum

scriptorem *ostentui* eadem significatione positum inveneris. nam quæ Taciti loca laudant, ab hoc aliena sunt. *et insidiis locum temptare.* recte Cort. hunc locum explicuit. sed verborum structura quam maxime insolita. scilicet ex verbis *ostentui esse* personæ notio sumenda est: nam *illos* i. e. *hostes* vel tale quid supplendum esse, non dubium est. hoc quidem durissimum, sed tamen similia apud Sal. occurrunt. vide Cat. 51. *circumvenire innocentes* ubi itidem verbum sine subjecto, uti vocant, positum est. etiam infra cap. 114. *Romani sic habuere. alia omnia virtuti suae prona esse, cum Gallis pro salute, non pro gloria certare.* subjectum omissum est, sed quod facilius ex antecedentibus suppleas; etiam usitatius erat dicere *locum insidiis quaerere* quam *locum insidiis temptare.* numerus certe singularis vocis *loci* quam maxime est insolitus. *curabat.* vide Cat. 59. cfr. infra c. 57. *praefectos* intellige duces auxiliarium vide Cat. 59. ceterum observa aptam et concinnam verborum compositionem. scilicet attribuerat tribunis equites, quibuscum utrumque latus exercitus tuerentur. *velites.* cfr. Liv. 26. 4. Val. Max. 2. 3. *quocunque accederent.* si hæc lectio retinetur, dubium non est, quin ad Metelli copias hoc spectet. quod si statuimus, nulla vis in hoc additamento; vix enim assequaris, quem ad finem hoc scriptor adjecerit. sin vero ad *equitatus hostium* hæc pertinent, *quacunque* scribendum est. cui conjecturæ acutissimæ, a Cortio factæ, jam assentior, cum antea parum probabilis mihi videretur. putaveram enim, *quocunque accederent* dictum esse pro *quam partem exercitus Romani equites hostium adorirentur.* sed usus loquendi hunc sensum vix admittit. altera explicatio ut longe elegantior, ita multis exemplis confirmatur. vide supra cap. 38. *eaque Numidae cuncti irrupere.* Frontin. 1. 4. 4. *qua non exspectabatur aditus.* Liv. 4. 19. *quacunque se intendisset.* quæ loca Cortius laudavit. ceterum *equitatus* plurali numero dici et aliunde constat, et Cortius exemplis illustravit. cfr. Cæs. B. Civ. 1. 61. Flor. 3. 11. 8. ita etiam *comitatus* plurali numero supra Cat. 45. interpunctionem quod attinet, comma post *accederent* tollendum et post hostium interpungendum esse censeo, ita ut ad *propulsarent* pronomen *eos* intelligendum sit. consilio igitur auctor substantivum inter duo verba interposuit, ut ad utrumque trahi posset. *in Jugurtha.* vide supra cap. 28. Cat. 52. sub. fin. *tantaque. que*, quod Cort. deleri jussit, hoc loco omitti non potest, ipse

enim orationis numerus id postulat. *pacem an bellum gerens.* vide infra 109. *pacem an bellum agitaturus foret.*

Cap. XLVII. *quo Metellus.* Cortius maluit *qua*, sed falso; nam cum substantivum præcesserit, *quo* recte dicitur. dicat aliquis, etiam *quocunque*, quod cap. antecedente legimus, hujus loci auctoritate posse defendi, et *quocunque* pro *quacunque* esse positum. sed exempla desunt, et error librariorum facilis in unius literæ permutatione. *Vacca* etiam hoc loco optimus quisque liber retinet. *forum* dicitur locus, ubi judicia habentur et res venales proponuntur. cfr. Sigon. de Ant. Jure Italiæ 2. 15. *celebratum* i. e. frequentatum. hæc enim propria significatio vocis *celeber.* Cic. Partit. 10. «loci plani an montuosi, celebres an deserti.» Cato R. R. 1. *via bona celebrisque.* — *incolere* cum ablat. habes etiam apud Plaut. Rud. 4. 2. 2. *Neptuno, qui salsis locis incolit.* sine casu positum est Liv. 21. 31. *mercari* i. e. mercaturam facere. *Italici generis.* cfr. Hist. Fragm. 1. 2. *Cato generis Romani disertissimus.* Cic. Philipp. 4. 5. *virtus est propria Romani generis atque seminis.* — *multi mortales.* vide ad Cat. 1. *huc Consul.* multi ex libris Italicis *Huic.* quod et ipsum ferri potest. vide infra cap. 66. *Vaccenses, quo Metellus praesidium imposuerat.* Sed illud optimorum librorum auctoritate confirmatur. *simul temptandi gratia* i. e. animos illorum explorandi gratia, an servitii jugum a Romanis sibi impositum aequo animo ferrent. *simul* om. Vat. 6. *et si paterentur* i. e. et si Vaccenses nihil recusarent. *opportunitate loci.* loci igitur opportunitas altera causa fuit, cur præsidium urbi imponere Metellus constituit. quæ varietas constructionis Salustianæ orationi quam maxime conveniens est. et *opportunitate* veram esse lectionem et multorum librorum testimonia, et varietas in nonnullis libris obvia, Med. 4. 10. Bon. *propter opportunitatis*, satis superque demonstrat. *imposuit. frumentum et alia, quae bello usui forent eo portare*, ceteris omissis Med. 7. quæ lectio nescio an ceterorum librorum testimoniis præferenda sit. *comportarent* Med. 2. m. sec. Ven. 3. *comportavit* Med. 8. quod et ipsum Med. 7. lectionem confirmat. quare verbum *imperavit* delendum esse censeo. quo omisso, alia verborum structura, Salustio usitatissima, restituitur, quod perfectum infinitivus historicus sequitur. *frequentia* Med. 4. Min. 2. *commeatum* Ven. 1. 2. 3. 4. Vat. 2. 3. Med. 10. Min. 2. Barb. 2. 4. 5. *et in paratis* Vat. 4. *et commeatum etiam paratis rebus munimento fore* Vat. 5. verbis *juvaturum*

exercitum omissis. quæ jam eo nomine suspecta sunt, quod participium futuri *juvaturum* non satis certum est, et quia sequentibus idem fere exprimitur. *et jam paratis.* i. e. quæ jam paraverat; sed ad quæ hoc pertineat, non satis clarum; videtur auctor significare, quæ bello necessaria Vaccam comportaverat, et quod præsidium urbi imposuerat. Romanos quidem mercatores impedimento fore putabat, quominus oppidum a Romanis descisceret; commeatu autem præsidium sustentari et famem prohiberi judicavit. *pacatis* rebus, quod Editor Bipont. recepit, nullius libri auctoritate firmatur, et cur etiam *pacatis rebus* munimento opus sit, ipse viderit. *jam* om. Min. 2. Flor. 1. *paratis et rebus* Med. 10. quare totum hunc locum ita rescribendum esse puto: *Huc Consul, simul temptandi gratia, et, si paterentur, opportunitate loci, praesidium imposuit; praeterea frumentum et alia, quae bello usui forent, eo portare; ratus id, quod res monebat, frequentiam negotiatorum et commeatum paratis rebus munimento fore.*—*Inter haec negotia.* i. e. dum hæc a Metello geruntur. notandum hoc quoque loco, accuratam personæ significationem, ad quam hoc pertineat, a scriptore esse omissam. *impensius modo.* vide infra cap. 75. impense proprie magnis sumptibus, tum studiose, vehementer, multum. *modo*, ad comparativum additum, abundantius dictum et haud dubie ex antiquo sermone repetitum. similia sunt: sine modo, extra, præter modum, etc. ceterum hanc vocem a Salustio sæpissime usurpari jam supra vidimus. *inlectos.* cfr. Cat. 57. fere in malam partem usurpatur, sed rarius et maxime apud antiquiores scriptores occurrit.

Cap. XLVIII. *composuit* i. e. comparavit. cfr. Virg. Georg. 1. 176. *si parva licet componere magnis.* — *suis artibus* i. e. dolo et fraude, quibus ipse plurimum valuit. *verbis — re.* Græce λόγῳ — ἔργῳ. etiam apud Latinos scriptores sæpissime occurrit. *alienata.* cfr. Nep. Ham. 2. proprie est se ab alicujus amicitia removere et alias partes sequi. sæpius pro *deficere* dicitur. *temptati* i. e. ad proditionem impulsi. *necessitudine* pro necessitate Salustius sæpius dixit. vide Cat. 17. 58. *armis certare.* consilio hæc ita expressit, ut antecedentibus fortius opponerentur. *omnium generum.* cfr. Cat. 24. 39. sed pluralis rarius occurrit, hac quidem significatione. Plaut. Mostell. 5. 2. 20. *nati summis generibus.* — *tramites occultos.* recte Cortius: «trames via non militaris sed angusta, privata, ut simul faciat itineris compendium.» cfr. supra c. 38. et Cat. 57. præte-

rea Justin. 38. 9. Liv. 2. 39. Cic. Phil. 13. 9. quæ loca ipse laudavit. sed inde non sequitur *occultos* h. l. ab aliena manu esse adjectum. potest enim trames esse *transversus* et *compendiosus*, non autem *occultus*. quare hoc adjicere non abs re est. *millia passuum* XX. quibus hoc spatium nimis longum videbatur, quippe quod a Rutilio legato non confici potuisse statuerent, iis bene respondit Cortius. Vegetio enim auctore 1. 9. militari gradu viginti millia passuum horis quinque, duntaxat æstivis, conficienda sunt. cfr. Hottom. ad Cæs. B. Gall. 1. 53. *tractu pari.* scilicet montium juga in eandem regionem porrigebantur, ita ut idem fere spatium inter eos et flumen interesset. *vastus ab.* hoc minus aptis exemplis Cortius illustrat. simile Ennianum apud Serv. ad Virg. Aen. 1. 56. *quae nunc abs te viduae et vastae virgines sunt.* — *sed ex eo medio.* i. e. isti montium jugo collis, in longum pertingens, fuit junctus, qui medius inter montem et flumen interpositus erat. *in immensum.* hoc ex sermone vulgi interpretandum, qui in rebus augendis laudem quærit. cfr. Tac. Ann. 15. 40. *proruta per immensum aedificia. pertingens*, quod Gronov. suspectum habuit, plurimorum librorum testimoniis confirmatur, neque est, quod de hujus vocis auctoritate dubites. *quasi* i. e. circiter, ferme, paene. Cic. Orat. 13. *est enim quasi in extrema pagina Phaedri. vestitus oleastro.* vocabulum in hac re proprium. cfr. Cic. N. D. 2. 53. Liv. 22. 28. id. 21. 54. *oleaster.* ἀγριέλαια. *mirtetis.* iisdem arboribus atque virgultis in Italia sæpissime montes obsiti atque vestiti sunt; e. gr. mons præruptus, qui Terracinae imminet, et ad Fundos usque porrigitur. *humi arido atque arenoso.* hæc lectio cum grammaticorum antiquorum testimoniis satis sit confirmata, dubitari non potest, quin vera sit; sed explicanda est. Hoc sunt, qui ita exponant: «Genitivus *humi* loco ablativi positum esse neminem fugit. quemadmodum igitur nominibus urbium, in genitivo positis, ablativus urbe, oppido, per appositionem adjungitur, ita hoc loco adjectivum substantivo junctum eandem analogiam sequitur.» sed adjectivorum atque substantivorum, nec non appositionis ratio diversa. rectius dixeris neutrum adjectivorum *aridum* atque *arenosum* loco substantivorum esse positum. ita *lubricum viae* apud Tac. Hist. 2. 88. id. 3. 79. *multo jam noctis. lubricum juventae.* Ann. 6. 49. Georg. 1. 478. *sub obscurum noctis* Aen. 3. 232. *ex diverso coeli.* sed neutrum plurale est usitatius. *penuria aquarum* ex Ital. unus Ven. 1. *arbusta*, pro arboribus antique. Cato R. R. 7.

copulare vitem arbusto. Lucret. 1. 137. *e terraque exorta repente arbusta salirent.* vide vs. 352. *frequentare* sæpius est frequentem facere, implere; quamobrem præpositio *a* non adponitur. cfr. auct. B. Afric. 20. *sagittariis — frequentabat copias.*

Cap. XLIX. *transvorso itinere porrectus* collis dicitur, quia mons et fluvius via recta processisse existimantur, collis autem in obliquum pertinuit. *propior montem.* cfr. Cat. 11. et supra 18. *delectos suos* Med. 4. m. sec. ex emendatione. Barb. 2. sed longe plurimi libri vulgatam confirmant, quam Cortius extra controversiam corruptam dicit, et *cum omni equitatu pedites dilectos* reponit. scilicet *suos* qui sint, non intellexit. sed haud dubie sunt intelligendi *regii equites*, quos dicit infra 54. qui custodes corporis erant. vide cap. 67. ubi iterum commemorantur. quare nihil mutandum. *turmas et manipulos.* nomina Romana ad hostes transfert. *ducem illis.* dativus pro genitivo positus; id quod sæpius occurrit. *quae ab imperatore decuerint*, scilicet provideri. *decere* non ubique pro verbo impersonali usurpari satis constat, sed magis insolitum, quod cum nominativo et infinitivo conjungitur, cum vulgo accus. cum inf. ponatur. cfr. Tac. Hist. 5. 17. *quae provideri astu ducis opportuerit. — uti* Vat. 5. Med. 1. Ven. 1. probo. *prudentes* i. e. locorum gnari, et quibus praelium non erat inopinatum. cfr. Hist. Fragm. 3. Ep. Mithridat. *milites belli prudentes.* Liv. 34. 28. *Achaei locorum prudentes. — intentique essent — invadere.* hæc ita jungi non possent, nisi *parati* antecessisset, quod cum infinitivo jungi posse supra docuimus. utrumque junctum, sed sine infinitivo Cat. 27. cfr. Liv. 24. 39. Tac. Ann. 2. 16. quid sit *victorias confirmaturum* unusquisque intelligit. *labores confirmare* per se dici non potest, sed per syllepsin cum *victorias* junctum, id quod ferri potest, quod, quæ confirmantur, iis quasi finis imponitur. eandem fere sententiam Tacit. expressit Ann. 12. 34. Thucyd. 2. 12. ὅτι ἥδε ἡ ἡμέρα τοῖς Ἕλλησι μεγάλων κακῶν ἄρξει. *pecunia aut honore extulerat.* etiam hæc syllepsis est, nam pecunia augere vel donare vulgo dicitur; sed etiam efferre dicere licet, quia sæpissime in pecunia atque præmiis dandis honor est positus. *degrediens.* hæc haud dubie vera lectio, si quidem *degrediens* et *digrediens*, quod plurimi libri habent, inter se differre statuimus. *facies* i. e. collis a Numidis occupatus. vide infra cap. 51. et Cat. 31. *neque plane occulti* Med. 10. *occultari* Med. 4. *occultati* Med. 5. 11. Ven. 1. 4. Vat. 1. 2. 4. 5. Flor. 1. Neap. 3. Min. 2. qui-

bus libris obsecutus, participium pro infinitivo reponendum esse judicavi. *equi Numidaeque.* hoc Cortius ita explicat: equites peditesque Numidæ; et sic sæpissime *equos virosque* poni statuit, ut hoc *equites* illud *pedites* denotet.» quod quidem contra se habet, quod vernacula dictio huic simillima eum docere poterat. neque recte Florum 2. 7. 8. neque infra cap. 51. laudavit. nam equis virisque aliquid facere (cfr. Cic. Off. 3. fin. et Epp. Fam. 9. 7.) est omni conatu agere, tentare omnia; nihil non omittere; cetera, quæ laudavit Cortius, non sunt hujus loci. *incerti.* passive Tac. Ann. 3. 42. *Florus incertis latebris victores frustratur.* ita sæpissime *gnarus*, *ignarus* apud Tacit. *caecus* apud Virg. cfr. Cat. 15. 39. *incautus* ap. Tac. Ann. 1. 50. *nescius* ap. Plaut. Rud. 5. 1. 17. *obscurati.* prævalet genus personæ, maxime cum masculinum sit, ut sæpius. cfr. Terent. Andria 5. 3. 20. *domus, uxor, liberi inventi invito patre.* quamvis horum locorum diversa sit ratio; verborum enim positus in his structuris plurimum valet. *agmen constituit.* varietas lectionis suadere quidem videtur, ut vocem insolitam ab auctore positam esse statuamus, cujus explicandæ gratia lectiones, quæ exstant, a librariis excogitatæ esse videantur; sed cum solus Fabric. Rivii *constitit* habeat, cum lapsus librariorum in his vocibus mutandis facillimus, cum exempla desint, quibus auctoritas hujus significationis confirmetur, in lectione optimorum Codd. acquiescendum esse putavi. quæ enim afferunt loca, ubi *consistere* active usurpatur, aut ad aliam significationem pertinent, ut Lucret. 6. 10. et Gell. 5. 10. aut lectio dubia est, ut Sil. 15. 637. Cæsaris loco, quem laudant, B. Civ. 2. 42. ex Codd. rectius legitur *constituit.* quæ quidem vox satis usitata. cfr. Oudend. ad Cæs. l. l. et Liv. 38. 25. *constituit agmen.* id. 33, 10. 34, 20. *commutatis ordinibus.* scilicet cum antea tota acies ita processisset, quasi a flumine hostis adventaret, jam mutatis ordinibus, dextrum latus prima acies facta, atque subsidiis, quae opus videbantur, firmata est. *triplicibus subsid.* i. e. non triplicem aciem instruxit, sed quartam adjecit, ut Cæsar in pugna Pharsalica. *inter manipulos.* cfr. Liv. 8. 8. Polyb. 6. 19. vide aciem a Scipione ad Zamam instructam. Liv. 30. 33. ubi itidem manipuli aliquantum inter se distabant. *equitatum omnem.* adjectivum apud Cortium omissum, incuria typographorum credo. *transvorsis principiis. principia* pro militibus dictum, qui in principio aciei i. e. in primis ordinibus, seu in fronte exercitus contra hostem instructi sunt. cfr. Liv. 2. fin. Sisenna ap. Non. 2. 516.

Tac. Hist. 2. 43. prima acies igitur, quæ in latere dextro instructa erat, non recta ad hostem tetendit, sed ordinibus servatis per obliquum processit et hostium exercitum præcedere coepit. id ab auctore *transvorsis principiis* dicitur, quia Metellus non in eandem, quam hostes, regionem duxit, sed eadem via, qua montem ascenderat, progredi coepit, quae recte transversa dicitur, si quidem recta via ad hostem ferebat. eodem modo cap. seq. *transversa proelia* dicuntur impetus in latus apertum Romanæ aciei facti.

Cap. L. *degredi.* etiam hoc loco multi *digredi* habent. ita Vat. 2. 3. 4. de mutata constructione jam sæpius est monitum. *Rutilium. P. Rutilius Rufus*, vir innocentissimus, fuit Consul cum Cn. Manlio U. C. 648. Cicero sæpius ejus mentionem facit. cfr. Ernesti Clav. Ciceron. s. v. *expeditae cohortes* dicuntur, quæ et sine impedimentis ipsisque sarcinis depositis iter faciunt, et levis armaturæ milites. sed hoc loco prior significatio obtinet, altera enim maxime apud seriores scriptores occurrit, ubi varia armaturæ genera magis distincta erant. *lassitud. sitim — tempt.* i. e. „tentaturos, ut lassitudine et siti deficeret exercitus.“ Cort. *pro re atque loco.* i. e. in quantum in re tam aspera et loco tam iniquo fieri poterat. *post principia.* locus in acie post eum ordinem militum, qui principia appellabantur, hoc igitur loco post mediam aciem, quod in agmine medium locum tenuit. *principes facti erant.* i. e. agmine procedente initium itineris a sinistræ alæ equitibus factum, id quod aliter fieri non potuit, nisi tota acie mutata atque perturbata. *quasi.* cfr. supra cap. 48. Græce. ὡς ὄιων. *qua Metellus.* vide supra cap. 38. *eaque Numidae cuncti* etc. *dein repente — invadit.* hæc Vat. 5. omisit. *infensi adesse.* infensus dicitur, qui vehementer in aliquem iratus est; Numidæ enim ira in Romanos commoti atque exacerbati eorum ordines turbabant. pari modo apud Tac. Ann. 15. 10. dicitur *agmen infensum adesse.* huic significationi consentaneum est *adesse.* id quod aliis locis auxilio esse significat, contrarium etiam significare potest; est enim nullum tempus intermittere, quin præsens sit, id quod in impetu faciendo atrocitatem et acerbitatem pugnantium exprimit. cfr. Liv. 25. 34. *deinde assidue dies noctesque infestus aderat.* Flor. 3. 5. *aderat, instabat,* Cat. 52. *jam omnes feroces aderunt. — contra feriundi* pari modo dictum, ut *contra facere, amare, intueri, esse* et *sese habere. Roman. turba.* Med. 2. 5. Ven. 2. *turmae insequi coeperant.* Vat. 5. quæ lectio fortasse præstantior. *in unum.* vide supra cap. 11. *di-*

vorsi. vide infra 101. *quia divorsi redeuntes, alius ab alia parte.* — *circumveniebant.* hoc Cortius male interpretatur: *occidere. ferire.* meliora eum docere poterant loca ab ipso laudata Cæs. B. Civ. 2. 41. et B. Gall. 5. 35. ceterum quod Sal. h. l. Thucydidem 3. 97. imitatum esse statuunt, in eo egregie falluntur. pugnandi quidem ratio similis, sed talia multa apud scriptores inveniri possunt, etiamsi alienissimi sunt. *collis haberetur, quam campi fuerant.* Med. 4. *campi fuerant* etiam Med. 7. et Vat. 4. 5. sed plurimi Codd. vulgatam lectionem confirmant. *consueti* i. e. qui adsuefacti erant montes virgultis vestitos ascendere.

Cap. LI. *periculum ceperat.* imprimis animi affectus homines capere dicuntur; ita metus, pavor, luctus, libido, cupido, oblivio, admiratio, apud Liv. 34. 4. *ne illae magis res nos ceperint, quam nos illas.* h. l. dictum est pro: ubi quisque periculo deprehensus fuerat. *propulsare.* scilicet *periculum.* nam hoc verbum nusquam sine casu construitur, *hostes atque cives.* copulam ex Itall. solus Min. 2. omittit. *et cives* Med. 4. quare etiamnum particulam delere dubito, meliorum librorum auctoritate munitam. sed cfr. loca a Cortio laudata supra cap. 31. 41. infra 97. 101. Cat. 37. Cic. Orat. in Cat. 4. 9. Flor. 1. 18. *multum diei. die,* quod Cort. Ciacconii fide emendaverat, nullus ex nostris libris confirmat. *processerat.* vide supra cap. 21. Cic. Tuscul. 3. 22. *dies procedens mitigat aegritudinem.* — *in unum conducit.* vide Cat. 17. *in unum omnis convocat.* — *eorum magna.* usitatius erat relativum *quorum,* et nescio an ex vetusta scriptura, *corum* pro *quorum,* eorum ortum sit. *neque illis.* ad Romanos hæc haud dubie pertinent, sed nulla vis in pronomine *illis,* quippe quod positum est, cum *hostes* proximo loco positum fuerit. *tenderent.* i. e. contenderent. sæpius apud ipsum Ciceronem occurrit. *cum delectis.* vide supra c. 49. *temptare omnia* i. e. alia atque alia agere, vario modo hostibus damnum inferre. *dubiis.* quid significet ex opposito cognoscitur; ita dicuntur, qui non obfirmato animo pericula suscipiunt, sed inter fugae atque audaciæ consilia fluctuant. ita apud Liv. 37. 49. *bellum cum haud dubiis hostibus gerendum* i. e. hostes acerrimi atque infestissimi. *firmos.* vide supra cap. 50. cfr. Cic. Epp. 10. 9. *copias adduco et genere et numero, et fidelitate firmissimas.*

Cap. LII. *ceterum opibus.* — *ceterum* sæpius in oppositis locum habet, inprimis apud Salustium; sed etiam apud Livium. cfr. 1. 24. *foedera alia aliis legibus, ceterum eodem modo omnia fiunt.* — *virtus mi-*

litum erat i. e. non defuit, milites satis fortes fuere; oratio consilio ab auctore variata. *die vesper erat.* insolitam terminationem h. l. multi libri confirmant, cum supra ne unus quidem liber illam defenderet. quod et ipsum est testimonio, non ubique has formas et ab Salustio et ab aliis scriptoribus esse usurpatas, sed maxime aurium judicium scriptores esse secutos. cfr. Gell. N. A. 9. 14. et Virg. Georg. 1. 208. et Servium atque Pierium ad hunc locum. Plaut. Pseud. 4. 7. 59. supra 21. *die vesper* abundantius dictum; qualia multa in antiquiore sermone. cfr. infra cap. 106. et Dictys. 3. 20. recte comparat Cort. *vultus corporis, anni tempus* et similia. *adverso colle* i. e. adversum collem; proprie ita, ut collis adversus esset; Salustius enim, ut bene Cortius, sæpius ablativo absoluto, qui dicitur, vel iis locis utitur, ubi totius structuræ ratio alium casum postulare videbatur. cfr. Cat. c. 9. fin. 11. supra 19. 49. infra 63. et Hist. Fragm. 4. Ep. Mithridat. *evadant* i. e. escendant. Liv. 26. 45. *evadere ad moenia.* Virg. Aen. 2. 458. *evado ad summi fastigia culminis.* — *amisso loco.* i. e. loco depulsi. ita *amittere tempus, occasionem, praedam* dicitur. *ignara.* vide supra cap. 18. *tutata sunt* h. l. optimi libri confirmant. *festinans pergit.* aliis locis loco participii verbum finitum ponitur et infinitivus sequitur. cfr. infra 64. *ne festinaret abire.* — *quietus* i. e. leniter atque placide, sine magno labore atque contentione, quod ita fieri jusserat Jugurtha, ut primum intelligeret, quid hostes agerent molirenturve. *exornat* i. e. apparat, instruit. cfr. Justin. 5. 6. *classem.* vide infra 85. convivium. *armis exornare.* Cat. 17. et infra 90. *satis providenter exornat* nullo casu addito. *animo vacuum.* i. e. parum sollicitus et otiosus. simile Cicero conjungit. Cic. Verr. 2. 9. *animo vacuo atque soluto cogitare aliquid.* — *arte statuerat.* cfr. Cat. 59. *reliqua signa in subsidio artius collocat.* Liv. 2. 50. *multiplicatis in arcto ordinibus.* — *obficeret* i. e. impedimento esset, impediret, prohiberet. vide infra 58. *alii in angustiis ipsi sibi properantes officerent.*

Cap. LIII. *concurritur*, hoc omnes libri Italici habent. *tantummodo.* positum pro *haud amplius*; cujus usus exempla desidero. *in eleph. auxil. putant.* cfr. Cat. 43. et 19. et 2. *maximam gloriam in maximo imperio putare.* — *postquam eos.* pronomen, quod aliquot Cortii libri om. Italici omnes retinent. neque salva orationis perspicuitate deleri potest. *fessi laetique.* quamvis antea lectionem, a Codd. longe plurimis confirmatam et ipse defenderam, tamen re iterum iterumque retractata, *lae-*

ti stare non posse judico. cum enim *itinere*, *atque opere castrorum et proelio* haud dubie ad *fessi* pertineant, et præposita sint ut hujus vocis vis explicetur, *laetique* autem cum *fessi* tam arcte conjunctum sit, ut ab eo sejungi non possit, non potuit auctor vocem sensu plane contrariam adjungere. quamvis enim hoc ab Salustio non alienum, opposita nulla intercedente particula componere, hoc tamen dictum est abruptius, et vis particulæ *que* recte explicita nos dubitare non sinit, quin *lassi* ab ipso auctore positum sit. id quam facile in *laeti* mutari potuerit, nemo non intelligit, cum maxime hæc vox rarius occurrat. jam quod dicunt, hanc ταυτολογίαν in Salustio non ferendam, primum in eo errant, quod *fessi lassique* eandem vim habere statuunt, differunt enim, etiamsi haud ubique discrimen facile cognoscitur. ut enim corpora *fessa*, ita animi *lassi* sæpius dicuntur. cfr. Lucret. 6. 1246. *lacrimis lassi luctuque redibant*. Plin. 37. 1. *lassus assiduo gaudio*. Terent. Andria 2. 1. 4. *animus lassus, cura confectus*. sed Plaut. Asin. 5. 2. 23. etiam dixit: *lassus opere faciundo*. accedit, quod in sequentibus *nihil languidi neque remissi* dixit, quæ verba antecedentium vim iterum excipiunt et exprimunt. Livii autem locus, quem laudant, 22. 6. *cum fessis pugnando hostibus, tum victoria laetis*, tantum abest, ut illorum sententiam confirmet, ut potius contrarium doceat. *nihil languidi neque remissi*. vide infra cap. 88. *nihil apud se remissum, neque apud illos tutum pati*. Ammian. Marc. 16. 10. *praeliorum ardor nihil perpeti poterat segne*. Cæs. B. Civ. 1. 21. *remisso ac languido animo esse*. id. 2. 14. *hostes, nostris languentibus atque animo remissis*. Horat. Epp. 1. 18. 90. *oderunt agilem gnarumque remissi*. — *velut hostes adventare*. hæc omnium fere librorum lectio esse videtur, eo notanda, quod post *velut* infinit. pro conjunctivo positus est. quæ quidem structura, a vulgari usu loquendi plane abhorret; quare cum Salustius aliis locis *velut* sine verbo adjecto usurpaverit, recte Cortius statuere videtur, *adventare* ab aliena manu esse appositum. Tac. Hist. 3. 10. *et visi procul sociorum equites vanam formidinem, ut hostes, fecere*. sed hoc verbum exquisitius, quam quod librarii inventum dixeris. quid enim erat, quod hoc adjiceretur, cum infinitivo omisso sensus facillimus esset? et infinitivus aut inde ortus est, quod infinit. historicus sequitur, aut Græcorum exemplo hoc dictum est, ubi in oratione obliqua infinitivus omnes conjunctiones sequitur. cfr. Viger. Ed. Herm. p. 206 et 745. *alteri apud alteros*. hæc verborum struc-

tura inusitatior. cfr. Cic. pro Rabir Post. 14. *subinvisum apud malevolos Posthumi nomen.* pro ablativo cum præpos. *in* sæpius apud seriores ponitur. Tac. Ann. 3. 12. *Adjutor Germanico datus, rebus apud orientem administrandis.* et Terent. Andria 2. 1. 2. *apud forum modo e Davo audivi. — ad coelum fert.* Min. 2. *ferunt. — detractant.* alii *detrectant.* sed quibuscunque locis occurrit, lectio variat, ita ut haud facile ad liquidum perduxeris, utra lectio sit præferenda. cfr. Cortium in *Dissertat.* II. *de usu Ortograph. Lat.* c. III. §. VII. sed cum et apud Festum *detractant* legatur, idemque, teste Glareano, olim in plurimis fuerit Codd. hanc lectionem restitui. tuetur hanc scripturam vocis origo, quam ad verbum *detrahere* pertinere non est dubium.

Cap. LIV. *quatriduo.* haud raro vel apud optimos scriptores ablativus ponitur, ubi temporis spatium, quod in re aliqua gerenda consumtum fuerit, significatur. quod enim Servius ad Aen. 1. 47. monet: «tot annos continuationem significat, tot annis intervallum» eam regulam scriptores non constanter sequuntur. cfr. Ramshorn L. Gr. §. 146. n. 1. *cum cura* i. e. diligenter. *reficere.* hoc rarius ad vulneratos, multo sæpius ad lassitudinem imbecillitatemque, magnis laboribus contractam, refertur. cfr. Cæs. B. G. 7. 32. id. 8. 1. pro sanitatem restituere dixit. Cic. Epp. Att. 7. 3. *Tironis reficiendi spes est.* Senec. Ep. 7. *ex longo morbo refici. — universos — laudat — agit gratias.* nota structuræ insolentiam, quod Zeugma dicunt. cfr. Cat. 48 et 51. fin. *imitari quam invidere bonis malebant.* Cic. pro Cluent. 2. Liv. 36. 31. Ruddim. Inst. L. L. 2. 262. n. 12. *ad cetera.* conjunctionem *ut* hoc loco optimi libri omittunt. *quae levia sunt.* quod sæpius est monitum, Salustium orationi obliquæ, quæ dicitur, indicativi modi tempora interponere, is loquendi usus vel hoc loco confirmatur. Græcorum vestigia in hac re Latinos scriptores esse secutos, satis constat. cfr. Math. Gr. G. §. 507. rem illustravit Herman. ad Viger. Gr. L. 20. p. 900 sq. *animum gerant.* etiam hoc priscum est. cfr. Enn. apud Cic. de Off. 1. 18. qui et ipse *animum muliebrem gerere* dicit. vide infra Sal. Jug. 107. *opportunos* i. e. ad hanc rem peragendam idoneos. etiam apud Livium hæc vox nullo casu addito usurpatur. cfr. Liv. 1. 54. *alios sua ipsos invidia opportunos interemit.* id. 7. 23. *perculsos pavore rata, simul opportuniores, quod intenti quam maxime operi essent. — hebetem* i. e. ignavum. Tac. Hist. 2. 99. *quantum hebes ad sustinendum laborem miles, tanto ad discordias prom-*

tior. eodem sensu *hebere* et *hebescere* dicitur. Tac. Germ. 15. H. 2. 77. oppositum: *strenuus.* — *belli cultorem.* in eandem sententiam Cic. de Legg. 1. c. 5. *colere et efficere munus* Ovid. Fast. 2. 108. *colere militiam.* Plaut. Poen. 4. 2. 7. *colere servitutem* dixit. *eveniebat.* imperfectum ab auctore positum esse videtur, quod morem Numidarum describit. Nam non solum Jugurthæ, sed regibus Numidiæ plerumque accidere solebat, ut prælio victi ab omnibus fere militibus desererentur. *regis etiam tum.* longe plurimi ex Italicis Codd. sed cum in horum verborum ordine libri tantopere varient, concinniorem orationis numerum cum asperiore mutare nolui. *iniquum certamen.* solus Ven. 2. et Med. 5. m. sec. *inimicum* ceteri. quae quam facile a librariis mutari potuerint, nemo non videt, maxime cum *inicum* pro *iniquum* scribere, usitatum fuerit. unde aliquis conjiciat, illud pro vulgato esse restituendum. sed ne hoc quidem exemplis caret. cfr. Cic. Epp. 3. 8. *sententia, qua nihil mihi potest esse inimicius.* Virg. Aen. 1. 127. *naves accipiunt inimicum imbrem.* Plin. 20. 9. *brassica inimicissima stomacho.* et id. 17. 23. *maritare ulmos nisi validas inimicum.* ita etiam apud Livium 28. 29. *inimicius* et *iniquius* variant. quamvis igitur *iniquum* certamen longe elegantius sit, quam *inimicum*, tamen quod ferri posse videtur, id corrigere nolui. *non praeliis neque acie.* Eich. *non praelio neque acie.* Ven. 2. *neque acie.* etiam Med. 2. Vat. 2. 4. Flor. 1. ita etiam alii scriptores *acie certare, decernere, dimicare, pugnare, vincere, confligere, expugnare, depugnare.* ita etiam infra cap. 97. *non acie neque more praelii.* cfr. Liv. 7, 29. 9, 41. 7, 14. 44, 39. 45, 41. 30, 19. 33, 8. 9, 39 uno loco 5, 41. ubi præpositio *in* addita est, hoc consilio factum; quare et Codd. auctoritate et constanti usu loquendi permotus, præpositionem delendam esse censeo. *temere munita* i. e. nullo consilio et ratione. *interfici jubet.* Ven. 1. Vat. 5. quæ lectio haud dubie verissima, et quæ facillime corrumpi potuit, ita ut recte mireris hanc lectionem, a Putschio et Grutero aut in libris calamo exaratis inventam, aut per emendationem receptam, a Cortio rejectam fuisse. sed quæ ejus est animi confidentia, ita judicat: «magna vero socordia est, quod non viderint interpretes illud *jubet* esse glossam et scribendum, ut nos nunc edidimus.» *praedae esse.* Vat. 2. *praedam fore.* Min. 2. *formido* i. e. *metus vehementior et permanens.* Cic. Tusc. 4. 8. *adfatim.* hæc et alia adverbia hujuscemodi Salustium more antiquæ locutionis, non substantivorum instar solere construere jam su-

pra est monitum. *negotia.* vide Jug. 6. et 93. Cat. 24. *ex copia.* h. l. vim habet vocabuli medii; dictum enim pro: ex difficultate rerum; simile est Plautinum, Epid. 1. 2. 59. *non est cunctandi copia.* Liv. 28. 21. *ludi funebres additi pro copia*, i. e. in quantum per provinciæ opes et castrorum apparatum fieri poterat. id. 26. 11. *donaque alia pro copia portantes.* et 27. 6. *ludos, pro temporis ejus copia, magnifici apparatus fecerunt.* — *plerumque.* adjective positum, ut apud Liv. 45. 9. *finis inclyti per Europam pleramque.* cfr. supra cap. 21. et Cat. 23. et 38. infra 79. *ubi plerumque noctis processit.* — *palantis.* Vat. 5. *intactus.* i. e. integer, Liv. 1. 25. *intactum ferro corpus.* id. 2. 12. et 5. 38. *integri intactique profugerant.*

Cap. LV. *seque et exercit. gereret.* cfr. infra cap. 85. *meque vosque in omnibus rebus juxta geram.* sed hoc insolentius dictum; quod enim respublica, bellum, et imperia geri dicuntur, inde non sequitur, etiam ad personas hoc posse referri; alio enim sensu his jungitur. quare hanc structuram Salustio propriam esse judico. sed cum *se gerere aliquem*, vulgo dictum sit, hoc etiam ad alias personas transferri commode potuit. contra Cicero dixit: *quo in munere ita se tractavit.* vim Græci verbi διοικεῖν a Salustio expressam esse putaveris. *magnificum.* i. e. superbum et magniloquum. Plaut. Bacch. 4. 9. 42. *cum magnifico milite, urbes verbis qui inermus capit.* cfr. Asin. 2. 2. 84. *ea feliciter acta.* cfr. Cat. 51. *ea bene parta.* quem locum nuper V. D. Latinum esse negavit; credo, quod pronomen participio jungi posse diffidebat. sed apud Græcos hæc sæpius conjunguntur. cfr. Platon. de Legg. 3. p. 114. μῶν οὐκ ἐκ τούτων, τῶν κατὰ μίαν οἴκησιν καὶ κατὰ γένος διεσπαρμένων κ. τ. λ. vide Mathiæ Gr. Gr. §. 467. c. *ad victoriam niti.* hæc locutio adamata Salustio, quippe qui *pro* et *contra*, *ad* et in *aliquid* niti sæpius dixerit. *clarior erat.* Med. 1. 2. 4. 5. 7. 8. 9. 11. Ven. 3. 4. Vat. 2. *clarior erat* — *anxius erat.* Vat. 1. 3. 4. sed *erat* post *anxius* multo elegantius. *praeda vastabatur* i. e. *praedando.* vide Cat. 12. *ubi vi opus. vi.* om. Eich. parum accurate. *latius cresceret.* hæc omnium Codd. Ital. lectio. *crescere* h. l. est extendi, propagari. Liv. 39. 16. *crescit et serpit quotidie malum.* Quinctil. Inst. Rhet. 8. 5. *nihil ad justam altitudinem crescere potest, quod loco, in quem crescat, caret.* — *crescerent.* Ven. 2. *fontis.* Vat. 5. probo. *se ostendere* i. e. in conspectum venire. ceterum per totum hoc caput orationis simplicitas laudanda.

Cap. LVI. *arcem regni.* similiter Cicero pro Ligar. 7. *Africa omnium provinciarum arx.* — *arces* enim loca munita dicuntur, quæ adjacentibus regionibus præsidio sunt. vide Liv. 44. 31. *Zamam.* cfr. Hist. B. Afric. c. 91. Sil. 3. 261. Polyb. 15. 5. qui hanc urbem quinque dierum iter occidentem versus a Carthagine abesse dicit. adde Liv. 30, 29. hodie hæc urbs *Zamora* dicta. *fallere nequibant.* scilicet propter poenæ atrocitatem, de qua vide Val. Max. 2. 7. 11. seq. *Siccam* etiam hoc loco Codd. cum Græce Σίγα scribatur. cfr. Strabo 17. 3. p. 484. Ed. Tauchn. non procul Zama abfuisse videtur. Plin. H. N. 5. 1. «Siga oppidum ex adverso Maluchæ in Hispania sitae, Syphacis regia, alterius jam Mauritaniae.» *alia intus Sicca.* Plin. l. l. 5. 2. *pugnam facit.* cfr. c. 57. 61. 82. Tacit. Ann. 3. 21. *prosperam adversum Numidas pugnam facit. facere* enim non minus quam Græcum ποιεῖν multis circumscriptionibus inservit. et Seneca Ep. 114. ex Salustio *facere exercitum* laudavit. *praelium* facere dixit Liv. 39, 2. 40, 34. *bellum* id. 1. 98. Græce: πόλεμον καὶ μάχην ποιεῖν. *casum.* i. e. occasionem, opportunitatem. vide supra cap. 25. et Tac. Ann. 11. 9. *sese Numidae gerunt.* Flor. 3. sed agere et in aliis verborum structuris pro gerere dictum, v. c. agere censuram, bellum, rempublicam, regnum. Liv. 31. 11. et agere se principem, ministrum, pro equite, apud Suetonium occurrunt. cfr. Claud. 29 et 25. adde Liv. 4, 13. 40, 46.

Cap. LVII. *Et Mar.* Flor. tales conjunctiones sæpius apud Salustium additæ, ut abrupta orationis membra conjungerentur. *opulentum.* i. e. satis instructum. *in manibus facere.* i. e. manus conserere. cfr. Liv. 2. 30. *ubi ad manum venisset hostis.* Nep. Eum. 5. *neque unquam ad manum accedere licebat.* Plin. Pan. 17. *venire in manus.* — *pice et sulphure taedam mistam ardenti.* Barb. 2. 3. 4. 5. *taedam mistam ardenti.* etiam Vat. 4. 6. *ardenti.* Vat. 2. 3. et longe plurimi libri. sed etiam *ardentia* nonnulli confirmant, Veneti et nonnulli Mediolanenses; etiam Vat. 5. cujus summa auctoritas. sed idem *pice et sulphure taedam mixtam* habet. sed lectionem a Cortio restitutam veram esse, non est dubium. plura substantiva varii generis neutrum sequi, in vulgus notum. duriusculum est, quod numerus singularis gen. fœm. præcedit; sed ne hoc quidem plane insolitum. *pari periculo.* præpos. *in* omissa. Cic. Epp. 4. 15. *ne quo periculo te proprie existimares esse.* ad quem locum vide Cortium.

Cap. LVIII. *remissis.* vide supra 55. *nihil remissi pati.* Nep. Iphicrat. fin. *in labore remissus nimis parumque patiens.* Cæs. B. C. *nostris languentibus atque animo remissis.* Horat. Epp. 1. 18. 90. *oderunt agilem gnarumque remissi. — arma capiunt.* Eich. *propere. mittit* Ven. 1. ceteri receptam lectionem confirmant. *clamorem veluti tumultum hostilem.* Flor. 3. quæ lectionis varietas et ipsa est testimonio, *tumultum* rectius omitti. quam quidem vocem librarius haud indoctus in margine adscripsisse videtur, ut vim vocis clamoris accuratius exprimeret; unde postea in ipsum verborum contextum irrepsit.

Cap. LIX. *qua regis adventus erat.* cfr. Cat. 57. *qua illi descensus erat.* Salustium nomine verbali aliquoties pro ipso verbo uti, jam ad Cat. 31. monuimus, ubi substantivum cum casu verbi constructum erat; sed hæc verborum structura insolentior. quare talia quidem notanda, sed non imitanda sunt. *quivissent — facerent.* de temporum conditionalium ratione nuperrime accuratissime exposuit Krüger. cfr. Untersuchungen aus dem Gebiete der Lateinischen Sprachlehre II. Heft. Et imperfectum indicativi et conjunctivi cum plusquamperfecto componi, multis exemplis docuerunt Grammatici, sed indicativus fere poni solet, ubi res est certissima, si quidem ea eveniunt, unde illa pendet. sed imperfectum conjunctivi tum maxime ponitur, cum aliquid narratur, quod vulgo fieri solet, et vim optativi Græci cum particula *ἂν* exprimit. cfr. Krüger l. l. §. 58 – 62. recte Cortius «hic tamen Salustius peculiari modo imperfectum tempus posuit, quia non tam, quod tunc factum fuisset, sed etiam quid moris sit, exponere voluit.» cfr. Flor. 3. 21. 12. *poterat videri jure agere, nisi causam suam saevitia corrumperet.* alii scriptores minus accurate eodem tempore utuntur. cfr. Liv. 2. 56. et Gronov ad 34. 11. Flor. 3. 3. 13. *equites cum peditibus permixti.* de hoc more Numidarum cfr. Auct. B. Afric. c. 69. ceterum hoc apud multos populos fuisse institutum, satis constat. *solet. fieri* omissum, ut Cat. 29. ubi vide; de hoc equestris proelii genere cfr. Liv. 31. 35. et Freinsheim ad Flor. 2. 2. 35. *advorsis equis.* i. e. non terga vertebant, sed eodem loco manebant, et adversi hostibus stabant. *implicare aciem.* i. e. ordines perrumpere atque confundere. simile Virgilianum Aen. 10. 893. *effusumque equitem, super ipse secutus, implicat.* Aen. 11. 632. *totas implicuere inter se acies.* ubi fere idem est, quod pugnam miscere seu manus conserere. *victos dare.* locutio antiquis scriptoribus atque poetis usitata. loca lau-

davit Cortius. cfr. Terent. Heaut. 5. 1. extr. Phorm. 5. 7. 81. Plaut. Cist. 2. 3. 51. Pseud. 1. 5. 61. Virg. Aen. 12. 437.

Cap. LX. *magna vi certab.* cfr. Cat. 60. *ubi quisque legatus. quisque* fere cum adjectivis et maxime quidem cum comparativo vel superlativo jungitur, præterea cum numeralibus. significatio eadem. scilicet tum usurpatur, cum res aliqua sæpius vel vulgo fieri dicitur. hoc igitur auctor dicit, omnibus locis, ubi legatus vel tribunus aderat, strenue rem gerebant milites. *curabat.* vide ad Cat. 59. cfr. supra 46. et infra 100. *eo* non est eum in locum, sed eo loco; quod rarius occurrit. laudant Cic. Epp. ad Brut. 2. qui locus et ipse dubius est. *eo loci.* est apud Tac. Ann. 15, 74. et 14, 61. *niti.* cfr. Cat. 1. 11. 38. i. e. ibi militum virtus maxima esse. *pariter oppidani.* Ven. 1. *oppugnare aut parare.* illud ad Romanos, hoc ad oppidanos pertinet, quæ personarum mutatio solemnis apud Salustium. *paululum modo.* Med. 1. 2. 4. Ven. 2. Vat. 2. 3. 4. 5. Min. 2. placet. *prospectabant.* vocabulum proprium, cum quis e loco superiore rem aliquam intuetur. *Jugurthae res erant.* pluralem num. omnes libri tuentur; Cort. falso singularem posuit. *et ea huc et illuc. et ea* om. Eich. de Italicis libris nihil certi constat, eos enim hoc in loco non examinavi. sed valde mihi probatur hæc lectio, et libenter Cortio adsentior, qui copulam inter *huc et illuc* delet. recte enim ille monet, facile pronomen ex antecedente substantivo suppleri; *huc illuc* sæpius nulla copula interposita ponuntur, et Salustius sæpius in fine periodi copulas omittere solet, ita ut etiam *et* ante *ea* delendum sit. quare hæc elegantissima est lectio: *niti corporibus, huc, illuc—agitare.* ceterum *agitare* hoc loco haud dubie vim verbi activi habet. ita apud Cels. 3. 6. *agitare corpus levi gestatione.* — *studio suorum adstrictis. arrectis.* Eich. sed illud recte dictum. ita apud Cic. Parad. 1. 2. *voluptatibus adstricti,* apud Curt. 6. 8. 12. *religione deum adstrictus.* recte Cortius comparat *captus, adtentus,* sed *adstrictus* multo significantius dictum. *jam scalis egressi.* i. e. ad summum murum escenderant, evaserant. *jam.* om. Eich. *summa ceperant.* i. e. summam murorum partem occupaverant. *comminutae.* i. e. fractæ. Cic. in Pison. 38. *illi statuam deturbant, affligunt, comminuunt, dissipant.* Plaut. Rud. 4. 4. 74. *ego tibi comminuam caput.* — *afflicti.* i. e. in terram projecti sunt, qua de re non dubitare debebant interpretes.

Cap. LXI. *suo loco.* vide supra cap. 54. *et jam aestatem. et* om. Flor. 3. *ab se defecerant.* ita longe plurimi Codd. sed non est dubium *ad se* esse legendum; vel hic igitur locus testimonio est, jam a priscis Grammaticis multa esse mutata. ipse enim Priscianus hunc locum explicat: *qui a rege desciverant.* — *praesidia imponit.* omnes nostri libri. apud Cortium, credo, per negligentiam *praesidium* typis expressum. *in provinciam.* ita libri longe plurimi. vide infra cap. 112. et quæ ad Catilinam cap. 11 et 19. exposuimus. cfr. etiam apud Plautum Aul. 4. 8. 6. *collocare se in arborem*, et Men. 5. 6. 28. *vasa et servos in tabernam.* — *ceterum exercitum.* i. e. reliquam partem exercitus. cfr. Cat. 51. *vita cetera eorum.* et 59. *ceterum exercitum.* infra 92. *ceteram planitiem.* — *quae proxima est Numidiae.* hæc suppositia Cortius habuit, quia alibi Salustius provinciam sine hoc additamento commemoret. cfr. cap. 13. et 25. sed hoc ipsum eum docere potuit, aliter hæc interpretanda esse. scilicet eam provinciæ partem auctor intelligit, quæ Numidiæ proxima erat, ut facilius ex propinquo, quid hostes agerent, explorarent. hunc sensum ut efficeret Edit. Bip. emendavit *qua.* sed hac conjectura non opus est. *si Jugurtham sibi.* Min. 2. *necatum tradidisset.* Vat. 5. qui liber cum ex optimis sit, pronomen omittendum esse statuo. ita etiam infra *traderetur*, nullo casu addito, usurpatur. *metuenti, ne.* conjunct. om. Eich. consentiunt multi Cortiani libri, sed duarum particularum compositio librarios offendisse videtur. apud reliquos enim scriptores hujus structuræ nullum exemplum inveniri posse puto.

Cap. LXII. *opportun. fuit.* verbum Cort. delevit, quod in Commel. et Bodlej. omissum est. nostri libri nil variant, nisi quod *fuit opp.* est in Flor. 3. et Med. 1. *primum* omissum in Med. 11. *optime merenti.* hæc præstantior lectio esse videtur, quod haud facile explicueris, cur *meritae*, quod in plurimis libris est, mutatum fuerit; Part. præsens contra, quo magis erat insolitum, eo facilius cum vulgato mutari potuit. ceterum notandum, quod maxime Salustianum est, *merenti* nullo casu addito a scriptore positum esse; simile, quod supra dictum erat: *maxima copia fallendi erat.* — *captos, occisos.* Asyndeton plurimi libri confirmant. *aut* interponunt Vat. 2. 5. Ven. 1. Med. 11. *et occ.* Vat. 3. Ven. 3. 4. quod et ipsum est documento, sæpius meliores libros deteriores lectiones tueri. *caveat.* ita omnes libri, quos equidem inspexi. apud Cortium errore factum esse videtur, ut *caveret* typis exprimeretur. *le-*

gati Jugurthae, imperata facturum qui dicerent. Med. 1. hæc una varietas in nostris libris animadvertitur. sed Cortius verba *qui dicerent* Salustio indigna statuit. *imperata facturum.* recte Cortius hanc deditionis formulam dicit. cfr. supra 46. et infra 77. *Senatori.* ita Flor. 3. *accersi.* Min. 2. Vat. 2. 3. et multi alii ex Italicis. *arcessi* Vat. 1. 4. *accersiri.* Med. 1. 4. 7. 8. Ven. 2. 3. Eich. Vat. 5. in tanta Codd. discrepantia haud facile statuas, quam lectionem potiorem habeas. Cortius *arcessiri* unice verum dixit. *pars quorum, uti jussi erant, sunt adducti.* ita Flor. 3. *cum ipse ad imperandum Tisidium vocaretur.* collato hoc loco cum Cic. Epp. ad Fam. 9. 25. *nunc ades ad imperandum, vel parendum potius: sic enim antiqui loquebantur*, facile credideris, antiquiorem quandam formulam a Salustio esse expressam. *imperandum* passive esse accipiendum luculenter Cortius docuit; loca maxime perspicua transcribam. Cæs. B. G. 6. 2. *Senones ad imperandum non venire.* Vellej. 2. 15. *ut cives Romanos ad censendum ex provinciis in Italiam revocaverint.* Varro de R. R. 1. 25. *diebus paucis boves erunt mansueti, ad domandum proni.* Gel. 1. 12. *Amata inter capiendum a pontifice maximo appellatur.* — *Tisidium.* hujus urbis alibi nulla fit mentio; Τισιαοὺς oppidum Strabo eversum esse dicit, ita ut nullum ejus exstet vestigium. 17, 3. p. 488. Ed. Tauch. *quam gravis casus in servitium ex regno foret.* in eandem sententiam Senec. Phœniss. vs. 599. *in servitutem cadere de regno grave est.* sed *cadere* sæpius ita dicitur, *casus* autem rarius, et ita quidem, ut et locus *e quo* et *in quem* adjiceretur, quantum equidem scio, nusquam. ceterum cum ex aliis, tum ex hoc loco perspicitur, Salustium sæpius substantivis uti, quæ reliqui scriptores verbis exprimant. *praesidiis.* cfr. supra cap. 14. *abunde magna praesidia nobis in vestra amicitia fore.* — *Et Romae.* conjunctionem om. Vat. 5. Med. 5. Ven. 2. *At R.* Med. 8. 11. Vat. 1. 2. 6. Illud utique rectius. Ita enim sæpius in fine orationis clausulæ adjiciuntur, nulla copula addita.

Cap. LXIII. *Uticae.* Græce: Ἰτύκη. de ea Strabo l. l. *δευτέρα μετὰ Καρχηδόνα τῷ μεγέθει καὶ τῷ ἀξιώματι. καταλυθείσης δὲ τῆς Καρχηδόνος, ἐκείνη ἦν ὡς ἂν μητρόπολις τοῖς Ῥωμαίοις καὶ ὁρμητήριον πρὸς τὰς ἐν Λιβύῃ πράξεις.* *supplicanti.* ita omnes nostri; Cortius multus est in insolita structura defendenda, sed quantumvis multa congessit, tamen hæc ad Codd. auctoritatem infirmandam nihil valent. Ceterum Marium non modo religio-

nibus, sed ipsi superstitioni admodum deditum fuisse, testis est Plutarchus. sed idem hoc portentum post missionem a Metello rogatam factum esse tradit. cfr. vita Marii cap. 8. fin. *quae animo agitabat.* de indicativo orationi obliquæ interposito cfr. ad Cat. c. 27. supra 54. infra cap. 106. Cæs. B. G. 1. 34. Liv. 3. 13. *exagitabat.* cfr. Cat. 14. *quos—conscius animus exagitabat.* eodem modo apud Tacitum Ann. 4. 13. *recentem Liviae conscientiam exagitare.— animus belli ingens domi modicus. animus* hoc loco, ut sæpius apud Salustium, duplici modo accipiendum est; priore enim loco *virtus* est vel *fortitudo*, scilicet magna ejus virtus in bello fuit, sed *animus domi modicus.* nihil aliud est, quam in ipsa urbe moderatum se gessit, quod etiam sequentia confirmant, nam *lubidinis et divitiarum victor* dicitur animus, quod prava cupiditate et avaritia se regi non patitur; ceterum *libido* hoc sensu rarius in singulari numero occurrit. *sed is natus et omnem pueritiam Arpini altus.* nota substantivum *Arpini* postpositum, quod etiam ad priora pertinet. similia vidimus in Cat. 36. fin. *altus* meliores libri tuentur. *alitus*, quod Priscianus in nonnullis libris invenit, Cortius Salustii orationi magis consentaneum esse judicavit. *natus et altus* similiter conjungit Plautus. Rud. 3. 4. 36. *imo Athenis natus altusque educatusque Atticis.* sed aliquis hæc leviora dixerit, quam quæ a Salustio commemoranda fuerint. Attamen, si quid video, id exponere voluit auctor, quod est apud Plutarchum l. l. 3. Ὀψὲ ποτὲ πόλιν εἶδε καὶ τῶν ἐν πόλει διατριβῶν ἐγεύσατο, τὸν δὲ ἄλλον χρόνον ἐν κώμῃ Κερεατινῶν τῆς Ἀρπίνης δίαιταν εἶχε, πρὸς μὲν ἀστεῖον καὶ γλαφυρὸν βίον ἀγροικοτέραν, σώφρονα δὲ καὶ ταῖς πάλαι Ῥωμαίων τροφαῖς ἐοικυῖαν. *urbanis munditiis.* hoc loco in malam partem accipiendum. cfr. Plaut. Pseud. 1. 2. 40. *Vos, quae in munditiis, molliciis, deliciisque aetatulam agitis.* intellige epulas lautas et caetera, quæ ad cultum corporis pertinent. *exercuit* est Zeugma, nam ad priora tantum pertinet. *inter artis bonas.* ita Vat. 5. *bonas artes.* Med. 7. Ven. 2. 3. i. e. bonis artibus deditum. *integrum ingenium.* i. e. nulla mala lubidine corruptum. *adolevit.* i. e. crevit, viribus auctum est. Ovid. Fast. 5. 175. *virtus annis adolevit.* Cic. de Legg. 1. 7. *ratio cum adolevit, nominatur sapientia.—tribunatum milit. a populo petit.* partem enim tribunorum militarium populus tributis comitiis creabat. cfr. Liv. 42, 31. 44, 21. Cic. in Verr. 1. 10. ibique Ascon. Lips. de mil. Romana 2. 9. *facile notus.* falso Cortius comparat: *facile princeps*, *facile nobilis-*

simus. — declaratur. ex antecedentibus *tribunus* est supplendum. *ab eo magistratu.* i. e. eo magistratu functus. tribunatus proprie magistratus dici non potest, sed cum inter primos gradus honorum esset, hoc nomine auctor usus est. *in potestatibus.* nomen commune omnium magistratuum. Cic. Agrar. 2. 13. *cum omnes potestates, imperia, curationes ab universo populo Romano proficisci convenit.* Legg. XII Tab. *ni major potestas prohibessit.* cfr. supra 14. *in imperio vestro,* et infra 74. Cat. 2. et 51. similiter Liv. 42. 12. *in seditionibus suis.* 34. 5. *in navis administratione.* 2. 58. *eadem in militia saevitia Appii.* inest in his locutionibus quidam antiquitatis color. *ampliore.* ita omnes libri. apud Cortium errore librariorum factum esse videtur, ut *majore* scriberetur. multi addunt *honore.* ex gr. Ven. 4. Vat. 1. 3. 5. *dignus* etc. eandem sententiam Plin. Epp. 2. 13. ita expressit: *multi dum priores honores accipiunt, proximos quosque merentur. — ad id locorum.* i. e. ad id tempus. vide infra 72. *neque post id locorum Jugurthae dies aut nox ulla quieta fuit.* cfr. Liv. 27. 7. et Gronov. ad hunc locum. Liv. 43. 5. Plaut. Casin. 1. 1. 30. Trucul. 3. 1. 15. *talis vir. — appetere non audebat. etiam* etc. ita libri longe plurimi. ex gr. Med. 2. 4. 7. 8. 10. Barb. 2. 5. Ven. 4. Vat. 1. 2. 3. Min. 2. alii alia mutant. *petere* est in Vat. 5. solus Vat. 4. *consulatum* omittit et vulgatum verborum ordinem servat. et *consulatum* quidem haud dubie ejiciendum est. *petere* fortasse rectius scribitur, quod in talibus orationem variare a Salustii more abhorret, et eadem vox in sequenti capite occurrit. *talis.* vox media cujus vis ex proxime antecedentibus interpretanda est. *plebs.* ex sequentibus *per manus tradebat* aliud quoddam verbum eliciendum est, illud enim ad solam nobilium potestatem illustrandam pertinet. sed de plebe *gerere* vel *accipere* rectius dicitur. *clarus neque tam egregiis factis erat.* sæpius de hac structura mutata est monitum. cfr. supra c. 61. infra 95. et ad Cat. c. 18. *pollutus.* i. e. sceleri contaminatus. cfr. Senec. Herc. Fur. 1261. et Jugurth. 15.

Cap. LXIV. *quo cupido. quo* antique dictum pro *ad quod.* cfr. Cic. pro Cœl. 21. *dixit profecto, quo vellet aurum.* Hor. Sat. 1. 1. 73. *nescis, quo valeat nummus, quem praebeat usum.—petere* nullo casu addito Cic. Epp. Att. 1. 1. *missionem.* vocabulum proprium. vide Dig. 49. 13. 16. et Ulpian. 3. 2. 2. *superabant.* idem, quod supra dixit: abunde erant. vide Liv. 3. 17. *contemtor animus.* vide cap. anteced. *animus victor.* alia

apud Bentlejum ad Hor. 4. 9. 39. sunt hæc poetica. *commune nobilitatis malum*. cfr. hac de re quæ Cort. laudat. Aristotel. Rhetor. 3. 15. et Juven. Satyr. 8. *super fortunam* i. e. statum et vitæ conditionem, in qua natus esset. cfr. Liv. 25. 37. *ingenii aliquanto, quam pro fortuna, in qua natus erat, majoris.* — *dixit, flectitur.* notanda temporum mutatio. *per negotia publica.* hac de re Plutarch. V. Marii 8. Πολλὰς ἀναβολὰς ποιησάμενος, ἔτι δώδεκα λειπομένων ἡμέρων, ἐπὶ τὴν τῶν ὑπάτων ἀνάδειξιν, ἀφῆκεν αὐτόν. *contubernium.* et de militibus gregariis, simul tendentibus, et de adolescentibus nobilibus dicitur, qui rei militaris cognoscendæ gratia imperatores in provincias sequuntur. cfr. Tac. Agric. 5. Frontin. Stratag. 4. 1. 11. et 12. *pro honore — contra Metell. accenderat.* elegantissima verborum structura. similiter Liv. 29. 19. *accensis studiis pro Scipione et adversus Scipionem.* — *grassari,* agitare; ablativus modum agendi describit. Liv. 3. 44. *jure grassari, non vi.* id. 10. 14. *consilio.* cfr. supra Jug. 1. et passim apud Historicos, Tacitum inprimis, cui usitatissima hæc locutio. *ambitiosum.* recte Cortius: «quod est ad favorem acquirendum comparatum.» *criminose.* cfr. Cic. de clar. Or. 34. *qui suspiciosius ac criminosius diceret, audivi neminem.* — *corruperant.* fuerunt, qui *corruperat* corrigerent, et hoc neutrali sensu acciperent, credo, quod verbum activum h. l. insolentius dictum esse statuebant. sed talia multa notavimus in Salustio. cfr. supra 63. *consulatus ingens cupido eum exagitabat.* ita hoc loco dictum *corruperant* i. e. res familiaris imminuta vel attrita erat. cfr. Cat. 44. *corr. opportunitates.* infra 76. *praedam.* supra 33. *se suasque spes.* — *corrumpi* enim dicuntur non solum quæ perdita, sed etiam quæ aliquo modo depravata sunt.

Cap. LXV. *morbis confectus.* Cic. pro Mur. 40. *homo miser, et cum corporis morbo, tum animi dolore confectus.* — *mente paulum imminuta.* i. e. parum firmo sive valido ingenio; sed exempla desidero. *more regum.* hæc ad sequentia pertinent; regibus enim, qui in castris Romanis versabantur, sæpius is honor ab imperatoribus habebatur, ut illis dignitate proximi esse viderentur. cfr. Sueton. Nero c. 13. Tacit. Hist. 2. 59. quo quidem ex more postea *honor bisellii* ortus est. vide apud Gruterum Inscript. p. 475. n. 3. haud alienum est, quod etiam sella curulis regibus dono data est. cfr. Liv. 31. 11. *reges appellavisset.* ne quis hoc ridiculum putet. apud Romanos enim externum principem regem appellare, fere idem fuit, quod eum benevolentia complecti, id quod

initium amicitiæ et societatis fuit. cfr. Cæs. B. G. 1. 43. et Liv. 31. 11. *si — traderentur*. recte Cortius: «illud *si* eleganter in re incerta et facienda.» poterat enim aut relativum, aut accusativus cum infinitivo poni. *anxium*. recte Cic. Tusc. 4. 12. eum anxium dixit, qui ad aegritudinem sit pronus. *contumeliarum imperatoris*. hæc quidem lectio, quamvis paucorum librorum auctoritate firmatur, tamen haud dubie optima. *in imperatorem* enim, quod ante Cortium expressum erat, is Latine dici non posse luculenter docuit; neque ablativo, quem aliquis amplectatur, locus est, quod ne in uno quidem libro, præpositio *ab* expressa est. Jam Dativus, qui plurimorum librorum firmatur consensu, ferri quidem poterat, si alio verbo usus esset auctor, sed *poenas petere alicui* mihi quidem non minus barbare dictum esse videtur, quam *in imperatorem*, quod Cortius explosit. nisi quod etiam Curtius 4. 6. sub fin. *capere poenam in hostem*. Vellej. Pat. 2. 126. *poena in malos* dixit, et dativum haud uno loco Salustius insolentius posuit. cfr. Cat. 11. 32. 40. cfr. Jug. 4. et 14. quare acutiores viderint, utram structuram scriptoris nostri ingenio magis convenire putent. *ob morbos animo*. hæc repetita, cum supra dixerit *mente paulum imminuta*, etiam in scriptore minus eleganti, nedum in Salustio memoranda sunt. sed auctor hæc addidisse videtur, ut facilius intelligeretur, cur hac via Marius hominem vanum atque stolidum aggressus sit. *secunda oratione*. i. e. in ejus gratiam composita, adulatoria. cfr. Liv. 8. 12. *tres leges secundissimas plebi, adversas nobilitati tulit*. id. 2. 38. *sedulo audientes secunda irae verba*. id. 5. 49. *occisus foret — missus foret*. utroque loco omnes fere libri verbum substantivum retinent, neque hoc magis vituperandum, quam quod eandem structuram bis adhibuit. *id adeo*. cfr. Cat. 37. initio. *aspere in Met. de bello*. duæ structuræ in unam coagmentatæ; cujus rei exemplum jam supra vidimus. *suffragatione*. commendatio, quæ ad suffragia paranda spectat. eam suffragationem dicit honestissimam, quia non largitionibus aut gratia parata erat. *fusa*. cfr. supra cap. 40. *suorum fugam*.

Cap. LXVI. *incepit*. Eich. quod ita emendatum est propter particulam *postquam*, quæ antecedit. *parare omnia* etc. notanda h. l. orationis abundantia. *formidine*. scilicet quam iis injicere studuit, ut supra. usitatius erat ponere *minis*. — *adfectare*. i. e. in suas partes trahere. cfr. Tac. Hist. 4. 17. *Galliarum societatem Civilis arte donisque affecta-*

bat. id. 1. 23. *studia militum spe successionis.* — *suos locos.* vide supra cap. 54. *alia, quae.* Med. 4. 8. Vat. 4. placet. ita enim sæpius Salustius. *tela et alia.* Ven. 3. *cuncta agitare.* etiam hoc additamento carere potuit auctor, si ad brevitatem magis, quam ad elegantiam orationem conformasset. *Vaccenses, quo.* vide infra cap. 103. ceterum *quo*, etiam Cicero ad personas retulit. Verr. 6. 18. *homo apud eos, quo se contulit gratiosus.* sed h. l. potius nomen incolarum pro urbe dictum. cfr. supra c. 47. *Vaccenses — principes.* anacoluthon quod dicunt. Cortius hanc separatam appositionem putat. sed rectius nominativum absolutum dixeris. qui quidem non ita rarus est, cum antea plures res seu personæ conjunctim dicuntur, et postea partes singulæ enumerantur, v. c. *Consules — alter — alter*; quod sæpius apud Livium occurrit. *discordiosum.* apud ceteros aureae aetatis scriptores non invenitur *cupid. — adversum.* etiam hæc cumulatius dicta, ita ut mirum me habeat, cur intacta ab interpretibus relicta fuerint. — *in diem tertium.* præpos. *in* om. Eich. id quod Cortio elegantius dictum videbatur. neque hoc est dubium, *constituere diem, tempus* sæpius dici. sed hoc loco Codd. fere omnes præpositionem *in* retinent, et ipsa lectionis varietas, (*caedem* enim et alia talia deteriores libri adjungunt) comprobat, *in* non temere esse delendum. *constituere* sæpius sine casu apud optimos scriptores occurrit. vide Gronov. Observat. I. 1. Ex multis, quæ laudavit, exemplis, nullum concinnius, quam Tac. Germ. 11. *sic constituunt, sic condicunt.* — *ostendebat.* Eich. *militaris* h. l. poterat omitti. *plebes faciunt.* Eich. notanda varietas, in Salustio utique non contemnenda. Liv. 4. 9. *plebes — excivere.*

Cap. LXVII. *trepidare*; *ad arcem* etc. falso hæc Cortius conjunxit, et nihilominus trepidare *ultro citro discurrere* explicat. quid enim hoc est? milites anxii et timore perculsi circa arcem oppidi discurrebant? unice verum, ab hostibus arcem fuisse occupatam, ne hoc Romanis perfugium esset; quod si recte dictum putas, hæc tria orationis membra *ad arcem — hostium*; *portae — prohibebant*; *ad hoc — mittere* verba *improviso metu* explicant. *pro tectis.* i. e. desuper de tectis. cfr. Fest. s. v. *obtruncati.* multi ex Itall. libris Med. 1. 4. 5. Ven. 3. Vat. 1. 2. 3. 5. Min. 2. Eich. *quam integra fama.* Vat. 3. 5. quam lectionem, si plures libri tuerentur, reciperem. *nisi.* adversativa et exceptiva vis huic particulæ inest. ita passim ab antiquis scriptoribus usurpatur. Cic. Epp. Fam. 13. 76. *de re nihil possum judicare: nisi illud mihi certe persuadeo.* Te-

rent. Adelph. 1. 2. fin. *Ecce autem de integro. Nisi, quicquid est, volo scire. — improbus intestabilisque.* antiquá legum formula. cfr. Aul. Gell. 6. 7. id. 15. 13. cfr. Dig. 28, 1. 26. « cum lege quis intestabilis esse jubetur, eo pertinet, ne ejus testimonium recipiatur; et eo amplius, ut quidam putant, neve ipsi dicatur testimonium.» Horat. Serm. 2. 2. 180. *is intestabilis et sacer esto.* vide Fragm. Hist. Or. Lepidi.

Cap. LXVIII. *abiit.* Eich. *ultum ire.* Infinitivus verbi *eo* cum supinis junctus apud antiquissimum quemque scriptorem frequentissimus. Cato ap. Fest. s. v. *parsi. quod ut prohibitum irem, meo labori non parsi.* vide innumera loca apud Plautum et Terentium. *et jam abnuentis. jam* om. Eich. *edocet.* Min. 2. quod apud Salust. est usitatius. *aequo animo ferre.* Eich. manifesta glossa. *erectis.* Med. 8. *late.* ex Itall. soli Vat. 1. et Barb. 5. m. pr. *re* m. sec. superscripsit. *in primo.* cfr. Cat. 60. Gronov. ad Liv. 10, 14. et ad Justin 12. 7. *et signa. et* del. Ven. 2.

Cap. LXIX. *animum advortere. anim.* om. Eich. *uti res erat.* Vat. 5. sed *res* rectius Med. 5. Ven. 2. omittunt. *Metellum rati.* Vat. 4. firmat, quod sequitur: *Jugurtham arbitrati. — turris.* ita Flor. 1. m. pr. *poenae fuit* insolentius dictum; sed mollitur structuræ asperitas, quod *praedae* est appositum. *nam is civis ex Latio erat. Lex Porcia,* quam Cicero dicit ab omnium civium Romanorum tergis virgas amovisse (vide Cat. cap. 51.) non solum ad judicia, quæ domi fiebant, sed etiam ad castrensia pertinuisse videtur. sed hac lege solis antiquis civibus Romanis cautum fuisse videtur, quippe qui meliore jure essent, quam quibus jus Latii erat. cfr. Liv. de R. Mil. 5. 18. Ceterum Turpilium Metello paterno hospitio junctum et præfectum fabrum fuisse Plutarchus auctor est V. Marii c. 8. Crimen proditionis vanum fuisse idem tradit. sed Marium, cum severissimum sese præbuerit judicem, Metellum impulisse, ut ultimum supplicium de illo sumeret.

Cap. LXX. *suspiciens.* i. e. suspectum habens, alibi non occurrit. sed frequentativum *suspectans* ap. Tac. Ann. 12. 65. *Agrippinam magis magisque suspectans. — magnis opibus, clarum.* ita interpungendum, sed *clarum* retinendum; id quod omnes libri tuentur. *carum,* quod Cortius correxit, usitatius quidem est; sed non vulgaris sermonis norma dirigenda Salustiana oratio. pari modo infra cap. 71. *fidus acceptusque* junguntur. *majoribus adstricto.* i. e. negotiis, rebus; *adstricto.* ita apud Cic. *astrict.* necessitate; mercede, dolore, voluptatibus, lege dicitur. *supera-*

verant. i. e. superfuerant. hujus enim verbi ap. antiquos alia fuit significatio. vide Gell. N. A. 1. 22. *inventae.* i. e. paratae. vide Tac. Ann. 1. 74. *perniciem aliis ac postremo sibi invenere.* cfr. Cic. de Fin. 1. 7. Terent. Andria 2. 1. 34. *dies insidiis.* i. e. ad insidias struendas. -*venit* - *impediebat.* notanda temporum mutatio. *molliciem.* ita Ven. 1. 2. Vat. 2. 3. 5. Min. 2. Flor. 1. quare ita scribendum esse videtur. *timore socii anxius, ne.* Græca structura. cfr. Plaut. Asin. 1. 1. 98. *Nemo est, quem jam dehinc metuam mihi, ne quid nocere possit.* — *in pestem ne convorteret.* ita Med. 9. Barb. 2. 5. id quod unice verum. vide ad Cat. c. 1.

Cap. LXXI. *hae essent literae allatae.* ita Eich. sed optimi libri verbum substantivum delent, id quod passim apud nostrum fieri jam sæpius est monitum. *exercito corpore fessus.* i. e. labore corporis, quem magnum susceperat, fessus. corpus enim exercere non solum significat exercitiis corpus firmare, sed etiam laboribus susceptis corpus fatigare atque vires amittere. *aegrum animum.* i. e. curis agitatum, sollicitum. cfr. Virg. Aen. 2. 268. *prima quies mortalibus aegris incipit.* Plaut. Epid. 1. 2. 26. *aeger ab animo.* — *audivit ex* (*et* omisso) multi libri Itall. Ven. 2. 1. Med. 1. 2. 5. 9. Vat. 2. 4. Min. 2. 6. Barb. 2. 5. probo. *paulo post exper.* Eich. *ex servis cognovit.* Med. 8. Ven. 1. unde recte colligas, hæc a librariis adscripta esse, quippe qui docere studebant, quomodo hoc Nabdalsæ exploratum fuerit. cfr. init. cap. 73. *accedit, dicebat, quae ipse paravisset, perfidia clientis sui facere praeventa.* Vat. 5. hæc una varietas in Italicis libris inventa est, qua quidem Cortii emendationem confirmari profiteor. *dicebat* enim cum scriptum sit, manifestum est, fluctuasse librarios, quod tempus verbi supplendum esse statuerent; quod autem *facere* transpositum est; hujus quoque vocis parum firma auctoritas; altero enim loco *facere* stare non potest. quare nullus dubito, hunc locum a Cortio recte esse emendatum. *praeventa.* i. e. occupata. cfr. Plin. Epp. 9. 1. Justin. 21. 4. Tac. Hist. 1. 5. Flor. 3. 6. med. *sua antea fideliter acta.* vide supra cap. 55. *ea bene parta.* — *super tali.* i. e. de; Græce περί. cfr. Cic. Epp. ad Attic. 14. fin. *velim cogites, quid agendum nobis sit super legatione votiva.*

Cap. LXXII. *animo gerebat.* i. e. animo agitabat; etiam hoc insolentius dictum. cfr. supra c. 54. et 55. sed analogia hunc usum loquendi confirmat; dictum enim ut *animo habere*, et cum *odium*, *curam*, *animum*, *spem*, *fiduciam*, *fidem gerere* sæpius diceretur, hoc verbum ad

animum referre jam usitatum erat. *circumspectare.* cfr. Cic. Tusc. 1. 20. *dubitans, circumspectans, haesitans.* id. in Pison. fin. *circumspectans omnia, quicquid increpuerit, pertimescens.*

Cap. LXXIII. *fatigantem.* scil. precibus. cfr. Liv. 9, 20. 27, 45. Justin 18, 1. Horat. Od. 1. 2. 26. *volenti animo.* vide infra 84: i. e. ἄσμενος, θυμῷ ἐθέλοντες. oppos. ἀέκοντι γε θυμῷ. sed *volenti animo* tertium casum non habuerim. nam locus cap. 84. est diversus. *decori fuerat.* Vat. 5. Med. 9. Ven. 1. *decori, modo invidiae esse* Med. 1. Ven. 3. unde patet, hunc locum a librariis vario modo interpolatum esse. *at illi alteri. at illi* Eich. om. sed sæpissime Salustius pronomine *illi* utitur, ubi rectius omitti poterat. cfr. cap. 60. *Sed illi, qui* etc. — *moderabantur.* ita Eich. id quod si passive accipiendum esse statuis, antiquius; nam apud priscos scriptores etiam activum *modero* occurrit. sed ceteri Codd. non consentiunt. significationem quod attinet, Cortius pro *regnare, vigere* dictum esse statuit. cfr. Cic. Acad. 4. 27. *mens quae omnia moderatur, monet, regit.* id. de Fin. 2. 26. *non voluptate sed officio consilia moderavi.* sed rectius *moderata* passiva significatione dictum putaveris, pro *spectari*; nulla virtutum utriusque ratio habebatur. sed hujus usus exempla desidero. *bona aut mala sua.* i. e. bonæ aut malæ artes utriusque, quod et ipsum usitatum est. *volgum exagitare.* cfr. Cat. 38. *capitis accersere.* cfr. supra cap. 52. ceterum hoc factum vix putaveris, sed has minas jactabant. ita Cic. pro Quinct. 14. *minas jactare, pericula intendere, formidines opponere.* — *in majus celebrare.* recte Cort. Græcum comparat: ἐπὶ τὸ μεῖζον κοσμοῦντες. cfr. Thuc. 1. 21. et Tacit. Ann. 13. 8. *sed apud senatum omnia in majus celebrata sunt.* idem dicit extollere, credere, nuntiare, accipere, in majus. vide Ann. 15. 30. Hist. 3. 18. 1. 38. 2. 7. *res fidesque.* cfr. III. Hist. Epp. Pompei. n. 9. *Ego non rem familiarem modo, sed etiam fidem consumpsi.* — *post illius honorem ducerent.* Tac. Hist. 3. 64. oppositum *ante aliquod esse.* vide ad Cat. 53. *sua necessaria.* i. e. suas res, sua negotia, quibus victum quærebant. *Sed senatus. sed* omnes Itall. retinent. imo Med. 4. *sed ea res* habet. utroque loco particula ex emendatione nata esse videtur. Scilicet in asyndeto offendebant. Cortii lectionem confirmat, quod in multis libris *senatus* est omissum; hanc igitur vocem, per compendium scriptam, multi in *sed* mutarunt. etiam supra cap. 14. Ven. 3. *sed si omnia* pro: *si omnia* habere notavimus.

Cap. LXXIV. *ceteri — pars — alii.* vide supra c. 62. *agitabatur. vagabatur.* Med. 7. *agitabat se.* Ven. 1. quæ varietas firmat lectionem, a Cortio receptam *agitabat.* cfr. cap. 18. 19. 60. 64. Tac. Annal. 11. 21. *agitabatur animus* est in Cat. 5. sed sensu diverso. *varius.* ut apud Virg. Aen. 4. 569. *varium et mutabile semper foemina.* sensus igitur verborum hic est: parum ei constabat, quid consilii caperet. *paulo post spem.* Vat, 2. 4. 5. *spem in armis.* Ven. 4. *fide.* terminationem h. l. Ven. 1. et Min. 2. tuentur. *quocunque intenderat.* scil. animo. cfr. Liv. 1. 25. *in minime gratum spectaculum animo intenduntur.* id. 41. 11. *oppidum vineis oppugnare intendit. — inter eas moras.* cfr. supra c. 47. adde Cat. 3. et 43. — *res fuit.* Med. 7. solemni permutatione literarum *s* et *x.* *qua in parte rex affuit.* Med. 9. *rex adfuit pugnae.* Ven. 1. unde patet *pugnae* a librariis additum, quod dativum necessarium esse putabant. *ceteri ejus milites.* Ven. 1. Min. 2. Med. 4. Barb. 5. quare *omnes*, quod ceteri interponunt, dubium. sed in verbis: *ejus milites* ne unus quidem liber variat. sed recte Cort. statuit, glossæ hæc esse simillima, et fieri potuit, ut *omnes* ideo suspectum fieret, quod *ceteri ejus omnes milites* ferri non posse, docti librarii intelligebant. pro *congressu* Cort. audacius *concursu* recepit. *aliquanto numero, hostium paucorum.* ita haud dubie interpungendum. opposita sunt *aliquanto numero* et *paucorum.* illud enim dictum est pro: satis magno. *tutati sunt.* multi libri. ex gr. Med. 4. 7. 9. Vat. 1. 25. in *tutata* postremam syllabam delevit Med. 1. *tuta* habet Ven. 1. Vat. 3. m. pr. in tanta varietate certi quid statuere difficile. sed *tuta*, ut quam maxime insolita, ita optima lectio esse videtur.

Cap. LXXV. *impensius modo.* vide supra c. 47. *id oppidum.* multi libri. Ven. 2. 3. Vat. 2. 3. 4. Med. 1. 5. 8. 9. Barb. 4. 5. *et id oppid.* Med. 4. sed neque *in*, neque *id* habent Vat. 5. Med. 7. quæ haud dubie præstantissima est lectio. pro *ubi* multi libri *ibique.* — *ibi.* Med. 8. *multus pueritiae cultus.* parum recte Cort. hæc interpretatur: Hofstaat; melius Tertull. de habitu mulieris c. 4. *ille* (scil. cultus) *in auro et argento et gemmis et vestibus deputatur.* — hæc etiam h. l. intelligenda; quæ ut servaret, Jugurtha hanc urbem petivit. *in spatio. in* om. Min. 2. recte, si quid video. spatio enim per appositionem, ad verba: *inter Thalam flumenque*, adjectum est. *ejus oppidi si potitus foret.* Ven. 4. *eo imponit.* ita etiam Med. 2. 7. 8. *portaret.* singularem etiam h. l. omnes libri Itall. confirmant. vide ad Cat. 43. *ubi praesto sint.* Vat. 2. ut plu-

ralis valde mihi probatur, ita in ceterorum librorum silentio nihil mutare audeo. perfectum ἀοριστως positum esse videtur. Virg. Aen. 6. 78. *magnum si pectore possit excusisse deum.* — *quam oppido proximam aquam supra diximus.* Med. 4. 7. *quod proximum oppido esse.* Med. 8. 9. id quod sciolus quidam interpres præferat. *et castra posita munitaque sunt.* hæc apud Cortium omissa sunt. *officia intenderant.* i. e. auxerant, apud Tacitum innumeris locis.

Cap. LXXVI. *infectum.* ut invictum, incorruptum, pro eo, quod perfici non potest. *uno die aut nocte.* Med. 5. *una die aut nocte.* Med. 9. *una die.* Min. 2. Med. 7. *uno die ac nocte.* Ven. 2. ceteri receptam lectionem confirmant. *dein locis.* Ven. 1. *de hinc duobus locis.* Flor. 1. *duobus in locis.* Med. 2. *jubet duobus locis.* Ven. 2. Vat. 3. 1. *aggerem jacere jubet.* Ven. 1. *opus jubet ministros tutari.* Med. 4. Med. 8. et supra: *deinde jubet* — et infra: *tutari jubet.* — *tutari opus jubet et ministros.* Barb. 5. Ex tanta varietate recte colligas, *jubet* non ab ipso auctore scriptum, sed ab interpretibus interpositum, qui infinitivi histostorici, qui dicitur, vim non intellexerunt. verba *superque eas* et ipsa supposita esse ex Vat. 3. perspexeris, ubi hæc verba non expressa sunt, *vineas agere et aggerem jacere et super aggerem.* ubi solum istud *et* expellendum est. *opus ministros* meliorem esse lectionem Vat. 5. docet, ubi *et* et *ad* omissa sunt. integerrimus omnium est Ven. 4. ubi etiam verba: *et super aggerem* deleta sunt; cujus auctoritatem sequor. et totum hunc locum ita scribendum esse judico: *dein locis, ex copia maxime idoneis, vineas agere, aggerem jacere, impositis turribus opus ministros tutari.* ceterum varias has emendationes confirmat Med. 7. qui monstra habet: *superque eas aggerem terras super aggerem impositis jubet turribus opus administros tutari.* — *multo ante labore.* structura Græca: πολλῷ πρόσθεν πόνῳ. — *quae prima ducuntur.* cfr. supra cap. 41. *pendere.* Eich.

Cap. LXXVII. *pariter.* i. e. eodem tempore. cfr. Cæs. B. Civ. 3. 52. *nam plura castella Pompejus pariter tentaverat.* — *et dicebant quendam Hamilc.* Eich. unde recte colligas, hoc verbum vel aliis locis a librariis interpositum esse. *Lepti.* vide supra 19. etiam Νεάπολιν hanc urbem appellatam fuisse Strabo auctor est. 17. 3. p. 493. *boni fidelesque mansere* solemnis formula, vide Liv. 24. 48. *gnaviter* multi libri Ven. 2. 3. Vat. 1. 2.

3. 5. Min. 1. 2. Med. 1. 4. 7. *gnaviter*. Vat. 4. Ven. 1. *gnave fecere*. Med. 11. 8. *gnave fecerant*. Med. 9. Flor. 1. *navi fecerant* Eich.

Cap. LXXVIII. *Syrtis*. Vat. 3. 5. placet. cfr. Schneid. de Formis L. L. p. 314. *extrema Africa*. intelligit eam partem Africæ, quæ Aegypto est finitima, quam ob rem eam extremam dicit. *alta alia*, *alia*. hæc lectio, quam unus liber tuetur, certissima. *mare magnum esse*. dictio simplex et quæ certum quendam antiquitatis colorem prae se fert. cfr. Liv. 24. 9. *aquae magnae bis eo anno fuerunt*. — *Syrtes* — *nominatae*. hanc glossam solus Vat. 5. omisit. sed idem verbis *ejus civitatis*, particulam *igitur* præponit. *leges cultusque*. Med. 1. 2. 8. Vat. 1. 4. 5. Barb. 5. Min. 2. Eich. recte scriptum puto. *multi vastique loci sunt*. Vat. 5. unde aliquis conjiciat, verbum substantivum esse delendum.

Cap. LXXIX. *per Leptitanorum negotia*. i. e. cum de Leptitanorum rebus egerimus; similia sunt: per ordinem, officium, potestatem. *eam rem locus ammonuit*. Med. 4. *rem locus admonuit*. Vat. 5. *eos magno*, *diuturno bello inter se habuit*. Ven. 3. sed præpos. *in* deleri vix potest. *habere in bello* dictum, ut *in custodia*, *vinculis habere*. cfr. apud Liv. 26. 24. *habere socios in ea fortuna*. id. 1, 57. *in fabrorum ministeriis ac servili tam diu habitos opere*. — *saepe fusae fugataeque*. *saepe* invito Cortio a typographis credo deletum. *iter peragere*. ita Eich. quae lectio etiam in Guelp. 10. quod solum rectum putavit V. D. sed *pergere iter* est etiam ap. Terent. Hecyr. 1. 2. 1. 19. et Hirt. de B. Afric. c. 69. id quod Cic. dicit: *perge tenere istam viam*. sensus igitur est hic: nullam partem diei quieti dabant, sed impigri iter inceptum continuabant. *peragere* autem vix dici potest, cum inter eos non convenisset, quem ad locum progredi liceret. — *nuda gignentium*. i. e. τὰ φυτὰ, φυόμενα. vide infra cap. 93. Latinum igitur verbum *gignere* pro neutro usurpavit, ut Græcum γίγνομαι. Activa apud nostrum sæpius pro neutris poni jam supra est monitum. similiter Liv. 5. 25. *res moventes* dixit pro: rebus mobilibus. *optionem Carthaginiensibus*. Vat. 1. 5. quæ lectio nescio an præstantior sit. *quem in locum vellent*. fortasse *velint* corrigendum est.

Cap. LXXX. *Gaetulos*. Græce Γαιτοῦλοι. cfr. Strabo 17. 3. p. 485. Ed. Tauchn. et 494. quorum sedes usque ad Syrtes pertinuisse ille auctor est. quare etiam apud Virg. Aen. 5, 192. *Gaetulae Syrtes* dicuntur. cfr. supra 21. Flor. 4. sub fin. Mela 1. 4. Plin. 5. 4. Sed hoc loco haud dubie

ea Gætuliæ pars designatur, quæ, ut Salustii verbis utar, haud procul ab ardoribus fuit. *militaria.* scilicet officia: Sal. sæpius adjectivis pro substantivis utitur. *adversum.* Med. 2. 4. *advers. nos* Ven. 1. *incepto belli* Min. 2. hæc una varietas in Codd. Itall. animadvertitur. qua quidem Cortii emendationem, *bello* delentis, firmari nemo dixerit. quare toto loco accuratius examinato, *bello* sanum esse judico. *eo amplius.* i. e. plures denis. *nulla* est in Med. 9. et Ven. 1. m. pr. quam lectionem si veram existimas, *obtinet* verbum neutrum habendum est. diversus est, quem Cortius locum laudat, Cic. pro Sulla 6. *quorum alter apud me parentis gravitatem, alter filii suavitatem obtinebat.* et Plin. 32. 19. *antidoti vicem obtinent.* propius ad nostrum l. accedit, quod est in Ep. ad Cæs. 1. 1. *pro vero antea obtinebat*; et hæc emendatio eo firmatur, quod Sal. verbis activis pro neutris uti jam supra memoratum est. quod quidem in hoc verbo fuit proclivius, quod etiam apud alios scriptores vim verbi neutri habet. suffragatur denique similis usus Græci verbi κατέχειν. quare in Cortii sententiam discedo.

Cap. LXXXI. *placitum.* apud poetas maxime hoc participium passim usurpatur. *profunda.* i. e. immensa. Cic. in Pison. 21. *profundae libidines. advorsa sint.* ex Itall. soli Med. 7. Ven. 4. Flor. 1. *ad Cirtam.* i. e. in eam regionem, ubi Cirta oppidum situm erat. *pretium fore.* quamvis nullus præterea liber, quantum equidem scio, hanc Bas. 1. lectionem confirmat, tamen eam verissimam puto. recte conferunt Tac. Ann. 1. 57. *pretium fuit Germanico convertere agmen.* id. Hist. 3. 8. *in Veronensibus pretium fuit.* adde Ann. 2. 35. *res eo anno prolatas haud referam, ni pretium foret Pisonis et Galli sententias cognoscere. — Bocchi pacem imminuere.* singulariter dictum, i. e. pacem, quam Bocchus agitabat, turbare. similiter Lucil. ap. Non. 2. 209. *imminuere imperium alicujus.* item Cicero pro Rosc. Am. 38. *jus imminuere. — moras agitando.* cfr. Cat. 61.

Cap. LXXXII. *melius ratus. esse* omisso Vat. 4. *antea acceperat.* Vat. 3. 5. *supra bonum atque honestum.* similia sunt: *supra modum, morem, vires, humanam fidem. — cognitum est.* verbum subst. om. Vat. 2. 4. placet.

Cap. LXXXIII. *periculo suo.* pronomen, quod Cortius expulit, vim sententiæ quam maxime auget. neque ullus liber ex Itall. a nostra editione dissentit. *habere eum.* Ven. 1. 2. Med. 5. *habere magnam.* Med. 10. *habere tum maximam.* Flor. 1. *tum* verum puto. Metellus scilicet, re-

gem monuit, jam magnam facultatem societatis jungendæ ei fore, quia bello coorto Romani faciliores futuri sint. *tamen* om. Vat. 5. quod quidem aliquoties fit. sed h. l. duorum librorum fide particulam non deleverim. *quam victores.* Med. 5. *tibique.* Vat. 5. quæ lectio satis elegans.

Cap. LXXXIV. *cupientissima plebe.* vide cap. 75. *plebe volenti.* — *provinciam ei jussit.* ita Liv. 26, 41. *imperium alicui jubere.* — *multus* i. e. acer, vehemens, intentus. cfr. Plaut. Men. 2. 2. 41. *heu hercle hominem multum et odiosum mihi.* Catull. Carm. 106. *multus es homo Naso.* — *dolentia.* i. e. quæ dolorem afferrent. cfr. Ovid. Met. 4. 245. *nil illo fertur vidisse dolentius.* Græce: λυποῦντα αὐτοὺς. *prima habere.* cfr. Cat. 3. Terent. Heaut. 5. 2. 9. *suavia in praesentia quae essent, ea prima habere.* — *accersire.* Flor. 1. *ambiundo cogere.* hæc jungenda. cujus dictionis vim cum Cortius parum intellexisset, verba: *secum proficisci* ejicienda esse censuit. alibi quidem *cogere* milites idem est. quod *colligere*, *conscribere*, sed *ambiundo cogere* hanc potius vim habet, precibus et gratiam hominum captando eos perpellere, ut secum in bellum proficiscerentur. idem fere est, quod c. seq. legitur: *cogere ad militiam.* — *plebe militia volenti.* hæc optimi cujusque libri lectio est. Græca expressa: τοῦτο μοι βουλομένῳ vel ἡδομένῳ ἐστί. *belli usum.* cfr. Cat. 48. *usus quotidianus.* Jug. 43. *usui bello esse.* eodem modo hoc loco explicandum; quæ ad bellum gerendum opus sunt. *animis trahebant.* i. e. agitabant. vide infra 93. *anxius trahere cum animo suo.* ut enim curæ aliquem *trahere* dicuntur, ita etiam animus ipse rem aliquam trahere dicitur. vide infra 97. *dubius belli et pacis rationes trahere.* Cæs. B. Civ. 1. 21. *ut alius in aliam partem mente et animo traheretur.*

Cap. LXXXV. *isdem artib.* Flor. 1. Vat. 4. Berol. 2. 3. 4. *eisdem.* Ven. 4. Min. 2. *petere*, *gerere* ceteris omissis. Vat. 5. unde patet, etiam hunc librum in delendis vocibus passim modum excessisse. *supplicis* esse scribendum inde colligas, quod in Ven. 1. *supplicii*, in Fl. 1. *suppliciis* scriptum est. *dehinc.* Min. 2. jam supra est monitum, vix ad liquidum posse perduci, quibus locis *deinde*, quibus *dein* vel *dehinc* scribendum sit. *contra ea.* cfr. Cat. 3. *supra ea.* ita etiam Nep. in præfat. Cæs. B. Civ. 3. 74. Liv. 4. 52. Sal. infra sine pronomine: *quod contra.* sed illud gravius dictum; neque, quod audacioribus criticis etiam atque etiam inculcandum, eisdem ubique verborum figuris utuntur scriptores. *quo pluris* est. Ber. 2. 3. 4. Min. 2. Flor. 1. *quo plus est.* Vat. 1. 2. *quanto*

pluris est. Vat. 3. 5. *quanto pluris.* Eich. fortasse *quanto* primitus scriptum et postea, ut alteri orationis membro magis responderet, in *quo* mutatum est. *videtur mihi illa administrari.* Med. 7. *vestro beneficio.* Vat. a. hoc ordine etiam infra scriptum est. *cogere eos ad militiam.* Eich. *ad militiam* om. Vat. 5. *eos* om. Fl. 1. placet. *occursantis.* i. e. occurrere, obviam venire; id quod sæpius in bonam partem accipitur, sublevare, mederi, succurrere; rarius, ut hoc loco, in malam, alicui impedimento esse. Lucret. 5. 716. cfr. Cic. Cat. 3. 7. *omnibus ejus consiliis occurri atque obstiti.* Cic. Verr. 3. 41. *cupiditati hominum obviam ire.* ita *superbiae, injuriae, sceleri, Gracchorum actionibus.* supra apud nostrum. *aliis si deliquere.* Flor. 12. *fortia facta. fortia* om. Med. 11. *cognator. et ad fin. et* om. Ven. 3. *innocentia.* ut sæpius opponitur avaritiæ. cfr. Cat. 54. *aequos bonosque favere.* hoc loco Cort. particulam *que* intactam reliquit; pronomen omissum optimi libri confirmant. *mea beneficia in rempublicam procedunt.* Ven. 4. *in remp. proc.* etiam Flor. 12. *beneficia.* Flor. 2. *benefacta* sunt *res bene gestae.* cfr. Cat. 3. Prop. 2. 1. 23. *procedunt.* quod prosunt interpretantur, sed falso; omnia enim, quæ laudantur loca, aliam significationem non solum admittunt, sed etiam postulant. quare *procedere* hoc quoque loco, *bene cedere* significare putaverim. sensus igitur est is: omnia quæ bene gessi, reipublicæ bene gessi. *capiamini.* eodem modo infra Hist. Fragm. p. 217. *capiamini* dictum putant. sed h. l. haud dubie pro *decipere* dictum est. cfr. Tib. El. 3. 6. 45. *Nec vos aut capiant pendentia brachia collo, aut fallat blanda sordida lingua prece.* Cic. Acad. 4. c. 20. *sapientis vim maximam esse cavere, ne capiatur.* — *consueta habeam.* dictum ut: *exploratum, cognitum, perspectum habere.* — *a pueritia fui edoctus.* Ven. 4. *uti.* Min. 2. *deseram.* ita Cic. de Fin. 1. 7. *ullam officii partem. temperare* scil. sibi: sed dativus omitti potuit, cum verba *in potestatibus* etiam ad verbum sint trahenda. idem est, quod, modeste et moderate agere. sed sine casu rarius invenitur. unus locus apud Plautum exstat. Epid. 1. 2. 8. *Jam isthoc probior meo quidem animo, cum in amore temperes.* — *globo nobilitatis. globum* dicit nobilitatis, quia Salustio auctore, omnes eadem cupiunt, eadem oderunt, eadem metuunt. vide supra cap. 31. in eandem sententiam Vellej. 2. 58. *cum conjurationis globo* dicit. Nep. Attic. 8. *sic consensionis globus unius dissensione disjectus est.* — *prosapiae*: «sumsit a Catone qui 1 Orig. *veteres*

«*prosapias* dixit. bene autem in homine plebejo Mario, et in re veteri, «vetusto etiam vocabulo usus est; nec tangit illum reprehensio Fabii 1. 6. 40. et 8. 3. 20.» Cort. cfr. Sueton Galba. 2. Plaut. Merc. 3. 4. 49. Justin. 14. 6. 11. Cic. de Inven. 11. *imaginum*, *nullius*. Berol. 4. *officii sui*. nihil variant Itall. libri, nisi quod in Vat. 1. 4. ordo verborum mutatus est. *sui officii*. — *imperatorem jussistis*. Vat. a. Barb. 2. 5. Eich. quæ quidem scripturæ discrepantia non negligenda, magna enim librorum, quibus inest, auctoritas. cfr. Liv. 1, 22. et 17. 10, 11. 9, 30. *is imperat*. pronom. omisso Berol. 3. Med. 7. 8. 10. 11. Ven. 4. Vat. 1. 2. 3. quibus assentior. *Ac ego scio*. fortasse notat Lucullum, quem antea rei militaris rudem, cum, imperio belli Mithridatici accepto, in Asiam trajiceret, Græcorum scriptis in itinere perlegendis, factum imperatorem in Asiam venisse Cicero tradit. Quæst. Acad. 4. 1. *homines praeposteri*. hoc ordine Vat. 4. 5. *probra objiciuntur*. Vat. a. *probra* sunt flagitiosa facta. Ulp. Digest. 50. 16. 42. *faciunt*. Berol. 3. Ven. 2. quod alicui fortius dictum videatur. *ita res habet*. Ven. 1. *habent*. Vat. a. *quasi lumen est*. *quasi*. om. Med. 4. Med. 1. man. sec. adscripsit. *est quasi lumen*. Med. 5. *est* om. Ven. 4. Min. 2. sed in meliorum librorum dissensione nihil mutandum. *inopiam fateor*. Vat. a. quod ut abruptius, ita a Salustiana oratione haud alienum. *mea facta*. Berol. 2. 3. 4. Ven. 2. *mea benefacta*. Med. 8. m. pr. *mihi mea benefacta*. Ven. 3. *memet beneficia*. Vat. 3. m. pr. *mihi* omisso. sed pronomine adjecto vis sententiæ augetur. *facundiam et*. Berol. 3. 4. et ex Itall. Med. 4. Ven. 3. Vat. 4. Min. 2. quod defendi potest, quia Salustius sæpius adverbiis utitur cum infinitivo verbi substantivi junctis; sed constructio durior, quam quæ paucorum librorum fide Salustio obtrudenda sit. *in conscientiam duceret*. usitatius est cum dativo jungere, v. c. *laudi ducitur*. sed cfr. supra 82. *in superbiam vortebant*. infra 92. *omnia non bene consulta in virtutem trahebantur*. facile erat, *in conscientia* corrigere, id quod est in nonnullis Codd. cfr. Plin. H. N. 31. 6. *plerique in gloria ducunt*. sed tuetur accusativum analogia. vide loca supra laudata, et nescio quid Salustiani coloris mihi huic verborum juncturæ inesse videtur; ceterum conscientia pro mala conscientia, ut sæpius apud Salustium. *ex animi sententia*. Med. 4. 7. Ven. 2. 3. Vat. 3. 4. 5. *ex sententia animi*. Berol. 4. sed ceteri scriptores pronomen nunquam omittunt. vide loca innumera a Forcellino laudata. et cum formula sit jurantium vel firme aliquid adseverantium, facile credideris,

solemnem verborum positum a Salustio servatum fuisse. tuentur optimi libri Bas. 1. Tur. 1. Vat. a. *eorum poenitundum.* in Barb. 5. pronomen m. sec. adscripsit. sed hæc una varietas in Itall. libris invenitur. *meis plurimis.* pronomen om. Vat. a. *egomet meis.* Ven. 1. *plurimis meis.* Flor. 1. unde aliquis pronom. dubium esse credat; sed cum verbis *hereditate relicta* eleganter oppositum sit, id retinendum esse duco. *parum id facio.* adverbium positum pro genitivo; ita apud Plautum Pers. 2. 2. 42. *nihil facio scire.* Plaut. Stich. 1. 1. 42. *aliter nos faciunt, quam aequum est.* — *opus est.* *est* om. Ven. 4. *quippe quae doctoribus ad virtutem nihil profuerunt.* hæc Plut. vita Marii c. 2. ita expressit: Λέγεται δὲ μήτε γράμματα μαθεῖν Ἑλληνικὰ, ὡς γελοῖον ὂν γράμματα μανθάνειν ὧν οἱ διδάσκαλοι δουλεύοιεν ἑτέροις. *praesidium agitare.* Vat. a. *arte colam* i. e. habebo. Plaut. Asin. 1. 1. 63. *quanquam illum mater arte contenteque habet.* cum plerumque *colere* significet, aliquem cum studio et observantia prosequi, hoc loco ut vox media usurpata; quod apud ceteros scriptores non occurrit. *procul errant.* adverbium additum, quia h. l. verbum primaria significatione est positum. similis dictio: *tota via aberrant.* — *et ex parente.* Berol. 2. *ex aliis.* *ex.* om. Berol. 4. *divitiarum esse.* *esse* om. Berol. 4. Med. 1. 4. 8. 10. Ven. 1. 4. Flor. 1. probo. *sudorem et alia talia.* Vat. a. qui *pulverem* om. *dedecoravere.* cfr. Horat. Od. 4. 4. 36. *dedecorant bene nata culpae.* Prop. 3. 21. 35. *Aut faciem turpi dedecorare bove.* alii *dehonestare* dicunt. *animum habete.* Ven. 1. Vat. a. *habetote an.* Min. 2. Vat. 3. 5. Med. 5. Ven. 2. 3. 4. Berol. 4. id quod aliquis truci Marii ingenio magis convenire dixerit. *tuta sunt.* Vat. 1. 3. *exercitus ibi locorum* etc. *est* omisso Ven. 4. *mehercules.* Vat. a. *pars ejus.* pronom. om. Berol. 4. vellem meliores libri consentirent. *adtrita est.* *est* om. Berol. 2. Med. 4. Ven. 4. et recte quidem et hoc loco et infra, ubi Ven. 3. Vat. 3. Min. 2. *quibus est mil. aetas,* deletur. *aut in praelio.* Vat. a. *vitam exigerent.* Ven. 4. quod est indicio, jam antiquos grammaticos hoc errore ductos fuisse, ut Salustii orationem ad solam brevitatis normam exigendam esse putarent.

Ceterum hæc oratio, ut verbis et sententiis a ceteris quam maxime differt, ita luculentissimum est documentum rabidæ illius et jurgiosæ facundiæ, quæ asperis Marii moribus atrocitatique ejus ingenii erat aptissima. Quare recte quidem hanc orationem neque perfectam, neque conclusam, sed potius incultam atque asperam dixeris. Sermo enim est antiquior et

et quædam horridiora verba. Imo duritas quædam atque severitas et quasi mœstitia verbis inest. sed fervida, rapida, et furiosa, quasi torrens, fertur oratio. Sermone enim ita composito atque conformato optime effinguntur Marii mores atque natura. A morum enim sanctimonia atque generosa virtute, quæ in magno illo homine erat, major animi impetus non abhorret. Innocentium enim hominum, quorum animus neque libidini obnoxius, et culpa vacuus, liberior et ardentior solet esse oratio. Accessit atrocissimum, quo Marius flagravit, nobilitatis odium, et quod ut frugalitatis, ita antiquæ rusticitatis fuit tenacissimus. Quæ quidem omnia, si rem accuratius examinaveris, et in sententiarum ratione et in verborum delectu expressa esse invenies.

Cap. LXXXVI. *aliisque. que* om. Vat. 2. in Med. 1. m. sec. adjecit. *Manlium.* eundem Manilium dicit Plin. H. N. 33. 6. *capite censos.* cfr. Gell. 16. 10. *auctus.* scilicet honoribus. pari modo Nep. Phoc. *auctus adjutusque a Demosthene.* cfr. Cic. Epp. 7. 17. *ne videret ea.* pronomen demonstrativum, quod Cortium offendit, omnes libri tuentur.

Cap. LXXXVII. *onustum.* i. e. plenum. Tac. Ann. 12. 15. *pharetrae onustae telis.* Plaut. Aul. 4. 2. 10. *aulam onustam auri.* Afran ap. Prisc. 10. 879. *onustum pectus porto laetitia.* ex antiquo igitur sermone hoc petitum esse videtur. *omnia ibi capta. ibi* in Eich. m. recent. super lineam scripsit. *alia levia.* hæc transponenda esse jam priores interpretes viderunt, sed ne unus quidem liber verum ordinem servasse videtur. *capi aut occidi.* Vat. 5. *patriam parentesque.* hanc formulam in rebus bellicis usitatissimam hic alieno loco auctor intulisse videtur. vide ad Cat. 6. *divorsi.* cfr. Cat. 2. *sic Jugurthae placuit.* Codd. Taurinensis a V. Cl. Amedeo Peyrone collatus. *laxius licentiusque futuros.* recte Cortius. *laxius* interpretatur, qui laxiore imperio habentur. adverbium pro adjectivo positum, ut sæpius apud Salustium. cfr. supra cap. 14. *ut ubivis — tutius essem.* cap. 85. *ita fui.* adde c. 14. et 31. et cap. seq. *quid — contra esset.*

Cap. LXXXVIII. *armis exuerat.* dictio in re militari satis frequens, quæ, ut multa ejusmodi, jactantior est. Significat enim hostem superare, ita ut armis abjectis salutem in fuga quærat. cfr. Liv. 22. 21. Cæs. B. Gall. 3. 6. pari modo dicitur: exuere urbe, castris, provinciis, præda, agro etc. *belli patrandi.* vide ad Catil. 6. *pro hostibus et advorsum se.* cfr. cap. 64. *cum pro honore, tum contra Metellum.* falso Cortius *pro*

hostibus sejungit ab adjectivo, nam ad utrumque pertinet. *nudatum* scil. *fore*. ut recte Cortius. vide supra *infectum* 76. et Cat. 27. et 46. *gravior* libri optimi; *gravius* apud Cortium errore typographorum expressum esse videtur, in notis enim *gravior* scriptum est. Etiam *accideret*, quamvis pauci libri tuentur, (longe plurimi enim *accederet*) haud dubie scribendum est. vide infra cap. 107. eodem sensu, quo apud Liv. 2. 50. *tela ab omni parte accidebant*. etiam apud Cæs. B. G. 3. 14. *tela gravius accidebant* dicitur. apud eundem clamor, vox, fama, imber *accidere* dicitur. etiam supra cap. 14. Donatus ad Terentium: *quos accidam*, *quos adpellem* legit.—*parum exploratum est*. *est* om. Ven. 1. 4.

Cap. LXXXIX. *in manus venturum*. vide supra Jug. 57. *in manibus proelium facere*. Liv. 2. 30. *ubi ad manum venisset hostis*. id. 2. 46. *pugna jam in manus, jam ad gladios venerat*.—*et aliis negotiis*. *et* om. Ven. 1. *visum est*. *est* etiam h. l. Ven. 1. delet. placet. *inter ingentis* etc. i. e. in mediis solitudinibus. cfr. infra 92. *erat inter ceteram planiciem*. simile Ciceronianum, Cat. 1. 4. *dico te priore nocte venisse inter falcarios*. *inter* scilicet omnibus his locis pro *in* positum, sed fortius et significantius dictum. *Capsa*. Strabo 17. 3. p. 488. Κάψα τὸ γαζοφυλάκιον τοῦ Ιουγούρθα. urbs in Africa propria, quæ Romanis dicebatur, et quidem in regione Byzacia sita. haud procul absunt Thapsus et Asceta urbes. *Hercules Libys*. i. e. Libycus. confirmat nummus, qui *Herculi Libyco* inscriptus est. Herculem in Africam pervenisse testes sunt Solin. c. 25. Serv. ad Aen. 4. 196. id. ad Aen. 5. 564. cfr. Apollod. 2. 5. 11. Schol. Apollon. Rhod. 4. 1396. *memorabatur*. hoc antique dictum pro narrabatur. ita sæpius apud Plautum occurrit. *esse* etc. more Salustii omissum est. *levi imperio* —*fidelissimi habebantur*. duplici sensu verbum accipiendum. *quarum*. ex Itall. soli Flor. 1. Taur. *usum belli*. vide supra 43. 84. 85. *incultius agebat*. *quae incultius agebat*. constructio insolentior. quamvis enim nomen terræ pro incolis sæpius positum sit, tamen verbi quod additur, significatio, plerumque ad utrumque, et ad terram et ad incolas referri potest. quod nostro quidem loco fieri non potest. sed Cortii conjectura, qui emendat: *qui — agebant*, nihil audacius. *et neque*. *et* delendum, quod, me invito, a typographis expressum est.

Cap. XC. *contra — providere*. recte dictum; quamvis enim hanc structuram alibi vix inveneris, tamen a Salustiana oratione non abhorret. *arvo*. ager aratus nec dum satus. Varro R. R. 1. 29. et Fest. s. v. h.

l. pro agricultura positum. ceterum hæc comprehensio, (ita enim periodum appellare Ciceroni placuit) eo nomine notanda, quod multo magis est contorta et impeditior, quam Salustianæ scripturæ ratio fert. *exornat.* cfr. Cat. 36. *armis vicinitatem.* supra 52. *aciem.* 85. *convivium.* hoc loco sine casu positum, ut supra *providere*; significat, apparare, instruere. cfr. cap. 92. *administrare.* Cortius *iter ad Capsam* supplendum esse censet, sed hoc verbo non opus est; quodsi enim aliquod adjungendum est, potius dixerim, *omnia*, vel, *quae necessaria erant*, aliaque hujuscemodi esse intelligenda. *oppidum Laris.* cum in Itinerario *Laribus* sit nomenque plurale etiam ab Augustino memoratum sit, recte Cortius *Laris* accus. plur. esse judicavit. quæ laudavit Perizonius exempla: *oppidum Patavi*, *flumen Rheni*, *fons Arethusae*, non minus certa, sed ab hoc loco aliena sunt. *jubet dicitque. dicitque* omnes libri servant, et ne unus quidem in hoc loco dissentit, nisi quod Taurinens. *praedicitque* habet. sed vel omnibus Codd. invitis hoc verbum deleverim. Inprimis enim sub finem Jugurthæ est perspicuum, multa ejusmodi a Salustio omissa et ab insulsis grammaticis postea alieno loco interposita esse. recte Cort. confert infra cap. 109. quamvis non negaverim, multa quæ in serioribus Salustii scriptis occurrunt, in priora non esse inferenda. fieri enim potuit, ut labentibus annis durior ejus fieret oratio. *Tanaim.* Eich.

Cap. XCI. *omnibus parare. omnibus* om. Taurinens. *duum millium intervallo.* cfr. supra 55. *duobus locis, haud longe inter se, castra faciebant.* — *intentus.* i. e. acie instructa et ad omnes casus parata. *coegere.* infinitiv. est in Eich. *Jugurthae opportun.* etc. cfr. 88. *pro hostibus et advorsum se opportunissumae erant.* — *infidum erat.* Vat. 3. *antea.* Ven. 1. *infidum, neque antea.* Taurinens. *coercebatur.* Ven. 3. 4. sed recte Perizon. defendit *coercitum.* sensus idem, qui supra 76. *infectum.* qui enim haud temere unquam coercitus est, neque facile deinceps coerceri potest.

Cap. XCII. *patravit.* om. Taurinens. *clarus ante.* Ven. 1. cum supra *antea* exhibeat. quare haud facile de his terminationibus certi quid constituas. *et clarior.* Vat. 2. *trahebantur.* cfr. Dictys. 4. 10. *trahere in verum.* Plaut. Trin. 2. 4. 10. *ibidem una traho.* vide apud eundem Curcul. 4. 2. 20. *eadem hercle vos pono et paro.* Val. Max. 3. ult. *metu violentae mortis amicos inimicosque juxta ponere.* — *divinum esse.* verbum solus

Med. 7. om. perperam. *deserta* om. Taur. *corrupit* delet Eich. utrumque falsum. *haud secus difficilem* i. e. sed et ipsam difficilem. *haud secus* igitur hoc loco non plane est idem, quod: *haud aliter.* sed supra cap. 79. *haud secus atque in mari* pro *pari modo* dictum est. *prope consistere.* Taurinens. quæ haud negligenda varietas. sed *opus* pro machinis, et maxime vineis dictum; vide loca a Cortio laudata. Cæs. B. G. 7. 24. Auct. B. Afric. 51 et 52. *interim pars, acie ante opus instructa, sub hoste stabat.*

Cap. XCIII. *trahere cum animo suo.* vide infra 97. *dubium belli atque pacis rationes trahere.* supra 86. *alia hujuscemodi animis trahebant.* sed horum locorum, quamvis sint similia, non ea est auctoritas, ut pronomen *suo* delendum esse putes. alia enim structura. *usus fuerat.* Flor. 1. Berol. 2. Barb. 5. Eich. Vat. 1. 2. 4. 3. Min. 2. *erat.* Ven. 3. sed rectius omittitur. *noctesque. que* om. Ven. 4. *aestuans.* cfr. Cat. 24. *aestuabat invidia.* Epp. 2. de Rep. Ord. 7. *primo aestuat multaque in pectore volvit.* Catull. 62. 47. *animo aestuante.* Cic. pro Flacco. 20. de Harusp. Resp. 1. de Fato 8. Epp. 7. 18. *ab desiderio nostri aestuare te putarem.* — *cocleas.* ita omnes fere Codd. *quom unam.* Med. 7. *paulatim prope. prope* om. Eich. *solitudinem intellexit.* ita omnes fere libri. *cupido difficilia faciundi animum vertit.* ita longe plurimi ex Itall. Codd. v. c. Vat. 3. Med. 1. Min. 1. Ven. 4. *advertit.* Med. 7. 8. 9. Ven. 3. Vat. 1. 2. *animadvertit.* Flor. 1. Taur. *animum convertit.* Med. 5. Ven. 2. *difficilia ad faciendum animum intendit.* Med. 10. *anim. incendit.* Med. 11. *accendit.* Ven. 1. Vat. 4. 6. *invadit.* Vat. 5. Ex tanta Codd. discrepantia recte colligas, insolentius aliquod dictum his in verbis latere. Jam si scriptum fuerat, quod Cortius recepit, *invadit*, vix in tam varias librarii discessissent sententias. etiam *incendit* et *accendit* satis usitata sunt, ita ut explicatione non egeant. sed *animum vertit* quam maxime insolitum. quam dictionem ut explicarent primum verba composita *advertere, convertere* substituebant, post alia fingebant. *anim. vertit* igitur veram lectionem puto; dictum pro ejus animum implevit, ita ut totus in hac re esset, neque *mutationis* notio, quæ huic verbo inesse solet, plane negligenda. vernacula lingua ita vertendum: *die Begierde, Schweres zu vollbringen, gab seinem Geist eine andre Richtung.* — *paululum modo.* Med. 1. 2. 8. 9. 11. Ven. 2. 3. Vat. 3. *cuncta gignentium.* cfr. supra c. 79. *perscribit.* scilicet oculis, sive potius animo. multa congesserunt

interpretes ad hunc loquendi usum explicandum illustrandumque, sed maximam partem aliena. propius ad nostrum locum accedunt Terent. Andria. 1. 5. *etiam nunc mihi scripta illa dicta sunt in animo Chrysidis.* Seneca Præfat. in 1. Controv. *supervacuos sibi fecerat codices, ajebat se scribere in animo.* Sophocl. Philoctet. 1356. Καὶ γράφου φρενῶν ἔσω. Aeschyl. Prom. 788. ἐπιγράφου σὺ μνήμοσιν δέλτοις φρενῶν. potissimum autem Callim. Hymn. VI. 57. νέμεσις δὲ κακὰν ἐγράψατο φωνάν. Sed apud Latinum scriptorem vixdum locum inveneris, ubi perscribere nullo substantivo addito, dictum sit pro: *mandare memoriae.* — *eodem regreditur.* ita plurimi libri, e quibus Ven. 4. Vat. 1. 2. 3. 4. 5. Med. 1. Flor. 1. nihilominus tamen *eadem* præferendum esse duco. *qua ipse ascenderat.* Med. 1. 2. 8. 11. Ven. 1. 3. Taurinens. Vat. 1. 2. 4. Min. 2. cum Codd. testimonia fluctuent, difficile est, certi quid statuere, nisi quod *descenderat* eo defenditur, quod *ascenderat* paulo supra scriptum est. *castellum temptare.* Vat. 2. haud contemnenda discrepantia. *pollicens.* Eich. *promissa ejus.* pronom. solus Min. 2. om. perperam. *tamen paululum. tamen* om. Flor. 2. *paululum.* Med. 8. *animusque. que* om. Flor. 2.

Cap. XCIV. *compositisque. que* om. Taurinens. *facilius foret.* adverb. pro adjectivo. vide supra c. 14. *ut ubivis tutius essem.* — *verum ea Numidica. ea* om. Taurinens. *ponderis minuendi gratia.* Vat. 1. *simulque et offensa.* Vat. 5. hæc omnia confirmant id, quod sæpius dictum est, quam varie Salustius a librariis et grammaticis interpolatus sit. — *dubia nisu,* rectius pro dativo accipias dictum, pro ad nisum. hoc enim Salustio convenientius. *potissumus.* adject. pro adverbio i. e. maxime, præ ceteris. *dein statim digrediens.* horum verborum sensus Cortium fugit, quamobrem ea expunxit. sed falso. scilicet hoc Ligus fecisse videtur, ne refrigesceret animi impetus, adspectu illius audaciæ excitatus. talia enim consilia subito capiuntur et nisi confestim exitum habent, abjiciuntur. *multumque. que* om. Ven. 1. *intentos habuerat* i. e. effecerat, ut prælio intenti essent. *Jugurthae saevitiam.* Taurinens. quæ lectio ex insolentia orationis orta. *fundere plerosque, sauciare.* Vat. 5. quæ scripturæ discrepantia memoratu dignissima; cum maxime liber sit e melioribus. *vadere* significanter dictum. cfr. Virg. Aen. 2. 223. *per tela, per hostes vadimus haud dubiam in mortem.* — *certantes* i. e. certatim. *Sic forte correcta — invenit.* in hac verborum compositione omnia fere insolita. Ex talibus locis intelligas, quam remota sit Salustii oratio a vulgari ser-

mone. dictum pro: Marius, quod temerarium factum fortuna in melius verterat, ipso errore gloriam sibi peperit. de significatione verbi *invenire* supra memoratum est.

Cap. XCV. *L. Sulla Quaestor.* cfr. Vellej. 2. 12. Plut. V. Marii c. 10. V. Sullæ 3. *quem uti ex Latio.* Barb. 2. *nos* om. Med. 8. *nos amon.* Vat. 4. cfr. supra c. 79. quare pronomen delendum esse videtur. *et L. Sisenna. et* om. Vat. 5. Sisenna de bello Marsico et de bello civili inter Marium et Sullam gesto scripserat. *persecutus.* cfr. Nep. Cato fin. *hujus de vita et moribus plura in eo libro persecuti sumus* etc. etiam apud Cic. sæpius. *patriciae gentis nobilis fuit.* ita omnes Codd. quæ scriptura cur emendanda sit, non video. non enim omnes patriciæ gentes nobiles fuere, neque nobiles omnes patriciæ. quare utrumque recte conjungitur, et hæc opposita sequentibus. jam verbum, quod omnes libri confirmant, non esse delendum, quod aliis locis omissum est, sæpius monuimus. *exstincta.* i. e. memoria vel nomen familiæ obscurius factum, quod nemo ad rempublicam accesserat, rebusque a se gestis nobilitatus fuerat. *juxta doctissime.* (*et* omisso) Vat. 2. 5. quod delendum esse videtur. *luxurioso esse. esse* om. Ven. 1. sed infinitivus mihi hoc loco perquam elegans esse videtur. *nisi quod de uxore honestius potuit consuli.* cfr. Plaut. V. Sullæ cap. 6. et 2. *ad simulanda negotia.* i. e. ejus consilia haud facile quisquam intellexit. *altitudo ingenii.* id quod Græci βαθύτητα dicunt. *atque illi.* pronom. om. Vat. 4. et Vat. 1. qui habet: *atque felicissimus.* falso. Salustium enim pronomina demonstrativa sæpius substantivis præponere, jam supra memoratum est. *et illi felicissimo.* Taur. *nampostea quaefecerat* Vat. 5. *pigeat. magis* multi addunt, v. c. Med. 2. 8. 11. Ven. 1. 2. 3. 4. sed alii alio loco. quare recte omissum est.

Cap. XCVI. *in Africam atque.* om. Taur. *rudis ante.* Vat. 4. 5. *in paucissimis tempestatibus. in*, quod omnes fere libri servant, pro intra dictum. Cic. de clar. Orat. 93. *in hoc spatio et in iis post aedilitatem annis.* ita sæpius apud optimum quemque scriptorem. non solum *tempestas* num. sing. pro tempore dicitur, sed etiam plur. ita ut *tempestatem* etiam partem temporis, annum vel diem significare, statuendum sit. cfr. Cat. 53. *multis tempestatibus.* i. e. multis annis. Ita Cicero Homeri versum. Il. 9. 363. ἤματί κεν τριτάτῳ φθίην ἐρίβωλον ἱκοίμην vertit: *tertia te Phthiae tempestas laeta locabit.* ubi aperte antiquum sermonem imitatus est. *ipse per se.* hoc ordine Vat. 5. *illi quam plurimi. illi* positum

pro *ipsi* vel *sibi*; jam sæpius quidem vidimus, a Salustio pronomen *ille* poni, ubi ceteri scriptores fere omittunt, sed nullus locus nostro similis. quare frustra est Cortius, qui alienis laudandis hunc usum loquendi illustrari posse putat. rectius statuas, vim Græci pronominis αὐτός a Sal. esse expressam, quod et ipsum pro ἑαυτόν ponitur. cfr. Viger. p. 165. *in vigiliis.* Ven. 1. contra morem Salustii. *multus* i. e. frequens, adjectiv. pro adverbio. *quibus rebus et artibus.* abundantius dictum et ipse judico. sed *et artibus* delere, vide ne audacius sit. talia enim multa apud Salustium, ubi sequentia antecedentia accuratius explicant.

Cap. XCVII. Finis Jugurthæ inde ab hoc capite non uno nomine notandus. primum enim manifestum est, orationem multo magis quam antea a vulgari sermone abhorrere, ita ut omnes flores et ornamenta scripturæ Salustianæ, quæ in reliquo libro passim occurrunt, in hac parte sint frequentissima. Cujus rei causa et ab ipsius scriptoris ingenio et a librariorum prudentia videtur esse repetenda. Facile enim fieri potuit, ut Salustius, cum primum ad scribendum animum appulisset, rarius inusitatis formis et verborum compositionibus uteretur; durities enim atque asperitas antiquæ dictionis, quam maxime amplexus fuerat, a nitore Augusteæ aetatis nimis aliena esse videbatur. Postea vero, cum multa antiqua verba atque structuras usu fecisset tritiora, ratus simplex illud et inaffectatum dicendi genus, priscorum Romanorum moribus atque ingeniis esse convenientissimum, orationem magis ad antiquorum auctorum et inprimis Catonis stilum conformavit. quod quidem orationis expoliendæ studium ex hac re potissimum perspicitur, quod in historiarum libris et verborum formæ, et structuræ usurpatæ fuerint, quarum neque in Catilina, neque in Jugurtha vestigium expressum inveneris. Accessit, quod librarii, cum sæpius eandem orationis insolentiam invenissent, non amplius corrigebant, quæ serius Salustio propria esse et recte dici posse intellexerant. Inde factum esse puto, ut in hac libri parte Salustianam illam orationis proprietatem accuratius expressam inveniamus.

Et dubium. et delet Med. 1. 4. 7. 9. Ven. 1. 3. Vat. 3. 4. 5. probo. *illum dubium*. Ven. 4. *uti ante.* Vat. 5. *proximos ejus.* pronomen, quod Cortius delevit, omitti non potest. *exercitus conjunctus.* Taurinens. *et victis. et* om. Med. 4. falso. quo omisso significatur, illos de victoria desperasse. *fore* in Vat. 3. m. sec. addidit. *quod locorum.* Eich. *scien-*

tes cum genitivo non solum apud Sal. Tacitum et Vellejum, sed etiam apud ipsum Ciceronem satis frequens est. *difficiliorem fore. esse* habent Med. 1. Vat. 2. 3. 5. *fore diff.* ordine mutato Med. 7. 9. Min. 2. *fore* om. Med. 4. unde recte colligas, infinitivum ab auctore omissum fuisse. *accipere quivisset.* Vat. 5. manifesta glossa, ita enim vulgo loqui solent; sed etiam perfectum usitatum. *equos escendere.* corrigendum est ex Frontone, qui ita hunc locum laudat. sed ne unus quidem Codd. cum eo consentit. *peditesque permixti.* Vat. 5. et alii ex Itall. ceterum hoc non solum ad Numidas, sed etiam ad Romanos pertinet. cfr. supra c. 51. *caedere.* i. e. ferire, vulnus alicui infligere gladio, caesim percutere aliquem. *obtruncare.* i. e. occidere, maxime cum quis inermem vel inopinato aliquem occidit. cfr. Sal. Fragm. apud Non. 9. 5. *ceteri vice pecorum obtruncabantur.* et supra 66. ceterum hæc ab hostibus gesta esse neminem fugit, sed hoc auctor obscurius expressit. *quia numero plures.* (*hostes* omisso) Med. 4. perperam. *denique Romani, veteres novique et ob ea scientes belli.* mira dicendi ratio, in qua haud immerito offendebant interpretes; nihilominus tamen omnia sana esse videntur, libri enim nil variant. sed talia testimonio sunt, quam longe Salustiana oratio a vulgari sermone recedat. *orbis facere.* Vat. 5.

Cap. XCVIII. *quam familiarissimis.* hæc laus ei tribuitur cum irrisione nobilium, quorum cohorti multi juvenes adscribebantur, loco nobili orti, sed belli rudes. *quom tamen.* Ven. 2. *remittere — instare.* Infinitivus pro tempore finito. Etiam hac in re Græcorum vestigia secutus esse videtur Salustius. *pauca munimento quaerebat.* elegantissima Gruteri emendatio, quæ quamvis paucis libris confirmatur, tamen haud dubie ipsius auctoris verba restituit. vulgaris enim lectio: *pauca munimenta gerebat* sensu caret. *dehinc cunctos.* Ven. 3. *pleno gradu.* vide Liv. 4. 32. Cic. Epp. 12. 16. i. e. citato gressu; oppositum: *modico gradu.* Plaut. Poen. 3. 1. 19. *effusi.* i. e. dispersi, non conferti. *feroces erant, quod.* Flor. 1. *erant* etiam Ven. 4. *feroces esse.* Med. 4. 11. *aut,* pro *atque,* fere omnes libri, quæ mutatio etiam alibi est satis frequens. *ac se.* Ven. 1. m. sec. *atque* om. Taurinens. et Med. 11. sed hoc fieri vix potest; quippe quod ad *feroces* pertinet, ubi infinitivus *esse* supplendus est.

Cap. XCIX. *silentium haberi.* dictum pro vulgato: *sil. tenere, obtinere. — lux ubi.* Taurinens. *ne signa — canere.* notanda structura; nam

hæc omnia ad *jubet* referenda; aliis quoque locis verbum *jubet* primo infinitivo jungitur, quem alii infinitivi sequuntur, ubi simile verbum supplendum est. vide supra cap. 54. eadem ratio verborum sequentium. *exciti.* scilicet e somno. cfr. supra 72. *providere.* i. e. cavere. Cic. Epp. Att. 2. 1. *quod a me ita praecautum atque provisum est.* Plin. Epp. 3. 9. *provisum hoc legibus.* Tac. Ann. 15. 59. *nihil adversum hoc Neroni provisum.* — *parare*, quam significationem aliquis præferat, minus quadrat. cfr. Liv. 25. 39. *strepitu* etc. hujus loci abundantia quam maxime notanda. tam significanter enim tumultus describitur, ut in ipsis verbis tumultuosi et turbidi aliquid inesse videatur. *tumultu formidine terror.* Taurinens. Eich. *plures eopraelio.* idem (*que* omisso.) *acceperat.* Eich. sed hoc haud dubie inde ortum, quod in horum verborum recitatione postrema syllaba vocis præcedentis primæ sequentis verbi affingeretur; ceterum mihi dubium etiamnum videtur, annon Sal. *quasi vecordia* nulla comparatione addita dixerit. ita Cic. Epp. 3. 2. *Facilius erat mihi quasi decursus mei temporis.* — quod si in Salustio durius videtur, quod alibi aliter locutus est. — cfr. Cat. 10. 38. supra 41. et inprimis 72. *ita formidine quasi vecordia exagitari.* (qui locus ideo potissimum notandus, quod in ejusmodi formulis Sal. haud facile verba mutat) — haud dubie lectio: *formido quasi vecordia.* alteri lectioni præferenda; cum enim tantus terror esset, formidine mentes Numidarum captæ sunt. contrarium minus apte dictum.

Cap. C. *dein Marius, uti coeperat, in hiberna*: in hac lectione plurimi libri consentiunt. pauci *profectus, it*, vel *proficiscitur* addunt. alii *quae* omittunt. dubitari igitur non potest, quin hoc loco verbum a Salustio omissum sit. *dextumos* antique dictum pro *dextros.* vide Varro apud Non. 2. 198. *dextimam viam munire.* cfr. Fest. s. v. „*dextimum* et *sinistimum* antiqui dixerunt.“ voces ex augurum libris petitas puto. *curabat.* praeesse, præpositum, præfectum esse. vide ad Cat. 59. et supra 46. *quasi nullo imposito.* vide Cat. 51. *Lacedaemonii triginta viros imposuere. quasi* cum ablat. absoluto, structura Græca: ὥσπερ μήδενος αὐτοῖς ἐφεστηκότος. *merentis.* vox media; scilicet, quæ quisque meruerat, ea dicere. *cogebat.* scilicet *armatum intentumque esse atque iter facere.* hæc quam maxime notanda constructio. quæ quidem ut Codd. consensu satis defenditur, ita quam maxime est insolita. quod enim alii dicunt, *atque* etiam, cum *quam* significet, eadem tempora modosque conjungere, ea tantum ad hunc locum explicandum regula ab illis inventa et per se satis infirma est. sed Græcæ particulæ ὥσπερεί, ὡσανεί cum

infinitivo jungere licet, siquidem structuræ congruentia ita fert. *in porta locaverat*. Eich. quæ discrepantia firmat lectionem a nobis receptam, *in porta.—futuri*. ita omnes fere libri. *futura*. Barb. 5. scilicet participium more Græcorum pro substantivo positum. id quod facilius fieri potuit, quod verbum substantivum omittere ei solemne est. quae Cortius laudat loca, omnia aliena sunt. sed apud Thucydidem hoc satis frequens. cfr. 1. 142. ἐν τῷ μὴ μελετῶντι ἀξυνετώτεροι ἔσονται. vide Viger. Ed. Herm. p. 338. n. *volentibus esset*. etiam hoc ad Græcum sermonem conformatum; Thuc. 2. 3. τῷ γὰρ πλήθει τῶν Πλαταιέων οὐ βουλομένῳ ἦν. etc. Tac. Agric. 18. *illoque aliisque*. *que* utroque loco om. Med. 2. *illo aliisque*. Med. 4. 5. id quod stolida emendandi cupidine factum. *que* enim bis positum maxime poeticum, sed etiam apud pedestres scriptores occurrit. *malo*. i. e. poena, antique dictum; ita in notissimo illo Saturnio versu: *dabunt malum Metelli Naevio poetae*. Liv. 2. 54. *malo domandam tribuniciam potestatem*. *et alia*. h. l. omnes libri. *voluptati habuisset*. ita apud Cic. Off. 2, 14. *habere religioni*. *curae*, *despicatui habere* apud alios passim.

Cap. CI. *atque idem sign*. [om. *omnes*] Eich. *aeque aliquos*. in hoc loco explicando omnes interpretes operam et oleum perdiderunt, maxime Cortius, qui ceteros exagitat. et ipse *aeque a tergo* jungit idque explicat: *gerade von hinten zu*. ! ! quem enim alii conferunt locum Tac. Hist. 3. 23. *luna aequior a tergo*, in eo egregie falluntur. ac primum quidem lectio sana. paucissimi enim iique deteriores libri dissentiunt. bene explicat Guelf. 3. *ex omnibus certe aliquos*. non plane abs re est, quod Muellerus conjecit, *aeque* vim Græcæ particulæ ἴσως habere. sed potius pro ὅμως, *tamen* dictum esse putaverim. talis enim particulæ vis desideratur. *quem primum attigerant*. Med. 8. *quem primum attingerant*. Vat. 1. scriptura antiquior. sed num *hostes* delendum sit, valde incertum; potuit enim fieri, ut ideo a librariis expungeretur, quod paucis verbis intermissis, diverso sensu positum est. *apud primos agebat*. *erat* etiam hoc loco Med. 4. 7. 8. 11. Ven. 2. 1. Eich. *plurimis erat*. *aderat*. Med. 4. *astabat*. Ven. 1. *instabat*. Eich. m. recent. *erat* del. Vat. 1. ceterum *agebat* longe plurimi libri tuentur. quare hoc quidem verum puto, sed altero loco *erat* delendum esse videtur. *convertit*. ut sæpius pro neutro positum. confirmant cum alii libri, tum Neap. 4. *fide terrentur*. [*nuncii* om.] Taurinens. *perculsos Romanos*. *Rom*. delent. Med. 1. 2. Vat. 4.

5. placet. *percussos.* Med. 4. Ven. 4. *occurrit.* multi ex melioribus. Med. 5. 8. 9. Ven. 2. 4. Vat. 1. 3. 4. 5. Min. 2. et eo firmatur, quod non solum ad rem aliquam prohibendam, sed etiam ad eam juvandam *occurrimus. erupit* Eich. Taur.

Cap. CII. *duo quam fidissimo.* Ven. 1. sed in fine verborum *s* in multis libris deletur. ita etiam infra *amico quam servo.* Vat. 3. *de suo et.* omnes fere libri. *suo populi.* Med. 7. 10. *quod ingenium.* Ven. 1. Taur. Eich. Flor. 24. *ingen. quo advers.* Flor. 19. *uti* et *quo* om. Flor. 11. 26. 27. 30. sed *aut* quod præcesserat, et quod insolito loco *uti* est positum, id multos falsos habuit. *leticia nobis.* Taurinens. *nobis.* om. Vat. 2. sed falso. *est* potius cum Flor. 1. deleverim. *quom.* Med. 7. *te* om. Flor. 23. *a principio melius.* Flor. 19. *inopi* omisso, quod ceteri constanter retinent. quod, quo insolentius, eo verius. i. e. jam a principio, cum parvae ejus opes essent. *opulento* enim opponitur, ut recte Fest. s. v. Liv. 9. 1. *nihil cum potentiore juris humani relinquitur inopi. — tutiusque rati.* Ven. 4. Vat. 2. Eich. alii meliores; quare restituendum esse puto. *utiliusque.* Taurinens. *quia procul.* Taurinens. *nulla nostra opportunior am.* Ven. 4. qui verborum positus magis Ciceroni quam Salustio convenit. *dein quia.* Vat. 2. *parentes.* i. e. subjectos. *cuiquam satis.* Neap. 4. (*omnium* et *fuit* omissis.) id quod durissimum. *ad hoc usque tempus.* Taurinens. quæ quidem verba Cortius temerarie ejecit. *scilicet placuisse.* etiam Italici libri hoc in loco multa turbant. sed eaedem discrepantiæ, quas jam Tom. 1. laudavimus; meliores autem non dissentiunt. *multa opportuna, quo facilius.* Ven. 1. cetera m. sec. addidit. *demitte.* Med. 5. Ven. 2. Vat. 2. probo. *victum esse.* esse om. Ven. 4. Taur. probo. *unde vi Jug. expulerat. vi* om. Med. 1. 7. *expulit.* Ven. 2. Med. 5. *expulerat.* Flor. 15. 21. 25. 30. Med. 1. 2. 4. 8. 11. 10. Ven. 4. Vat. 1. Flor. 11. Min. 1. 2. *unde Jug. p. r. expulerat.* Flor. 2. *Jugurth. Marius* etc. Med. 4. 8. 11. Vat. 1. jam *expulerat* quidem recte scribi statuo, sed ad quem hoc pertineret, accuratius exprimendum erat. *Marius* igitur adjiciendum est. quod quidem nomen aut in *vi* latet, quod in antiquis libris *ui* scribitur, aut post Jugurtham ponendum est, ubi propter *m*, quod præcessit, negligentia librariorum omitti potuit. nam Flor. 29. lectionem *unde expulerant vi Jugurtham* minus aptam esse judico. sunt qui hoc ad ipsum Bocchum referant, et hoc ante bellum Romanum factum esse statuant. cfr. Perizon. Animad. Hist. c. 4. p. 171. Ed.

Harles. sed cur hoc a Boccho adjectum sit, cum idem verbis *jure belli* significetur, vix explicueris. Quod cum alio tempore a Mauro gestum esset, certe non erat, cur hoc Romanis enarraret. *ac tum.* om. Ven. 1. *et metuens.* Flor. 16.

Cap. CIII. *evenerant.* multi libri Taur. Vat. 1. 3. 4. 5. Eich. sed *venire* etiam apud Livium multis locis pro *evenire.* cfr. 24, 40. 10, 22. 9, 12. 10, 45. *seu monitus.* ita Vat. 5. *aliis amicis. aliis* om. Min. 2. *illis.* Med. 7. Flor. 11. sed nihil mutandum. *validissima. Eos.* ita Flor. 25. (*erat* omisso.) unius libri fides parum certa. *Marium deinde si.* Taur. [*ac* om.] ita infra Ven. 1. *Romam* delevit, quæ omnia laudo, ut inconsiderantia librariorum, in vocibus delendis non minus, quam in adjiciendis perspicua, neminem lateat. alia est ratio in sequentibus: *ipsis permittit.* ubi *illis* habent. Vat. 3. 4. Taur. utrumque delent Ven. 4. Vat. 5. quæ discrepantia propter librorum bonitatem haud negligenda. *spoliati, pavidi.* [*que* om.] Taur. *accurate.* i. e. magna cum cura, vel quod Cicero dicit, accuratissima diligentia. *volens.* i. e. benevolens. cfr. supra 14. *diis volentibus.* et in formula: *volens propitiusque.* ita etiam dicitur *velle alicujus causa.* Cic. Epp. 1. 1. et *voluntas.* — *in benignitate habebantur.* vide infra cap. 101. et Plin. 31. 6. *in gloria ducere.* — *sibi adsit.* pron. om. Ven. 4. *benivolentia* neutro plurali. Ven. 2. Flor. 1. 11. hoc quidem a Salustiano stilo non plane alienum, sed dativus *benevolentiae* propter mutatam constructionem multo elegantior. *omnia pollicitus docuit.* Med. 8. manifesta interpretatio.

Cap. CIV. *infecto, quo intenderat, negotio.* Eich. *confecto, quo int. neg.* Ven. 1. Vat. 1. *confecto neg. quo int.* Taur. verborum positus in Eich. longe elegantissimus, et, si quid video, restituendus. *Prætorem Utica.* in urbis nomine transponendo libri Italici quam maxime variant, sed meliores ab editione nostra non dissentiunt. *in quis legatis.* etiam multi Itall. libri. etiam paulo infra *et a consule.* scilicet abruptum dicendi genus grammaticis insolentius visum. quod ut lenirent, alii aliainter posuerunt. *omnibus rebus.* Vat. 1. 2. 3. Taur. sed talia defendere non opus est. *in Africam.* hæc verba omnes libri Itall. tuentur, quare suspecta non habenda sunt. *in Africa.* Flor. 11. *lubens.* ita Flor. 11. 29. Neap. 4. *deprecati sunt.* satis constat, *deprecari* usurpari, cum crimen aliquod excusatur; sensus igitur is est: confessi sunt regem errasse eamque culpam excusare studuerunt. In ejusmodi structuris cernitur Salu-

stiana brevitas. *delicti gratiam facit.* cfr. ad Cat. 52. Ceterum in hoc responso unusquisque sermonis gravitatem facile intelligit.

Cap. CV. *de communibus.* præpos. om. Taur. Ven. 1. 2. Flor. 3. 13. 15. lectio haud contemnenda. cum enim Bocchus totius rei arbitrium Sullæ permitteret, consultatione non opus fuit. quare vix mihi tempero, quin et ipse præpositionem deleam. *peditum atque equitum. atque* om. Ven. 2. id quod durissimum. *velitaria arma.* «sunt quæ gestantur a «velitibus, parma tripedalis, et brevior quam equestris, septem hastæ in «manibus, quibus eminus uterentur, et gladius Hispaniensis. ita perspi-«cue Livius 26. 4. vide Lipsium III. de milit. dialog. 1.» Cort. adde Schwarz Animadvers. ad Nieuport. p. 340. seqq. 347. Le Beau l'aîné sixième mémoire sur la légion Romaine: des troupes légères. Mém. de l'Acad. des Inscript. Tom. XXIX. p. 364. seq. *aliisque omnibus.* hac locutione firmantur, quæ supra dicta erant, cap. 74. *ceteri omnes.* — *sese quisque.* Vat. 1. *arma atque tela temptare, intendere.* præclare describitur, quæ milites, prælium inituri, agere solent. *intendere* recte dicitur, quod velitaribus armis instructi erant; non enim ad arcus hoc retulerim, sed potius ad jacula, quæ vibrabant. *et advorsum. et* om. Med. 4. sed hæc brevitas multo minus elegans, quam conjunctione interposita. *rem quietam.* i. e. nihil hostile timendum, omnia pacata esse.

Cap. CVI. *adveniens.* participium præsens insolitum. sed cum præsens sequatur, ferri potest. *dicitque* ne unus quidem liber omittit. sed alia loca Salustii si comparaveris, facile credideris ab auctore non esse scriptum. quare mihi quoque suspectum videbatur. nihilominus tamen ejicere non ausus sum; nam loco simillimo (vide infra cap. 112.) itidem omnes libri hoc servant. etiam infra in verbis *occurrit dicitque*, hoc omitti potuit. quare vide, ne consilio potius quam negligentia hoc abundantius dixisse Sal. videatur. *praesidium missum.* Eich. *illi simul.* Taur. *Boccho.* hoc cur adjectum sit mirum habuit Cortium; sed Salustius verba Volucis expressit, qui Sullam docuit, se Bocchi filium esse. *diei vesper.* hic nullus Codd. Itall. alteram terminationem in *e* servavit. Ceterum hujus abundantiæ jam multa exempla laudavimus. *intento voltu pavens.* Ven. 4. sed *incerto* multo significantius. *pavens* apud antiquiores potissimum scriptores frequens est. significat metu perculsus, exagitatus. *occurrit.* etiam hoc loco multi libri. Ven. 1. 2. Med. 9. Flor. 11. 22. 26. *pestis.* cfr. Cic. Epp. 6. 6. *sic ego prudens et sciens ad pestem*

ante oculos positam sum profectus. cfr. Liv. 23, 48. 25, 19. 2, 49. et sæpius alibi apud hunc scriptorem. *quos ducebat.* constructio Græca. vide Cat. 27. Jug. 63. *ignis.* Flor. 3. 15. *ante eos.* pronom. om. Vat. 1. probarem, si meliores libri consentirent. *auditum est.* verb. subst. om. Ven. 4. *manu vindicandum* i. e. supplicium ob proditionem ab eo sumendum.

Cap. CVII. *aestumabat.* pro existimabat, ut sæpius apud Salustium. *quem manus armaverint.* Vat. 1. 3. 6. *quem* etiam Vat. 5. *armaverat.* Vat. 2. *manus qui armaverit.* Vat. 4. *quem manus armaverat.* Med. 8. sed nescio, an lectio Vat. 5. Flor. 2. 21. *quem manus armaverit* omnibus præferenda. dictum pro: cujus manus armata sit. Id enim solemne Salustio, ut sæpius rebus vim agendi tribuat. *ab hostibus vertere.* Taur. *hostilia fecerat.* Vat. 2. id quod a Salustiana dictione haud alienum. *ire jubet.* Med. 8. Vat. 1. *quom ipse filius.* Med. 7. *optumum factum.* Med. 1. 4. 7. 10. Ven. 3. 4. Flor. 3. 15. 16. 21. 25. 26. multi alii. sed *factu.* Vat. 1. 3. 5. Flor. 11. illud ut antiquius est, ita magis convenit Salustio. *acciderat.* multi libri. sed *acciderant* haud dubie retinendum, id quod cum locus supra laudatus, (cap. 88.) tum nonnullorum librorum glossa: *accesserunt* confirmant. *perventum est. est* om. Ven. 4. *dein paucis.* Ven. 3.

Cap. CVIII. *fidum esse Romanis. Rom.* del. Vat. 5. pessime. eadem negligentia infra Ven. 2. 3. *pop. Rom.* omittunt, quod cum duabus literis scriptum esset, facile omitti potuit. *delegeret.* ita Flor. 1. *cum illo.* quæ Flor. 11. omittit, verissima. sensus enim is est: omnia, de quibus cum Sulla consultare sibi in animo sit; sed duritas quædam in hoc est, quod substantivum cum substantivo sola præpositione junctum est. *pertimesceret, quo res communis licentius gereretur.* hæc unde pendeant haud facile dixeris. multi hæc ad sequentia pertinere statuunt et *nam* ante verba: *ab insidiis ejus* delent. sed hoc audacius, et fere eadem constructionis durities. Recte autem Cortius: «vocem *legatum*, ut alibi alia nomina, tanquam pro tota oratione posuit, id quod etiam proxima: *nam aliter* cet. perspicue indicant.» hoc enim apud Græcos scriptores nihil frequentius, ut primum accusativus verbis *timendi* adjiciatur, tum per epexegesin accuratius explicetur, quæ in tali re vel persona metuenda sint. Jam hoc etiam satis certum, verba timendi non solum *ut* et *ne*, sed etiam relativa cum conjunctivo vel infinitivum saepissme sequi. accedit, quod *ut* et *ne* non eadem ubique significatione his

verbis junguntur. sed aliquoties inter sese commutantur. hoc igitur loco ita scribere licuit: *neu propter legatum rem communem licentius gerere pertimesceret.* sed pro infinitivo pron. relativum posuit, quod insolitum esse me quidem non fugit, sed in Salustio talia ferenda esse judico. Animum enim addit librorum calamo exaratorum constantia, quippe qui ne tantillum quidem hoc in loco variant. nihil certe in his verbis difficultatis inesset, si pro *quo*, *ne* scriptum esset. *ne* et *ut* igitur inter se commutata puta; *quo* enim pro: *ut eo* positum. *comperio*. Flor. 3. 15. 23. sed *comperior* Salustio usitatius. *cavere* multi libri tuentur, pronom. ut sæpius omissum. *attenuisse*. Ven. 1. 4. quod antiquius dictum puto.

Cap. CIX. *Igitur Sulla.* hoc loco omnes fere libri verbum dicendi omittunt, unde patet, quod supra significavi, sub finem hujus libri, multo religiosius in mutandis et interponendis vocibus librarios egisse. Ceterum accusativum cum inf. sæpius poni, nullo verbo præcedente, unde regatur, ut enunciationem aliquam ab aliquo dictam vel cogitatam esse significetur, neminem fugit. innumera exempla apud omnes scriptores passim occurrunt. *occulte nullo.* (*aut* omisso) Eich. Taur. *bellum agitaturus foret.* cfr. Cat. 2. Jug. 14. 29. et 81. ubi *vitam*, *pacem*, *moras*, *inducias agitare* dicitur. cfr. Gronov. Observ. II. 3. *praeceptum fuerat.* verbum subst. omnes Codd. Itall. confirmant, sed paulo post pronomen *cum* in omnibus fere libris omissum est. *processit.* vide supra cap. 21. *sanctus vir et ex sententia ambobus.* in his verbis etiam Itall. libri varie dissentiunt. sed nihil in tanta librorum discrepantia invenitur, quod in ceteris libris non occurrat, aut ad mutanda verba valeat. soli Eich. et Taur. non solum nihil addiderunt, sed etiam verba *sanctus et* omiserunt. *ex sententia* priscæ orationis formula. cfr. Gell. 4. 20.

Cap. CX. *nunquam ego ratus fore.* Ven. 3. et 1. sed hic etiam verba: *uti rex* delet. quæ lectio, credo, brevitatis amatoribus arridebit. Contra Ven. 2. post *omnium*, *opulentissimus* interponit. *Et me hercule.* multi libri *me*, pauci etiam *et* omittunt. ita Vat. 2. 3. 4. Ven. 3. qui neque *et*, neque *me* habent. quare *me* quidem recte ejicitur, sed *et* retinendum esse videtur. sunt etiam, in quibus *hercle* scriptum est. *nullius indigus.* hanc præstantissimam Codd. Basil. 1. et Bern. 4. lectionem, confirmant optimi libri Vat. a. Barb. 5. sed in sequentibus Vat. a. post *aliquando*, *pretium* interponit, alii *precio*, alii *pretii*. — *quod fu-*

erit mihi eguisse aliquando precio tuae amicitiae. Taur. Unde manifestum fit, librarios tam parum sibi constitisse, ut ne hoc quidem satis certum esset, quo loco glossam interponerent. Ipsam locutionem: *fuerit mihi eguisse* jam Cortius satis defendit, quam ad circumcriptionis formulas referendam esse recte judicat. in rem confert Cat. R. R. princ. *Est interdum praestare, mercaturis rem quaerere, ni tam periculosum siet.* Sil. Ital. 12. 695. *fuerit delere Saguntum* etc. cfr. Gronov. Observ. IV. cap. 8. et eundem ad Senec. de Clem. 1. 18. Tibull. Carm. 4. 1. 100. *Tunc tibi non desit, faciem componere pugnae - carius est.* Vat. a. *id adeo.* cfr. Cat. 37. Plaut. Curcul. 5. 3. 2. Cic. pro Cluent. 29. *id adeo sic cognoscite.* recte Festus s. v. *fere post se habet particulam ut; sine ea vero positum in principio eleganter inservit epiphonemati.* — *utere, quoad vives.* (*et* omisso) Eich. quo modo oratio multo fit incitatior. sed post *vives* interpungendum est. *flagitiosum est.* verbum delent multi libri Med. 1. 5. 10. Ven. 2. 4. Flor. 1. 12. 15. 26. Vat. 4. 5. quibus assentior. *de republica cujus.* Taur. (*vestra* om.) quod notatu dignum. *at finis.* Vat. a. 3. *quod voltis.* etiam hanc paucorum librorum lectionem Vat. a. confirmat, ita ut recte colligi posse videatur, hos libros Bas. 1. Bern. 4. Vat. a. quamvis non sint ejusdem familiæ, ad eandem certe gentem pertinere. *id intrare. id* om. Med. 4. *repulsus abibis.* recte confert Cortius, quæ passim apud nostrum leguntur: *victi, profugi, inulti, praecipites abeunt.* et Horat. Serm. 2. 1. fin. *tu missus abibis.*

Cap. CXI. *multis disseruit.* cfr. Cat. 4. *paucis absolvit.* — *in gratiam.* cfr. infra c. 112. *in potestatem habuisset.* Cat. 11. et 19. *quem si Romanis tradidisset. Rom.* om. Ven. 2. Med. 5. id quod durius est. *negitare.* Plaut. Prol. 50. *negitare me adeo natum suum.* Lucret. 4. 911. *ne fieri negites, quod dicam, posse.* etiam hoc antiquius dictum. *invisi erant.* indicativum optimi libri tuentur. *lenitur et.* Ven. 1. 2. 3. Flor. 17. 29. Med. 4. *lenitur ex vol.* Med. 2. *leniter ex vol.* Med. 8. 11. et longe plurimi *leniter.* nihilominus tamen etiamnum dubito, utram lectionem præferam. *leniter promittere* recte quidem dicitur, sed huic loco parum conveniens esse videtur; nam *aspere* eum locutum esse vix credideris. sed cum *negitare* præcesserit, *lenitur* præclare dictum. cfr. c. 11. *lenire animum ferocem.* ita etiam Cicero de Catone pro Muræna cap. 31. *Te ipsum nunc animi quodam impetu concitatum, usus flectet, dies leniet, aetas mitigabit.*

Cap. CXII. *dicitque.* etiam hoc loco omnes libri. vide supra c. 106. *dein ab illo.* pro *dein.* Vat. 5. *deinde,* (verbis *ab illo* omissis) quæ si minus necessaria, certe satis concinna sunt. *enuntiat.* Flor. 4. *nuntiat.* Med. 1. 4. 5. 8. Ven. 1. 3. Vat. 1. 2. 3. 4. 5. et longe plurimi ex reliquis libris. sed *denuntiare* gravius dictum. *omnia quae imperarentur, facere.* deditionis formula, quod supra est monitum. *conventam pacem.* hoc quoque ad prisci sermonis rationem videtur esse conformatum. cfr. Fest. s. v. «conventa conditio dicebatur, cum primus sermo de nuntiis et eorum conditione habebatur.» Sisenn. apud Non. 2. 470. *servulum conventum in populum produxit.* — *sibi Sullam. sibi* Med. 5. om. ut supra c. 111. *Romanis.* — *in potestatem habuisset.* omnes fere libri. vide supra c. 111. *in hostium potestatem.* Flor. 12. 17. 22. 29. Taur. parum concinne; hæc enim verba et ad antecedentia et ad *relictum iri* pertinent; quod cum librarios fugeret, *non sua captum ignavia.* Ven. 4. correxit, alii (ut Med. 2. 5. Flor. 1.) *inultum* ante *relictum* interponunt.

Cap. CXIII. *loco instituto tempore.* Ven. 4. *postea tempore loco const.* Flor. 27. Med. 10. *loco const. tempore.* Ven. 1. quare *et* delendum esse videtur. *spei bonae pleni esse. pleni.* Ven. 4. om. idem paulo post pro *ceteris, aliis* habet. sed neutrum recte. neque aliquis putaverit, *ceteris* ob hanc discrepantiam delendum, nam hoc quidem salvo sensu omitti potuit, sed propter oppositum a scriptore adjectum est. talia enim a librariis inveniri non solent. *multa agitavisse.* Vat. 2. quod nescio an rectius dictum sit, magis enim varietas ingenii hac voce adumbratur. *quae scilicet — patefecisse.* hoc in loco vexatissimo etiam Itall. Codd. multa turbant, sed optimus quisque meliorum librorum auctoritatem confirmat. quare easdem discrepantias iterum laudare supervacaneum duco. *accersiri.* Vat. 1. 2. 3. Flor. 4. 12. 15. 21. 22. 25. 27. Ven. 1. 2. 3. *arcessiri.* Ven. 4. in tanta librorum varietate res ad dijudicandum difficilis. Salustius enim promiscue, modo infinitivo quartæ, modo tertiæ conjugationis usus esse videtur. *et ex ejus.* et om. Ven. 4. idem infra in verbis *nunciatum est* verbum subst. om. *uti dictum erat. est.* Ven. 3. quare et hoc loco *erat* et in fine *est*, quod Med. 4. et Vat. 5. omittunt, expungendum esse duco. in Taur. *deducitur* scriptum est.

Cap. CXIV. *advorsum Gallos.* Ut apud scriptores Græcos Germani et Galli communi nomine Κέλται nominabantur, ita prisci Romani Gallo-

rum nomen ad Germanos transferunt. hoc enim loco Cimbros et Teutonos significari neminem fugit. Sed jam antiquissimis temporibus Germanos cum Gallis mixtos Italiam invasisse extra omnem dubitationem positum esse videtur. ceterum de Gallorum nomine vide Dukerum ad Flor. 3. 3. n. 1. *contremuerat. intremuerat.* Taur. illud verius. Cic. de Div. 1. 28. *me contremuisse timore perterritum.* — *vinctum adduci* (*Romam* omisso) *nunciatum.* Taur. quæ quidem lectio mihi elegantissima esse videtur. *nunciatum est. est* om. Ven. 4. *factus est et.* etiam hoc loco *est* delent Med. 2. Vat. 4. 5. placet. *Januarii.* Flor. 1. Ven. 1. 4. quod fortasse rectius. *Ex ea tempestate. ex* om. Ven. 4. Vat. 6. Flor. 12. quæ haud dubie præstantior est lectio: non enim ab eo inde tempore tanta Marii auctoritas fuit, sed eo tempore, quo res Romana in summum discrimen erat adducta, salus reipublicæ in eo posita fuit. cfr. Flor. 3. 3. *Actum erat, nisi Marius illi saeculo contigisset.* Ceterum finis Jugurthæ, qui nonnullis abruptior esse videbatur, extremæ Conjurationi Catilinæ haud absimilis est.

Quomodo in belli Jugurthini historia scribenda versatus sit Salustius.

Ut de scriptoris ingenio et de tanti operis forma accuratius judicium fiat, primum de rerum fontibus, unde ille sua hauserit, exponendum est. Quamvis enim Salustius belli Jugurthini luculentissimus et religiosissimus auctor jure suo existimatur, hoc tamen iis persuasissimum fore judico, qui accuratius cognoverunt, quæ et quanta in hoc opere condendo ei fuerint subsidia. Ut enim omittam, illum pro consule Numidiæ præfectum, complures annos in his locis versatum fuisse, ubi bellum gestum fuerat, hoc etiam magno illi fuit adjumento, quod nulla fere res pluribus scriptis illustrata fuerat. Eo enim tempore mos invaluit, ut summi viri suam ipsi vitam narrarent, et memoriæ rerum gestarum consulerent. Non solum enim M. Aemilius Scaurus tres libros de vita ipsius acta, ad L. Fufidium scripserat, (cfr. Cic. Brut. c. 29.) sed etiam L. P. Rutilius Rufus et historias et de vita sua scripsit. (vide interpp. ad Taciti Agricolam c. 1.) Quorum quidem scriptorum testimoniis ideo plus tribuendum est, quod non, quæ fama et auditione acceperant, sed quibus ipsi interfuerant rebus, in commentariis illustraverant. Imo ne Sulla quidem, ad quem laus atrocissimi belli compositi pertinet, hanc rem silentio prætermisisse videtur; quippe quem non solum gloriæ, sed etiam partium studium impulit, ut Marii, inimicissimi hominis facta detrectaret, et quas ipse res præclare gesserat, summis laudibus efferret. Quamquam sunt, qui XXII historiarum libris, ab illo ad Lucullum scriptis, tantummodo res inde a bello sociali usque ad dictaturam suam illustrasse statuant.*) Accessit Sisennæ, gravissimi viri, testimonium, qui et ipse aequalem aetatis suæ memoriam literis illustraverat.**) Nam dictaturæ Sullæ mentio in historiarum libris, ab eo compositis, facta fuerat. Magna etiam fuit auctoritas Posidonii, qui summis viris, Pompejo aliisque, familiarissime usus fuerat, et magnum historiarum opus condiderat. (cujus librum XLIX laudat Athenæus IV. p. 176.) Qui cum res Romanas inde a capta Carthagine usque ad finem belli

*) cfr. Heereni V. Cl. Commentat. de Fontibus et auctoritate Vitarum Plutarchi p. 151. **) cfr. Voss. de Hist. Lat. p. 43.

Mithridatici illustraverit, etiam de bello Jugurthino exposuisse videtur.*) Jam annalium scriptores, Q. Claudium Quadrigarium, Q. Valerium Antiatem, C. Licinium Macrum, fortasse alios quoque, qui his temporibus vixerunt et historiarum libros composuisse dicuntur, bellum quoque Jugurthinum scriptis illustravisse manifestum est.**) Quorum quidem auctorum Salustio copiam fuisse, vix in dubitationem vocari posse videtur; sed num eos inspexerit atque in usum suum converterit, alia est quæstio. Sed cum tanta fuerit hujus scriptoris diligentia, mihi quidem admodum probabile esse videtur, nihil quidem ab illo fuisse neglectum, ut opus quam absolutissimum relinqueret. Neque conjectura opus est. Qui enim in Africæ originibus illustrandis regis Hiempsalis libros laudaverit, Sisennae vitio verterit, quod de Sullæ rebus parum libero ore locutus sit, ipsius Scauri avaritiam apertissime explicuerit, de Metelli rebus accuratissime scripserit, Marii virtutem summis laudibus celebraverit, eum omnium scriptorum testimonia summa cum fide et religione examinasse facile crediderís. Quam quidem ad rem accuratius explorandam multum faciunt ceterorum scriptorum, qui bellum Jugurthinum attigerunt, testimonia. Hæc igitur cum Salustii historia diligentius comparasse non abs re est. Quamvis enim multi eorum ipsum Salustium auctorem secuti esse videntur, in paucis tamen ab eo dissentiunt, quæ cur ab illo aut omissa, aut aliter narrata fuerint, in disceptationem vocandum est. Primum quidem satis constat, quos libros Livius de bello Jugurthino conscripserit, temporis injuria periisse, nec nisi eorum argumenta, quorum auctorem sunt, qui Florum existiment, aetatem tulisse. Sed Epit. 64. et 66. in quibus pauca de bello Jugurthino insunt, nihil habent, quod Salustii auctoritatem infirmet; nisi in Jugurthæ verbis levis quædam discrepantia est, de qua supra memoravimus. vide ad cap. 35. Ipsius Flori *Rerum Romanarum Epitome*, brevior est, quam cujus ratio in fide Salustii examinanda haberi possit, et facile intelligas, totam ejus belli descriptionem ex Salustii libro esse exscriptam. cfr. Lib. 3. c. 1. Vellejus Paterculus quoque brevissime tantam rem attigit atque perstrinxit.

*) cfr. Heeren. l. l. p. 138. sq. et quem ille laudat: Posidonii Rhodii reliquiæ doctrinæ. collegit atque illustravit Janus Bake. Lugd. Bat. 1810.

**) Heeren. l. l. p. 103. Græcos quoque scriptores commemorat, Alexandrum Polyhistorem, Dositheum et Dorotheum, qui res Romanas eo tempore gestas scripserunt. cfr. Voss de Hist. Lat. I. 9 et 10. Lachman de Fontibus Hist. T. Livii p. 34. seqq.

Nam quæ ejus est ratio, judicium potius de rebus interponit, quam, quomodo res gesta sit, explicat. cfr. Lib. 2. c. 11. et 12. Eutropius, qui paucis verbis bellum Jugurthinum absolvit, (vide Lib. 4. c. 26. 27.) Salustii vestigia persecutus, nulla in re dissentit. Sed ex Orosii narratione (cfr. Lib. 5. c. 15.) manifestum est, ceteros scriptores multa accuratius exposuisse, quam Salustium. Cum enim laudasset scriptorum, qui hanc rem illustrarunt, luculentiam, plurima quidem eodem fere modo enarrat, sed pauca addidit, quæ a Salustio omissa sunt. In deditione, auctore Bomilcare, a Jugurtha facta, obsidum et transfugarum numerum addidit, quæ quidem ex Livio hausisse videtur, quem in ceteris quoque auctorem sequi solet. Præterea non solum deditionem a Jugurtha, sed etiam pacem factam fuisse statuere videtur. id quod verba: *Exin cum incertus in pace, improbos non cohiberet excursus* significare videntur. Sed in eo falsus est, quod Cirtam urbem etiam tum a Jugurthæ præsidiis occupatam teneri existimavit; dicit enim: *adversus Romanos, expugnationem ejus parantes.* contra Salustius: *ad Cirtam oppidum iter constituunt, quod ibi Metellus praedam captivosque et impedimenta locaverat.* Neque enim putaverim eandem urbem postea a Jugurtha receptam fuisse. Ipsum prælium apud Orosium haud inconcinne descriptum est, sed hoc parum recte dictum, quod tres dies continuos a Numidis contra Romanos pugnatum esse dicit. cfr. Jugurth. c. 97. 98. 99. 101. Neque tantum periculum virtute a Romanis propulsatum putat, sed repentinam pluviam sitientibus militibus saluti fuisse. Tandem atrocissimo illo prælio, non procul urbe Cirta, ut Salustius auctor est, commisso, nonaginta millia Numidarum a Romanis cæsa esse dicit; quæ quidem omnia ita sunt comparata, ut alios auctores secutum esse Orosium facile intelligas, sed ejus judicio non ita multum tribuas. Inter Græcos scriptores apud Strabonem nonnulla de situ locorum accuratius exposita sunt, de quibus jam supra memoratum est. Appianus in libro, quem Grammatici laudant Νομαδικὴν γραφὴν, et ipse accuratius de bello Jugurthino egisse videtur. In paucis enim, quæ exstant, fragmentis (vide Appian. Ed. Teuchner p. 237.) de Vaccensium et transfugarum Romanorum supplicio accuratius, quam Salustius exposuit, et Manlii legati, una cum Sulla ad Bocchum regem missi, orationem commemorat. Salustius autem expressis verbis non Manlium, sed

Sullam, cujus eloquentiæ hoc a Manlio datum sit, verba fecisse dicit.*) Etiam eo loco, ubi Appianus de Jugurtha capto exponit, facile intellexeris, alius potius scriptoris, quàm Salustii verba ab eo esse expressa. Neque, ubi libro VI. Belli Hispanici c. 89. Jugurtham ad Numantiam in castra Romana pervenisse enarrat, Salustii vestigia pressit. Quamvis igitur levis sit Appiani auctoritas, tamen, si liber ejus aetatem tulisset, rectius utique de Salustio judicare liceret. Diodorus in paucis librorum deperditorum reliquiis, et ipse a Salustio dissentit. Leviora quidem etiam hæc dixeris, sed non plane contemnenda. cfr. Lib. XXXIV. Ed. Bip. Tom. X. p. 132. seq. Exstat fragmentum de Cirtæ urbis expugnatione, ubi eadem fere, quæ apud Salustium hac de re narrantur. Sed Adherbalem dicit Ἀτάρβαν. cfr. l. l. p. 132. etiam alterum Micipsæ filium, Hiempsalem, Ἰάμψαμον nominat. cfr. l. l. p. 139. eodem loco Græcas literas a Micipsa rege receptas et cultas fuisse auctor est; id quod Strabonis testimonio confirmatur. vide L. 17. c. 3. p. 488. Ed. Tauch. de Metelli superbia et de Marii industria simulataque modestia idem accuratius exponit., p. 139. 140. quo quidem loco manifestum est, alius scriptoris, quam Salustii auctoritatem eum esse secutum. Responsum quoque, a senatu Bocchi legatis datum, a Salustii verbis abhorret; quæ enim senatus obscurius significavit, hæc expressis verbis Diodorus exposuit. — Multo diligentius Plutarchus Salustii vestigia legit; quodsi enim a paucis discesseris, parum abest, quin ipsa illius verba expresserit (vide Vit. Mar. c. 9.) Prodigium quidem, Mario Uticæ oblatum (cfr. Jug. 63.) a Plutarcho rectius ad ipsum profectionis tempus relatum esse videtur (vide Vit. Marii c. 8.)**) Alia quoque fusius exposuit et luculentius illustravit; neque tamen ex his colligas, eum aliis scriptoribus plus quam Salustio tribuisse. Sed de inimicitiis, quæ Mario cum Metello intercedebant, ita disseruit, ut facile intelligas, Plutarchum Marii magis, quam Metelli culpa hoc factum esse statuere. cfr. cap. 8. l. l. initio. Quare recte V. Cl. Heerenius judicare videtur, plurima, quæ ad res a Mario

*) Ceterum verba Appiani: ἣν αὐτὸς Γογόρθαν ἀφείλετο, πρὸς Μαρίου νῦν ἀφαιρεῖσθαι. Perizonii interpretationem confirmare videatur. sed vide supra ad cap. 102.

**) cfr. Freinsheim. Livii Supplem. l. 45. c. 52. «Salustius magnus auctor, et in his rebus unicus, hoc Marii Uticense sacrum, prioribus aliquanto temporibus adscribit; a cujus sententia non oblivione aut neglectu, sed judicio discessi.»

in Africa et contra Cimbros et Teutonos gestas pertineant, Plutarchum ex Sullæ commentariis hausisse.*) Præter hos scriptores, qui peculiaribus libris aut de bello Jugurthino, aut de viris scripserunt, quorum opera in his rebus fuerat præcipua, multa apud auctores passim occurrunt, quæ ad bellum Jugurthinum pertinent. Sed cum ad eam rem illustrandam nihil faciant, ea silentio prætermittere melius visum. Quamvis enim Freinshemius, et postea Debrossius, qui et ipsi belli Jugurthini historiam scripserunt, multa auctorum loca congesserunt, tamen levissima sunt, in quibus Salustii auctoritatem impugnant; imo Freinshemius potissimum multa solius ostentationis causa laudasse videtur, quæ si perlegeris, nihil invenies, quibus Salustii historia fusius explicetur atque illustretur. Quare ceteris scriptoribus comparandis vix fieri posse videtur, ut, quanta fides habenda sit Salustio, explores. Sed ipsius Salustianæ orationis ea vis est, atque præstantia, ut quantum ejus judicio tribuendum sit, facile constituas. Qua igitur causa hoc argumentum Salustius sibi tractandum sumserit, ipse exposuit. (c. 4.) Res enim et per se memoria digna, et eo bello semina malorum jacta sunt, quibus res Romana in summum paene discrimen adducta est. Sed consilium tantæ rei scribendæ tum primum cepisse videtur, cum proconsul, Numidiæ præpositus, loca ubi bellum illud gestum fuerat, accuratius cognovit. Neque tamen hanc primariam causam fuisse dixerim. Partium studio potius eum impulsum fuisse credideris. Cum enim ipse Cæsaris partes secutus esset, illamque optimatium factionem odio haberet, facile in animum induxit eas res perscribere, quibus tanta illa nobilitatis perversitas aperiretur. Id quod factum est tempore belli Jugurthini, ubi, cum Tiberio et Cajo Gracchis interfectis, senatus auctoritas maxima videretur, primum inventi sunt, qui intrepido animo superbiæ et arrogantiæ nobilitatis resisterent, et plebem servitute oppressam in libertatem vindicarent. Quorum quidem consilia cum Salustius probaret, his rebus illustrandis plurimum studii adhibuit, neque quemquam hoc latere putaverim, quanta cum arte Memmii et Marii orationes scriptæ sint, quibus optimatium vitia exagitantur. Sed non ea fuit ingenii perversitas in Salustio, ut, quod ipse, nobilium factioni inimicissimus, populi partes fovebat, veritatem inflecteret, et in historia scri-

*) cfr. de Font. et Auct. Vit. Plut.

benda nil nisi partium studium spectaret. Contra hac in re Thucydidi simillimus esse videtur, quod et eadem fere de rerum publicarum formis sentit, et incorrupto judicio, quid ubique laudandum fugiendumve sit, ponderat. Quare tantum abest, ut populares viros laudando, quos Sulla et Rutilius, credo, conviciis laceraverant, eorum inimicorum gloriæ obtrectet, ut potius neque Metelli, neque Sullæ mores ab ullo scriptore verius expressi sint, quam a Salustio. Sed hoc jam ad Catilinam animadversum est, in hominum ingeniis atque moribus adumbrandis paucos scriptores Salustio pares esse et neminem fere eum superasse. Varium enim Jugurthæ ingenium, quanto cum acumine explicuit et in omnium quasi oculis atque conspectu posuit? Eademque solertia in Bocchi fraudulentis consiliis illustrandis versatur. Sed ut eo redeamus, unde profecta est nostra oratio, id dubitari non potest, partium studium ad corrumpendum Salustii judicium nihil valuisse. Sed non minus laudanda totius operis forma atque conformatio. Quod enim perpetuæ rerum historiæ scriptoribus sæpius accidere solet, ut multa orationi intexant, quæ aut levissima sunt, ita ut legentibus fastidium creent, aut a consilio, quod sequuntur, aliena, hoc ne sibi vitio verti possit, diligenter cavet Salustius; quippe qui non solum rem gravissimam scribendam susceperit, sed etiam in ea explicanda atque illustranda tanta cum arte versatus sit, ut nil possit esse supra. Nihil enim ab eo scriptum est, quin ad rem, quam sibi illustrandam proposuit, spectaret. Ipsius belli atrocitatem, callida Jugurthæ consilia et magnam industriam, nobilitatis avaritiam, superbiam et pravam ambitionem, virorum principum virtutes et vitia, hæc, ceteris omissis, illustranda esse censuit. Quas quidem ad res ut legentes acrius animos intenderent, et orationis ubertate et verborum aculeis, sententiarum acerbitatem et nervosam illam, qua excellit, gravitatem temperavit. Nam summam illam dicendi vim atque contentionem non in brevitate, quam interpretes jactant, sed potius in judicii acumine, apta verborum electione et incorrupta quadam Latini sermonis integritate esse positam, in commentariis sæpius animadversum est. Sed consilium Salustii, tantum res gravissimas illustrandi, cum ex aliis rebus, tum inde maxime perspicitur, quod tempora accuratius describere omisit. Satis enim habuit, ipsum rerum ordinem exponere, sed quo quidque anno gestum sit, enarrare a consilio alienum duxit. Quantum autem sit artificium dicendi inprimis ordinis et rerum

disponendarum ratione manifestum fit. Initio libri, postquam de historiæ scribendæ consilio exposuit, in Jugurthæ ingenio moribusque illustrandis versatur, et quibus artibus ad regnum pervenerit, luculenter ostendit — c. 17. his pauca sunt interposita de Romanæ nobilitatis avaritia, quibus omissis, regis largitio illustrari non potuit. Hac igitur de re primum agendum fuit, quod inde ab initio belli usque ad finem in Jugurthæ callidis consiliis omnia posita sunt. Sed postea cum jam describere aggrediatur, quomodo bellum Romanos inter et Jugurtham ortum sit, primum naturam et situm locorum illustrat; quo quidem loco id animadvertitur, cujus rei in historiarum libris multa testimonia exstant, Salustium in originibus populorum explicandis antiquissimas fabulas sequi, quippe quas ad veritatem propius accedere statuit, quam seriorum interpretum judicia. — cap. 20. Sequentia usque ad cap. 40. eo spectant, ut optimatium mores perversi accuratius exponantur. Quare res bellicas breviter attigit, sed in principum civitatis vitiis enarrandis multus est et copiosus. In Metelli rebus illustrandis diligentissimum se praebet Salustius. — cap. 84. disciplinam ab eo restitutam commemorat, quanto consilio atque virtute bellum gesserit et suis artibus regem petiverit, accuratissime exponit. Sed in tanta diligentia non omnia, quæ per tres deinceps annos a Jugurtha bene et male gesta sint, enarrat, sed totius belli rationem, atrocissima prælia, expugnationes urbium, insidias ab hostibus structas, imperatorumque consilia illustrat; cetera, quæ multa in bellis accidere solent, sed leviora sunt, a consilio suo aliena duxit. Jam de Philænis fratribus quod digressionem fecit, id eo consilio fecisse videtur, ut nobile factum Carthaginiensium etiam Latinis libris illustraretur. Sed inde a capite 84. usque ad finem libri in Marii virtute illustranda totus est. Cujus ingenium quantopere præstantissima illa oratione aperiatur, supra memoratum est. Sed etiam ceteras res ab eo gestas tam luculenter exposuit, ut facile intelligas, Salustium Marii virtuti atque solertiæ plurimum tribuere. Neque tamen plus justo eum laudasse putandus est; non enim verbis Marii virtus ab auctore ornatur, sed in rebus gerendis eminet et elucet, ita ut dissimulari non possit. Sed quamvis Marius tantam sui omnibus injiciat admirationem, quantam debet, tamen ejus factis Sullæ gloriam obscurari non patitur Salustius, imo manifesto confecti belli laudem in eum confert. Quare si ulli unquam scriptori hoc dicere licuit, sibi a partibus reipublicæ liberum animum fu-

isse, hæc merita Salustii laus est. Sed timeo, ne in hujus scriptoris virtutibus prædicandis modum excessisse et studium meum laudibus extollere videar. Quare ceteris, quæ ad solam orationem exornandam pertinent, hoc loco omissis, in calce libri adjicere placuit, qui consules belli Jugurthini tempore fuerint, et quæ res singulis annis gestæ sint.

A. U. C. DCXX. P. Mucius Scævola, L. Calpurinus Piso. Coss.

Numantia capta. Jugurtha et Marius Scipionis auspiciis stipendia faciunt. (cfr. Plut. V. Marii c. 3. J. c. 7.)

DCXXXII. Q. Fabius Aemilianus Maximus, L. Opimius Coss.

Jugurtha a Micipsa in regnum adoptatus. (J. c. 9.)

DCXXXV. M. Porcius Cato, Q. Marcius Rex. Coss.

Micipsa moritur. Reguli Adherbal, Hiempsal et Jugurtha thesauros inter se dividunt et imperii fines constituunt. (J. c. 12.)

DCXXXVI. L. Cæcilius Metellus, Q. Mucius Scævola Coss.

Hiempsal a Jugurtha occisus; Adherbal ab eodem bello petitus et prælio victus in provinciam profugit.*)]

DCXXXVII. C. Licinius Geta, Q. Fabius Eburnus Coss.

Adherbal Romam proficiscitur; eodem Jugurtha legatos mittit. Senatus utrisque datus. L. Opimius in Africam missus ad regnum Micipsæ inter reges dividendum. (J. c. 14. 15.)

DCXXXVIII. M. Aemilius Scaurus, M. Cæcilius Metellus Coss.

L. Opimius, pecunia a Jugurtha corruptus, partem Numidiæ agris virisque opulentiorem Jugurthæ tradit. (J. c. 16.) **)

DCXXXIX. M. Acilius Balbus, C. Porcius Cato Coss.

Jugurtha iterum Adherbalem bello petit. (J. c. 20.)

*) Sed non satis certum, num hæc duobus an eodem anno facta sint; Aul. Gell. N. A. 13. de Catone: *consul cum Q. Marcio Rege fuit inque eo consulatu in Africam profectus, in ea provincia mortem obiit.* Jam si propter regum dissensiones Cato in Africam missus est, Hiempsal certe priore anno a Jugurtha occisus esse videtur.

**) Hæc omnia anno 635. U. C. facta esse Freinsheim. statuit. vide Suppl. Lib. 62. c. 10—22.

DCXL. C. Cæcilius Metellus, Cn. Papirius CarboCoss.

Adherbal, prælio ad Cirtam urbem victus, eo fugit. urbs obsidetur. legati Romani in Africam missi. (J. c. 21.)

DCXLI. M. Livius Drusus, L. Calpurnius Piso Coss.

Literæ ab Adherbale Romam ad senatum missæ. Scaurus legatus in Africam proficiscitur. Cirta capta. Adherbal occisus. bellum a Romanis Jugurthæ indictum. (J. c. 27.)

DCXLII. P. Cornelius Scipio Nasica, L. Calpurnius Bestia Coss.

Calpurnio Numidia provincia decreta. Jugurthæ legati Italia decedere jussi; bellum Jugurthæ illatum. Consulis legatus Scaurus et ipse pecunia corruptus. pax cum Jugurtha facta. acris Memmii oratio contra nobiles. Prætor Cassius in Africam missus. Jugurtha Romam arcessitur. (J. c. 28—34.)

DCXLIII. M. Minucius Rufus, Sp. Postumius Albinus Coss.

Jugurtha, Massiva per sicarios interfecto, Italia decedere jussus. bellum ab Albino renovatum, sed segniter gestum. Consul Romam redit, fratre Aulo proprætore in castris relicto. (Jug. 35, 36.)

DCXLIV. Q. Cæcilius Metellus Numidicus, M. Junius Silanus Coss.

Proprætor Aulus cum exercitu a Jugurtha sub jugum missus. foedus cum rege factum, sed a senatu neglectum. Rogatio Mamilia. Metello Cos. Africa provincia decreta. disciplina exercitus restituta. Vacca capta. prælium apud Muthul flumen commissum. Zama frustra a consule oppugnata. (J. c. 37—61.)

DCXLV. Serv. Sulpicius Galba, M. Aemilius Scaurus Hortensius Coss.

Metellus proconsul cum Jugurtha de pace agit. deditio a rege facta et postea omissa. Vacca urbs, quæ ad Jugurtham defecerat, a Metello recepta. conjuratio contra regem a Nabdalsa et Bomilcare facta et detecta. Jugurtha Thalam profugit. hæc urbs a Metello obsessa et capta. Jugurtha et Bocchus, rex Mauritaniæ, fœdere facto, conjunctis exercitibus Cirtam contendunt. (J. c. 62—81.)

DCXLVI. L. Cassius Longinus, C. Marius Coss.

Metello imperium in Numidia, a senatu prorogatum, a plebe ab-

rogatum, ad Marium defertur. Metellus bellum trahit; et Romam redux factus triumphat. Marius, multis levioribus præliis factis, Capsam, munitissimum oppidum, capit. (J. c. 82 — 91.)

DCXLVII. C. Attilius Serranus, Q. Servilius Cæpio Coss.

Reliqua pars Numidiæ a Mario capta. Sulla in castra Romana venit. Atrox prælium sub finem aestatis commissum; reges fugantur. Altera pugna non procul a Cirta. Reges iterum victi. Bocchus pacem petit. iterum bellum sumit, et paulo post denuo de pacis conditionibus agit. (J. c. 92 — 103.) *)

DCXLVIII. Rutilius Rufus, C. Manlius Maximus Coss.

Legatis Bocchi a senatu pax data. Jugurtha, a Boccho proditus, Sullæ traditur, Marius iterum consul factus. (J. c. 104 — 114.)

DCXLIX. C. Marius, C. Flavius Fimbria Coss.

Marius Kal. Januarii triumphat. (J. c. 114.)

*) Falso Sigonius jam hoc anno Jugurtham captum esse statuit. vide Comment. in Fast. et triumph. Rom. p. 229. etiam in rebus, quæ priore anno a Mario gestæ fuerant, parum diligentem se præbuit. p. 228. Fieri quidem non potest, ut in ipsius Salustii silentio, de omnibus rebus certi quid statuatur, sed quæ probabilia erant, conjectura assecutus esse mihi videor.

Corrigenda.

Qua felicitate in priore hujus libri volumiue edendo adjutus fueram, ut diligentissimo correctore uterer, ea in priore commentariorum parte excudenda eram destitutus. Homo enim male sedulus, cui librarius plagulas emendandas tradiderat, non modo in vocibus interpungendis plurima turbavit, sed etiam multos eosque putidissimos operarum errores intactos reliquit. Unde factum est, ut fere dimidia pars commentariorum minus accurate typis expressa, et ipse plagularum numerus inde a pagina 193 turbatus sit. quæ enim pagina numero 153 erat notanda, ea 193 inscripta est. qui quidem error reliquam libri partem invasit. Præterea multa alia a typotheta peccata sunt, ita ut tot errorum farraginem oculis perlustrans, summo dolore afficerer. Felices ter et amplius, quibus contigit, ut Lipsiensi correctore uterentur. Sed apud nos neque inveniuntur, qui oculos tam acres et acutos habeant, neque, si invenirentur, meritum præmium iis persolveretur. Quod quidem monere non abs re visum est, ne, quod librarii culpa factum est, auctori aliquis vitio vertat. Sed tantam negligentiam censoria nota esse dignissimam ne ipse quidem diffiteor.

Pag. 1. *lin.* 4. *corrige* lius *pro* ius. — *p.* 3. *l.* 26. *c.* Pompejis *p.* Pompeji. — *p.* 6. *l.* 4. *c.* subsellia *p.* ubsellia. — *p.* 7. *l.* 1. suspicione *p.* suscipione. — *p.* 8. *l.* 21. *c.* Cæsareos *p.* Cæsario. — *p.* 10. *l.* 2. *c.* et *p.* e. — *p.* 10. *l.* 3. *c.* Dionis *p.* Dioni. — *p.* 11. *l.* 24. *c.* scriptas *p.* scriptus. — *p.* 13. *l.* 34. *c.* detinuerat *p.* detinuerata. — *p.* 14. *l.* 5. *c.* septingentesimo *p.* septingesimo. — *p.* 14. *l.* 26. *c.* quas *p.* quos. — *p.* 14. *l.* 29. *c.* structuram *p.* structurum. — *p.* 15. *l.* 1. *c.* abhorreat *p.* abhorrcat. — *p.* 15. *l.* 18. *c.* posse *p.* possen. — *p.* 16. *l.* 6. *c.* se *p.* re. — *p.* 16. *l.* 11. *c.* coercendam *p.* cœrcendam. — *p.* 16. *l.* 35. *c.* causa *p.* causam. — *p.* 20. *l.* 31. *c.* familiarissime *p.* familarissime. — *p.* 21. *l.* 27. *c.* eandem *p.* eundem. — *p.* 21. *l.* 34. *c.* tam *p.* tum. — 26. *l.* 33. *c.* *καὶ ἐς* *p.* *κα ἰὲς*. — *p.* 28. *l.* 7. *c.* lapide *p.* lapidi. — *p.* 28. *l.* 36. *c.* *ᾤκει* *p.* *ὤκει*. — *p.* 30. *l.* 22. *c.* propiores *p.* propriores. — *p.* 31. *l.* 33. *c.* curiosam *p.* curiosum. — *p.* 35. *l.* 18. *c.* adhibitam *p.* adhibitum. — *p.* 35. *l.* 20. *c.* quæ *p.* qui. — *p.* 35. *l.* 26. *c.* dativo in i *p.* dativoi. — *p.* 37. *l.* 9. *c.* adderem etiam, *p.* adderem etiam. — *p.* 37. *l.* 13. *c.* illi enim, haud dubie eo consilio a Salustio posito. — *p.* 38. *l.* 35. *c.* excellit *p.* excellet. — *p.* 42. *l.* 14. *c.* *δυοῖν* *p.* *δοῖν*. — *p.* 43. *l.* 23. *c.* Præturam *p.* Præturum. — *p.* 43. *l.* 27. *c.* tam *p.* tum. — *p.* 44. *l.* 18. *c.* suspectam *p.* suspectum. — *p.* 45. *l.* 15. *c.* verbis *p.* verbir. — *p.* 45. *l.* 16. *c.* junguntur *p.* junguntus. — *p.* 45. *l.* 19. *c.* quibus si quicquam unquam pensi *p.* quibus si pronomine quicquam pensi unquam. — *p.* 45. *l.* 20. *c.* Nero *p.* Neroi. — *p.* 51. *l.* 8. *c.* compertam *p.* compertum. — *p.* 52. *l.* 30. *c.* malam *p.* malum. — *p.* 54. *l.* 26. *c.* retineatis *p.* retinentis. — *p.* 59. *l.* 20. *c.* verbis propositam conf. *p.* verbis conf. — *p.* 59. *l.* 28. *c.* innocentiam *p.* innocentia. — *p.* 60. *l.* 7. *c.* structuram *p.* sructuram. — *p.* 60. *l.* 32. *c.* ædificarunt *p.* ædifcarunt. — *p.* 67. *l.* 8. *c.* sit iis ab inferis *p.* ab iis inferis sit. — *p.* 69. *l.* 34. *c.* candidatum *p.* candatum. — *p.* 70. *l.* 27. *c.* 13. 3. *p.* 15. 3. — *p.* 74. *l.* 37. *c.* homi *p.* hom. — *p.* 75. *l.* 37. *c.* obversatur *p.* observatur. — *p.* 82. *l.* 2. *c.* tetrarchas *p.* tetrarchus. — *p.* 83. *l.* 15. *c.* positum *p.* positus. — *p.* 87. *l.* 16. *c.* diripuerit *p.* deripuerit. — *p.* 88. *l.* 36. *c.* devinxerat *p.* divinxerat. — *p.* 91. *l.* 1. *c.* neque *p.* que. — *p.* 92. *l.* 20. *c.* magnas *p.* magnus. — *p.* 99. *l.* 1. *c.* 63. *p.* 65 — *p.* 99. *l.* 1. *c.* fretus *p.* fretos. — *p.* 99. *l.* 22. *c.* in Manliana *p.* Man-

liana. — *p.* 102. *l.* 2. *c.* est *p.* esse. — *p.* 106. *l.* 4. *c.* ἐνοικοῦντας *p.* ἐνοιοκῦντας. — *p.* 108. *l.* 7. *c.* discordiarumque *p.* discordiorumque. — *p.* 108. *l.* 11. *c.* lata *p.* sita. — *p.* 111. *l.* 4. *c.* paratam *p.* paratum. — *p.* 111. *l.* 30. *c.* profectus *p.* perfectus. — *p.* 118. *l.* 2. *c.* procuratores *p.* procuratotes. — *p.* 119. *l.* 1. *c.* ἐκοινώσαντο *p.* ἐκοινωσαντ. — *p.* 119. *l.* 28. *c.* L. Mur. *p.* L. Mar. — *p.* 132. *l.* 8. *c.* assentiar *p.* assentior. — *p.* 139. *l.* 15. *c.* discretas *p.* discretos. — *p.* 147. *l.* 26. *c.* nam *p.* num. — *p.* 152. *l.* 33. *c.* eundem *p.* eundum. — *p.* 195. *l.* 12. *c.* triarios *p.* riarios. — *p.* 197. *l.* 10. *c.* gesserat *p.* gesseret. — *p.* 201. *l.* 7. *c.* nullarum *p.* nullorum. — *p.* 208. *l.* 33. *c.* inprimis *p.* inprimum. — *p.* 241. *l.* 13. *c.* Eratosthenem *p.* Erotosthenem. — *p.* 244. *l.* 29. *c.* dictam *p.* dictum. — *p.* 246. *l.* 10. *c.* angulo *p.* angelo. — *p.* 248. *l.* 15. *c.* illi *p.* ille. — *p.* 248. *l.* 30. *c.* desinit *p.* desinent. — *p.* 249. *l.* 8. *c.* propter *p.* popter. — *p.* 259. *l.* 19. *c.* positam *p.* positum. — *p.* 272. *l.* 16. *c.* significet *p.* significat. — *p.* 278. *l.* 20. *c.* Cic. Cat. *p.* Cat. — *p.* 281. *l.* 1. consentaneam *p.* consentaneum.